LIBRARY OF PRINCETON
* JAN 24 1900 *
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division SCC
Section 5415
No. v. 22-24

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XXII.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1895.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Fünfte Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1895.

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/analectahymnicam2224drev

VORWORT.

Dies XXII. Heft der Analecten führt die Sammlung liturgischer Hymnen im engeren Verstande dieses Wortes in fünfter, beziehungsweise sechster (vgl. Anal. XVI.) Folge weiter. Obwohl auch diesmal in der Regel nur Ungedrucktes aufgenommen worden, habe ich doch geglaubt, für einige zwar bekannte, in den hymnologischen Sammlungen indes unbeachtet gebliebene Lieder eine Ausnahme machen zu sollen. Dies ist namentlich mit denjenigen des Alphanus von Salerno der Fall, nicht nur, weil dieselben in hervorragender Weise die Aufmerksamkeit des Hymnologen und Litterarhistorikers verdienen, sondern auch, weil für eine Anzahl aus ihnen in Cod. Vatican. Urbin. 585 eine neue Quelle benutzt werden konnte und auch Cod. Casinen. 280 mit Nutzen wieder verglichen wurde. Letzterer, eine Pergamenthandschrift von 154 Bll. (27, 5 × 18 cm) aus dem Ende des 11. Jahrhunderts, enthält die meisten der Poesieen des liber hymnorum et versuum, den Leo von Ostia und Petrus Diaconus unserem Dichter zuschreiben, soweit wenigstens dieselben auf uns gekommen sind.

Über Lebensschicksale sowie kirchliche, politische, litterarische Thätigkeit dieses merkwürdigen Mannes kann es nicht meine Absicht sein, mich dieses Ortes zu verbreiten. Nur ein Wort über die Ausgaben seiner Poesieen. Die erste besorgte Ende des 16. Jahrhunderts Tito Prospero Martinengo aus Brescia in seinem nunmehr selten gewordenen Werke: T. Prosperi Martinengii, monachi Casinensis, pia quaedam poemata ac theologica odaeque sacrae diverso carminum genere conscriptae. Quibus etiam accesserunt nonnulli aliorum quorundam illustrium monachorum Casinensium hymni, non indocti quidem illi nec invenusti,

collecti ex exemplaribus partim latinis literis partim longobardicis exaratis. Opus egregium, nunc primum in lucem editum anno 1590. Romae apud Franciscum Zanerum Anno MDXC. An die poetischen Produkte des Herausgebers schliefsen sich S. 169 ff. die folgenden Gedichte Alfanos:

1. Virgo dicata Deo . . . 169.
2. Intemerata fide . . . . 170.
3. Virgo sidereis ardua sedibus 171.
4. Fontem perennis gratiae . 172.
5. Alma dies rutilat . . . 173.
6. Aureo solis radio . . . 174.
7. Gaudete justi[1]) . . . . 178.
8. Mons bene salveris . . . 181.
9. Si sua vaniloquo . . . . 186.
10. Fulgor adspectus placuit . 188.
11. Pulchra nimis nullum . . 189.
12. Multa nos cogit bonitas . 190.
13. Laudes non pigeat . . . 191.
14. Has mundi tenebras . . . 193.
15. Qui coelos quondam . . 194.
16. Gaudentem segetis novae . 195.
17. Si tibi difficile . . . . 196.
18. Igne divini radians . . . 199.
19. Ardet intactae faciem . . 201.
20. Hactenus almorum . . . 202.
21. Quid stas otio quid pugil . 209.

Ob Martinengo den Cod. 280 benutzt hat, bleibt ungewifs; seiner eigenen Aussage nach hatte er jedenfalls noch andere Quellen, die uns heute abgehen. Von den durch ihn bekannt gewordenen Dichtungen finden wir einzelne wiederholt bei Baronius, Mabillon, Surius, Lippomannus, den Bollandisten. Eine zweite, reichhaltigere Ausgabe, die einzig auf Cod. Casinen. 280 zu fufsen scheint, veranstaltete Ughelli, Italia sacra II, 1085. Diese Ausgabe ist abgedruckt bei Migne PP. LL. 147, 1222 ff., weshalb es genügt, auf letzteren zu verweisen. Aufser den Hymnen hat Alphanus auch ein metrisches Officium auf die hl. Sabina verfafst. Dasselbe findet sich Cod. 280 fol. 79b; ich werde es unter den Reimofficien mitteilen.

Wien, den 15. Juli 1895.

Guido Maria Dreves.

---

[1]) Zu diesem Gedichte bemerkt der Herausgeber: Sequens hymnus ejusdem auctoris senariolis constans de virtute humilitatis superbiaeque vitio tractare videtur, qui quidem est satis elegans, sed in eo pangendo more comicorum multa utitur pedum licentia. Dolet autem mihi reperisse in eo quasdam dictiones vitio scriptoris corruptas, quas corrigere nequivi.

HYMNI INEDITI.

SERIES QUINTA.

1. De sancto Abundio.

1. Sublator Christe criminum,
Robur et spes pontificum,
Hoc sancti hymno praesulis
Subjectis parce, quaesumus.

2. Magna quidemque gratia
Intrat Cumanam patriam,
Cujus beatus Provinus
Regebat tunc ecclesiam.

3. Iste antistes inclitus,
Abundius clarissimus,
Thessalonicensis genere,
Cumas munivit dogmate.

4. Potitus in primordio
Est Felix pontificio,
Post quem secundus actibus
Sanctus Provinus claruit.

5. Cui succedens tertius
Praesul almus Amantius,
Benivolus, ut debuit,
Pastoris sedem tenuit.

6. Vivendi qui in termino
Ingresso jam Abundio
Gregum committit regimen,
Hostis ne furor perderet.

7. Effectus nam episcopus
Mitis, clemens Abundius,
Gregem commissum trucibus
Luporum vellit faucibus.

8. Doctrinam Christi praedicans
Potentiamque reserans
Ad lucem regis mortuum
Resuscitavit filium.

9. His ita curis deditus
Spiritu sapit exitum,
Coeli sumpturus gloriam
Suis parat concordiam.

10. In Paschae quippe gaudiis
Cives convivas habuit,
Quibus refectis epulis
Gestatur hinc ab angelis.

11. Nobis tu, pater, filiis
Plenis succurre criminis,
Aggredientum tumulum
Culparum dele cumulum.

12. Te gubernante valeat
Ista Cumana patria,
Quae Christum noscit Dominum
Per tuum patrocinium.

13. Sit laus patri pro munere
De isto sancto praesule
Prolique cum paraclito,
Uno trino imperio.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bonon. Mezzof. 339.

2. De sancto Achatio.

Ad Vesperas.

1. Congaudentes gaudent gentes
agmina nobilia
Militum crucifixorum,
sancta dena milia,
Per quos Deus mundo praestat
dona mirabilia.

2. Qui honorant crucifixos
cum pura instantia,
Dena milia sunt semper
pro eis orantia,
Nunquam sinunt illos mori
sine poenitentia.

3. Qui honorant crucifixos,
regium exercitum,
Per hos Deus donat illis
altum privilegium,
Vincla solvens peccatorum
decenorum milium.

4. Speciales horum servi
cum de mundo transeunt,
Deni mille crucifixi
concurrentes veniunt,
Transeuntes adjuvando
precibus communiunt.

5. Si poenarum loco dentur
et non aeternalium,
Habent martyrum per preces
decenorum militum
Indulgentiam dierum
decenorum milium.

6. Sancta quippe mater tota
praedicat ecclesia,
Quod per merita sanctorum
Deus dat auxilia,
Confessis atque contritis
donat indulgentiam.

7. Cessent ergo malignantes
suam per invidiam
Detrahendo molestare
martyrum potentiam,
Ne in fine sint damnati
per Dei sententiam.

8. Gloria sit crucifixo,
honor, jubilatio,
Qui est rex crucifixorum,
vita, consolatio,
Quos amavit, coronavit
in coeli palatio.

Brev. ms. S. Gratae Bergomen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43. sup. — In tono Pange lingua. — 2, 1 honorat. — 4, 3 Dene. — 5, 4 millium. — 5, 6 sit decenorum. — 6, 3 Quos per. — 6, 5, et contritio. — 7, 2 ne per invidiam.

3. De sancto Achatio.

Ad Matutinum.

1. In sancta decem milia
Christi resurgit passio,
Ipsis dum sexta feria
Fit nova crucifixio.

2. Novem mille Achatius
Secum convertit fidei,
Sanctus vero Theodorus
Mille probati numeri.

3. Terrenis binis dominis
Hi decem primo serviunt,
Sed monitis angelicis
Christi fidem suscipiunt.

4. Unus de decem milibus
Binis datur militibus,
Ut unum duo crucient
Et latus suum vulnerent.

5. Extensis Christo brachiis
Duo praebentur socii,
Istis lignis impositis
Bini stipendiarii.

6. Illi soli sit gloria,
Qui pro nostris criminibus
Passus aperta brachia
Exhibet poenitentibus.

Brev. ms. S. Gratae Bergomen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 1, 1 In sanctorum decem. — 1, 2 resurget. — 4, 3 Ut fehlt. — 5, 1 Extenso.

4. De sancto Achatio.

Ad Laudes.

1. Lapidantur crudeliter
Et flagellantur nequiter,
Coronantur aculeis
Et perforantur gladiis.

2. Via conspersa tribulis
Sancti ducuntur martyres,
Mundantur sed ab angelis,
Ut inde pergant, decies.

3. Baptizantur in sanguine
Unusquisque in proprio,
In solo Jesu nomine
Fide pugnant in stadio.

4. Orant in lignis positi
Circumvallati angelis,
Extra poenis impositi,
Intus repleti gaudiis.

5. Tantum prodest jejunium
Horum sanctorum vigiliae,
Quam si per annum integrum
Quis se domaret aspere.

6. Illi soli sit gloria,
Qui pro nostris criminibus
Passus aperta brachia
Exhibet poenitentibus.

Brev. ms. S. Gratae Bergomen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — Scheint nur divisio des vorhergehenden Hymnus zu sein.

5. De sancta Afra.

Ad Vesperas.

1. Jesu, redemptor omnium,
Qui es corona martyrum,
Nostris intende laudibus
Novis placatus cantibus.

2. Rex, qui feras humilias
Et sanctis reconcilias,
Exaudi nunc precamina,
Nostra relaxa crimina.

3. Beata Afra, nobilis
Quae uxor fuit comitis,
Cum audit virum mortuum,
Pergit ad amphitheatrum.

4. Sic Adriano loquitur:
Deum quem colis, idolum
Jussu sanctorum martyrum
Redactum est ad abyssum.

5. Tua vero perfidia
Remansi ego vidua,
Quia cum sacerdotibus
Peremptus est Italicus.

6. Statim ad pedes martyrum
Prostrata ipsos flagitat,
Ut prece sancta ipsorum
Divinam sumat gratiam.

7. A terra tunc erigitur,
Sanctis Dei martyribus
Simulque benedicitur
Afra cum animalibus.

8. Statimque it in eremum
Jussu sanctorum martyrum,
Cum feris animalibus
Custodit eam Dominus.

9. Sit trinitati placitum,
Quod resonamus, canticum,
Det pacem se colentibus
Et hic et in coelestibus.

Hymn. ms. Benedictin. Brixien. saec. 13. Cod. Univ. Bononien. 2558. — 7, 1 Afra tunc erigitur.

6. De sancta Afra.

Ad Nocturnum.

1. O quam mirum spectaculum
Per omne sonet saeculum,
Afra fit comes tigribus
Diebus atque noctibus.
2. Quae Brixiae suscipitur,
Sed Romae sana redditur,
Hanc repraesentant theatro
Velut infectam feretro.
3. Baptisma ejus noscitur,
Sanctus Linus episcopus,
Qui eam cum martyribus
Direxit Brixiensibus.
4. Sub Adriano principe
Perducitur a milite,
In via Cremonensium
Suum complens martyrium.
5. O quam beata vidua
Et vere Christi famula,
Quae reliquisti idola
Et facta es Christicola.
6. Sit trinitati placitum,
Quod resonamus, canticum,
Det pacem se colentibus
Et hic et in coelestibus.

Hymn. ms. Benedictin. Brixien. saec. 13. Cod. Univers. Bononien. 2558. — 4, 1 Sub Aureliano. — 5, 3 requisti. — 5, 4 est.

7. De sancto Agabio.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet nostra civitas,
Adest sanctus Agabius,
Adest ejus solemnitas.
2. Hic coelestis agricola
Venit ad nos divinitus,
Ut errores et crimina
Exterminaret funditus.
3. Nos purgavit erroribus
Beato cum Gaudentio,
Nos format sanctis moribus
Junctus sancto Laurentio.
4. Sursum miramur angelum,
Dum sanctus missam celebrat,
Leprosus tangit lectulum,
Quem sic a malo liberat.
5. O praesul beatissime,
Decus Novariensium,
Nos tecum clemens suscipe
Post hujus vitae transitum.
6. Gloria tibi, Domine,
Tuorum decus praesulum,
Qui natus es de virgine,
Conserva tuum populum.

Propr. ms. Novariense saec. 17. Cod. Casanaten. XX II 31. (1859). — Scheint ein älterer Hymnus zu sein, wie auch die folgenden.

8. De sancto Agabio.

Ad Nocturnum.

1. Vir inclitus Agabius
Coruscat inter sidera,
Qui signis et virtutibus
Refulsit hic Novariae.

2. Viam constravit liliis
Nitoris et munditiae,
Pater succurrat filiis
In hac valle miseriae.

3. Columba sursum elevat,
Columbae volant coelitus,
Haec vita sancti praedicat,
Haec felix ejus transitus.

4. De supernis ordinibus
Tuam serva Novariam,
Ora pro tuis civibus
Hunc, qui creavit hominem.

5. Gloria tibi, Domine.

Propr. ms. Novariense saec. 17. Cod. Casanaten. XX II 31 (1859).

9. De sancto Agabio.

Ad Laudes.

1. Dies aeternae gloriae
Beato viro rutilat,
Laudes coelestis curiae
Plaudit, exsultat, jubilat.

2. O gaudium Laurentii
Gaudentiique gloria,
Dum cum laude multiplici
Scandit ad coeli gaudia.

3. Nobis coelos aperuit
Pastor sacratus ovium,
Jam nobis iter patuit
In sempiternum gaudium.

4. O vas virtutum omnium
Gemmis ornatum coelitus,
Tuum dulce suffragium
Det dona sancti spiritus.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B. VI 5 (1182).

10. De sancta Agatha.

Ad Laudes.

1. Virgo viris admiranda,
decens forma virginum,
Agathes, cunctorum carnis
fomes medicaminum,

2. Scandat tuae precis odor
ad polorum dominum
Et exoret, quod nostrorum
sordes tergat criminum.

3. Cujus ob amorem dulcis
tibi fuit passio,
Abscissura mammae, carcer,
ignis et extensio.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
par decus paraclito.

Brev. Capuanum imp. Capuae 1499. — 4, 2 sqq. ergänzt.

11. De sancta Agatha.

Ad Vesperas.

1. Virgo laudetur Agatha
Mundi cunctis in terminis,
Quae stirpe nascens inclita
Coelo fit consors germinis.

2. Haec mundi spernens germina
Summam quaesivit gloriam,
Cujus mater ecclesia
Tota colit memoriam.

3. Pro Christo mori cupiens
Electa Dei famula,
Fratrum salutem sitiens
Magna prodit miracula.

4. Laetetur tellus Sicula,
Cataniensis Agathae
Lacta colat solemnia,
Quae coelum scandit hodie.

5. Carnis educta carcere
Coeli transit ad curiam,
Cui Christus in aethere
Aeternam praestat gloriam.

6. Trino Deo sit hodie
Laus, honor, virtus, gloria,
Quae nos precatu Agathae
Coeli ducat ad gaudia.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

12. In Translatione s. Agathae.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Christi sacrata munere,
Qui te sua clementia
Mortis redemit vulnere.

2. Tu nitere, Catania,
Laudes Deo depromere,
Qui Agathae praesentia
Suo te lustrat latere.

3. O mater nostra sedula,
Agatha, Christi famula,
Quae jam es nostra domina,
Tibi servit Catania.

4. Quae profanatam Graeciam
Propter suam nequitiam
Sprevisti et Cataniam
Illustrasti per gratiam.

5. Trino Deo sit hodie
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos precatu Agathae
Coeli ducat ad gaudia.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

13. In Translatione s. Agathae.

Ad Matutinum.

1. Cum nobili tripudio
Psallat sonora concio
Suae colens insignia
Festivitatis gaudia,

2. Excelsae nostrae virginis
Carae Deo et populis,
Beatae matris Agathae,
Quiescentis Cataniae.

3. Quae a finibus Graciae
Sedem legit Cataniae,
Cultum spernens Cycropiae
Gentis, a fide deviae.

4. Relicta sic Byzantia
Magno dolore doluit,
Hanc recepit Catania,
Ubi manere voluit.

5. Christe, cujus praedulcibus
Adhaeres nunc amplexibus,
Ejus jugi precamine
Tuo nos lustres lumine.

6. Quo sic, precamur, sordibus
Lustremur et virtutibus,
Hoc ut defuncto corpore
Vivamus toto tempore.

7. Hoc nobis praestet deitas
Et indivisa trinitas,
Cum genitore genitus
Et caritatis spiritus.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

14. In Translatione s. Agathae.

Ad Laudes.

1. Exsultet urbs Cataniae
Matris dotata munere,
Quam rex et sponsus Agathae
Ditat honoris onere,

2. Nobis Cataniensibus
Sacram sponsam restituens,
Decoris ornans facibus,
Bisantium destituens.

3. Infelix tu, Bisantium,
Graecorum prava civitas,
Errores malignantium
Sequens vetusta pravitas,

4. Relicta tuis meritis
Sacrosanctis reliquiis,
Nobis clementer redditis
Mancipatis obsequiis.

5. Defende tu Trinacriam,
O rosa venerabilis,
Praesertim tuam patriam
Cataniae tam nobilis.

6. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Decus sit sancto flamini
Moestorumque paraclito.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

15. De sancto Agnello.

1. Summe totius reparator orbis,
Vita sanctorum, decus et corona,
Da tui sancti famuli Agnelli
Promere laudes.

2. Hic secuturus miserantem agnum,
Qui nefas saecli pietate tollit,
Coelitus tali meruit vocari
Nomine sanctus.

3. Litterae dextrum subeundo ramum
Protinus mundi micuit ut astrum,
Inde suscepit regimen paternum
[Ductus] amore.

4. Perditas . . . . . tas,
Perditas linguis solitas loquelas,
Artubus surdis reparat sonoros
Clangere bombos.

5. Dexteram mancis, tremulis et membris,
Gressibus clodis regidisque carnis,
Praebet attractis manibusque uncis
Dona salutis.

6. Daemones saevos variosque morbos
Finibus fugat, remeatque sospes
Aeger advectus aliorum ulnis
Laude canora.

7. Hujus ad tumbam celebres . .
. . . . tes rogitamus omnes
Ejus ut [sanctis precibus] relaxes
Crimina cu[ncta].

Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29. — Infolge eines Loches inmitte des Blattes unvollständig. Nach Str. 3 fehlen 3, nach Str. 7 eine Strophe, von denen nur wenige Worte vorhanden. — 3, 2 ut austrum. — 4, 3 sonoras. — 4, 4 Glangere. — 5, 3 Plebet. — 6, 1 servos.

16. De sancto Agnello.

Ad Vesperas.

1. Almum sanctus ditaverat
Spiritus, cui servierat
Agnellus, pater pauperum,
Contemptor temporalium.

2. Qui erat in agminibus
Praescitus jam coelestibus,
Ut patet per miracula
Restaurata puellula.

3. Cujus vitam descripserat
Johannes, quem sanaverat
A surditate pessima,
A qua, Christe, nos libera.

4. Puellae consanguineum
In carcere per proelium
Abstraxit et per triduum
Ministravit auxilium.

5. Ac alimenta tribuit,
Fovere qui non renuit,
Quicunque gliscit vivere
Secundum dicta regulae.

6. O Agnelle sanctissime,
Christum exora propere,
Callidus adest improbe,
Desiderat nos vincere.

7. Ne permittas conquassari
Tuum gregem et damnari,
Esto pastor, sicut nosti.
Resistasque nostro hosti.

8. Hoc concedat pater pie
Jesus Christus in hac die
Unaque cum paraclito
In sempiterna saecula.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — 5, 4 dictant regulae. — 7, 1 quassari.

17. De sancto Agnello.

Ad Matutinum.

1. Gaude, felix Neapolis,
Tanto ditata munere,
Per ipsum es laudabilis,
Quem meruisti condere.

2. Gaudeant cives polici,
Omnes cives angelici
Et universus populus,
Exsultet coelum laudibus.

3. Gaudere nunquam desinant,
Videre quem desiderant,
Agnellum sanctum, humilem
Vultuque delectabilem.

4. Gaudio, magno laetantur,
Qui hunc divum contemplantur,
Sanavit, dedit habitum,
Dilaniavit saeculum.

5. Gaudens gaudere debuit,
Quae tantum donum habuit,
Sanari, poni dapibus
Coelestibus agminibus.

6. Gaudium istud impetra,
Ne tardes, per precamina,
Adesto, pastor ovium,
Primo dierum omnium.

7. Praestet nobis piissimus
Hoc pater, unigenitus
Unaque cum paraclito
Hic in futuro saeculo.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — 2, 1 cives apostolici. — 4, 2 Qui ad hunc divum.

18. De sancto Agnello.

Ad Laudes.

1. Christe, redemptor omnium,
Conserva hoc collegium,
Ipsum defende propere
Jam lucis orto sidere.

2. Actus reforma improbos,
Hostes constringens nocuos,
Pacem refunde gratiae,
Splendor paternae gloriae.

3. Qui regis per te omnium
Vitamque monialium,
Sanctifica hunc habitum,
Deus, tuorum militum.

4. O propheta egregius,
Futurorum non inscius,
Affatus es puellulae
Interdictum secedere.

5. Quam sanasti et illico,
In habitu monastico
Vestisti, Christum exora,
Quem terra, pontus, aethera.

Propr. Neapolitanum imp. Neápoli 1525. — 3, 3 hoc habitum. — 4, 3 Affatus est. — 4, 4 Interditum. — Nach Str. 5 der Anfang der Doxologie: Laus, honor.

19. De sancta Agnete.

1. Igne divini radians amoris
Corporis sexum superavit Agnes,
Et super carnem potuere carnis
Claustra pudici.

2. Cogitur, stupris maculanda vulgi
Nuda famosum subeat lupanar,
Angelus castae pudibunda servat
Membra puellae.

3. Candidi coelo veniunt amictus,
Clarus obscoenis Dominus refulget
Splendor et gratos superant odores
Fornicis arcus.

4. Perdidit vitae juvenis decorem,
Ausus intactum violare corpus,
Virgo sed verae revocat saluti
Funus acerbum.

5. Flamma divino dominante nutu
Friget aestivos imitata rores
Virginis corpus Domino dicatum
Jussa cremare.

6. Mista sacrato moriens cruore
Lactis effudit nivei fluenta,
Cum ferox lictor lateri profundum
Condidit ensem.

7. Spiritum celsae capiunt cohortes
Candidum et coeli super astra tollunt,
Jungitur sponsi thalamis pudica
Sponsa beatis.

8. Diva nunc nostrae miserere sortis
Et, tuum quisquis celebrat trophaeum,
Impetret sibi veniam reatus
Atque salutem.

9. Redde pacatum populo precanti
Principem coeli dominumque terrae,
Donet ut pacem pius et quietae
Tempora vitae.

10. Laudibus mitem celebremus agnum,
Casta quem sponsum sibi legit Agnes,
Astra qui coeli moderatur atque
Cuncta gubernat.

Martinengius p. 201. — Verfasser ist Alphanus von Salerno

20. De sancta Agnete.

1. Ardet intactae faciem puellae
Praesidis natus, stabilis sed illa
Tale responsum juveni pudico
Retulit ore:

2. Quid meos frustra thalamos requiris,
Pabulum mortis laqueusque vitae,
Turpis obscoeni, procul hinc recede,
Criminis auctor.

3. Dona, quae jactas pretiosa dives,
Pauperis mentem moveant puellae,
Dignior sponsus meliora multo
Munera praestat.

4. Clarior luna radiisque solis,
Cuncta cui parent elementa mundi,
Se mihi sponsum dedit et perennem
Sidera dotem.

5. Jamque complexu fruimur pudico,
Jam caro carni sociata gaudet,
Jam sacer sanguis faciem nitenti
Murice tinxit.

6. Quare mortales perituraе formae
Coelitus nostri placuere vultus,
Vivet in terris amor iste, celsis
Vivet in astris.

7. Virgo nec mirum videatur alma
Cuncta si sprevit monumenta mortis,
Quae pium vitae dominum perennis
Semper amavit.

8. Ad tuas, Agnes, rogitamus aras,
Flagret in nostris amor iste fibris,
Comprimens blandae stimulos juventae
Flamine sancto.

9. Ure lascivas hominum medullas,
Tutus ut dulces fugiat procellas
Spiritus mundi domitaque victor
Carne triumphet.

10. Virginum laudent pia vota regem,
Quem decet sacrae genus omne laudis,
Cujus in trino veneramur unum
Numine numen.

Martinengius p. 201. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

21. De sancta Agnete.

Ad Vesp. et Noct.

1. Supernae lucis radius
Nobis illuxit hodie,
Quo Agnes in coelestibus
Offertur regi gloriae.

2. In fide virgo claruit
Castitatis praeconio,
Quae turpe scelus horruit
Christi datur connubio.

3. Dum fide sic imbuitur,
Divinum fit sacrarium,
Doctrix legis efficitur,
Dum sic dictat eloquium.

4. Agna, dum agnum praedicat,
Agno fit peramabilis,
Dum munda mundum superat,
Mundo fit exsecrabilis.

5. Naturae virgo fragilis
Naturae transit limites,
Cujus agon mirabilis
Coelica ditat agmina.

6. Deo patri sit gloria,
Proli sanctoque flamini,
Qui mala solvens omnia
Jungat Agnetis agmini.

Hymn. ms. S. Agnetis Bononien. saec. 14. in. Cod. Bononien. (Commun.) b I 16. A. — Brev. ms. Praedicatt. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17 007. B. — Diurn. ms. Praedicatt. saec. 15. Cod. Marcian. L I 81. C. — Diurn. ms. Praedicatt. saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. D. — Brev. ms. Praedicatt. Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patav. B 60. E. — 2, 3 turbae scelus C. — 3, 1 Dei fide imbuitur. A; Cum fide sic C. — 3, 3 Datrix B. — 3, 4 ditat A. — 6, 2 Prolique sanctoque C. — 6, 4 agmina B.

22. De sancta Agnete.

Ad Laudes.

1. Felix adest solemnitas,
Felici sub martyrio,
Agnetis qua virginitas
Coeli sacratur solio.

2. Exsuperat Paschasium
Resuscitato funere,
Lupanar fit sacrarium
Ejus pro sancto munere.

3. Coelorum tandem ostia
Decore transit niveo
Agnes, martyr egregia,
Sanctorum sita cuneo.

4. Jesu, corona virginum,
Donator ultra merita,
Per Agnetis martyrium
Dimitte nobis debita.

5. Trino Deo sit gloria,
Patri prolique flamini,
Qui mala solvens omnia
Jungat Agnetis agmini.

Hymn. ms. S. Agnetis Bononien. saec. 14. in. Cod. Bononien. (Commun.) b I 16. A. — Diurn. ms. Dominicanum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. B. — Diurn. ms. Dominicanum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. C. — Brev. ms. Praedicatt. Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patav. B 60. D. — 2, 1 Recuperat B. — 3, 1 hostia B. — 4, 2 Donatur CD.

23. De sancto Agrippino.

Ad Vesperas.

1. O Agrippine pontifex,
Dei confessor optime,
Adesto praecinentibus
Tui diei gloriam.

2. Ornatus almis moribus
Piisque fulgens actibus,
Ministrabat sagacius
Coeleste dogma civibus.

3. Defensor exstat patriae
Claris nitens miraculis,
Sanctisque junctus omnibus
Gaudet polo perenniter.

4. Hujus precatu sanitas
Redit caducis artubus
Lumenque caecis visibus,
Fugantur et phantasmata.

5. Praesul beate, quaesumus,
Sic nos tuere largius,
Ut callidi versutias
Vincamus hostis improbas.

6. Preces fundendo supplices,
Resolve nexus criminum,
Ut sempiternae copiae
Tecum fruamur gaudiis.

7. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29. A. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. B. — 2, 2 Piis refulgens B. — 3, 1 Defensor erat. B. — 5, 4 improbans A.

24. De sancto Agrippino.

Ad Nocturnum.

1. Te decet hymnus largius,
O Agrippine pontifex,
Quo coeli chorus jubilat
In signis et prodigiis.

2. O summum decus praesulum,
Quanto refulges munere,
Qui mystico spiramine
Coeli cives efficeris.

3. Tuorum testis operum
Albinus nequam cernitur,
Dum Parthenopen perdere
Concipiens eliditur.

4. Te quoque in miraculis
Gaudiosus enuntiat,
Cui membra gressum denegant,
Tu solus, alme, reparas.

5. Succedens laudem sociat
Orbatus orbe Lucius,
Quem lucis spei perditum
Lustras cupito lumine.

6. De multis sumpta brevia,
De infinitis modica,
Sic adesto canentibus,
Summe confessor, omnibus,

7. Ut qui tui praeconia
Festique laudem colimus,
Tecum potiri gloria
Mereamur in patria.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — 5, 1 Succedens his laudem.

25. De sancto Agrippino.

Ad Laudes.

1. O urbs decora, concine,
Tanto fulta praesidio
Talique tuta pugile,
Laxa fibras in gaudio.

2. Dic: o praesul mirifice,
Quem terra, pontus, aethera
Colunt, tu civis optime,
Urbem, quam tegis, protege.

3. Qui Passaram languoribus
Sacro paschali gaudio
Solutam mortis nexibus
Reddidisti tripudio.

4. Quique dedisti plurimis
Spem vitae, morbis medicum,
Tu cura nos in intimis
Pestisque tolle taedium.

5. Praesul, exaudi supplices
Tuo sub patrocinio,
Nostras ne preces implices,
Dirige nos in invio.

6. Hostes propelle nocuos
Tuam laedentes patriam,
Qui nosti dare vacuos
Surgentes in superbiam.

7. Sit honor patri coelitus,
Sit Agrippino gloria,
Laudetur in his filius,
Spiritui sit gratia.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

26. De ss. Alexandro, Eventio et Theodulo.

Ad Vesperas.

1. Vesper venit, o sociae,
Quo festa nobis annua,
En, Alexandri gaudia
Jucundius annuntiant.

2. In quo triumpho praesulis
Corda Christo paranda sunt,
Ut meus intus consideret,
Quod voce foris canitur.

3. In hujus templi medio
Choros ducamus virginum,
Cantemus omnes pariter
Nunc Alexandri merita.

4. Gaudere decet virgines,
Quae sacram tenent virginem,
Gaudere decet monachas
Clarum laudantes martyrem.

5. Nasci dedit Roma prius,
Papatum postmodum mori,
Nunc Parma servat aurea
Corpus modesti juvenis.

6. Balbinam pulchram facie,
Sed colli morbo sordidam,
Postquam sanasti precibus,
Christo sacrasti virginem.

7. Domum tuam elegimus
Ornatu spreto saeculi,
Ancillas Christi protege
Sub Benedicti regula.

8. Sis nostri memor, quaesumus
Tu Alexander pontifex,
Sexum ne spernas fragilem,
Qui Salvatorem peperit.

9. Qui coelo laetus resides
Inter primates rutilans,
Rogantes audi famulas,
Quae te patronum invocant.

10. Te per coeli palatia
Concomitantur socii,
A dextris stat Eventius,
Ab altera Theodolus.

11. Sacris prostratae pedibus
Te, summe praesul, petimus,
Ut tecum coelo subleves,
Quas tua claustra retinent.

12. Jam dies cedit vesperi,
Et lux succumbit tenebris,
Dignare, Jesu, perfrui
Nostri cordis hospitio.

13. Gloria tibi, Domine.

Offic. ms. S. Alexandri Parmen. saec. 15/16. Cod. Casinen. 870. — 2, 2 Christi. — 6, 4 sanasti. — 8, 2 memor fehlt. — 12, 2 succumbit miseris.

27. De ss. Alexandro, Eventio et Theodulo.

Ad Nocturnum.

1. Noctis profundae medio
Sorores sacrae surgimus,
Quo se venturum tempore
Sponsus fatetur virginum.

2. Aptemus manu lampades,
Corde portantes opera,
Jam convenit occurrere
Christo pulsanti januam.

3. Paratas dicit nuptias,
Prudentes vocat virgines,
Dum fatuae, quae dormiunt,
Confusae foris remanent.

4. Nos Alexandri filiae
Si vere dici volumus,
Patrem colamus moribus,
Qui nobis dotem praeparat.

5. Hic namque virgo floridus,
Doctor martyrque candidus,
Qui triplici aureola
Jam coronatus residet.

6. Sit Alexandri nomine,
Effectu sit et merito,
Ut mente tollat tenebras,
Quae verum lumen detegunt.

7. Urbis praefecti filium
Morte praeventum improba
Orando vitae reddidit
Victus nutricis precibus.

8. Tu ergo, summe pontifex,
Qui coelum scandis hodie,
Attolle sursum famulas,
Quae tua festa percolunt.

9. Gloria tibi, Domine.

Offic. ms. S. Alexandri Parmen. saec. 15/16. Cod. Casinen. 870. — 3, 3 Dum ergänzt. — 6, 4 lies contegunt?

28. De ss. Alexandro, Eventio et Theodulo.

Ad Laudes.

1. Laudes victrici debitas
Et dulces hymnos solvimus,
Exsultet chorus laudibus
Pro tanti patris gloria.

2. Aurora solis praevia
Obscuram noctem profugat,
Purgemus mentes crimine,
Si verum lumen quaerimus.

3. Nos ergo Christi famulae,
Quae sacrum velum gerimus,
Si quod velamen intus est,
Pandamus Petri clavibus.

4. Puellus ille lumifer,
Qui Alexandro adstitit,
Nos moniales visitet,
Quae laudes Christo canimus.

5. Qui Libertinae lumina
Oratu sancto reddidit,
Lucem nobis obtineat,
Quae via, vita, Christus est.

6. Nunc solis ortus imminet,
In quo Christus ab inferis
Devicta morte rediens
Matri serenus adfuit.

7. Qui Magdalenae postea
Plangentibusque reliquis
Apparere dignatus est,
Nobis adsit psallentibus.

8. Huc, Alexander, adveni,
Qui tamen praesens crederis,
Mentis repelle tenebras,
Id nomen vult et meritum.

9. Gloria tibi, Domine.

Offic. ms. S. Alexandri Parmen. saec. 15/16. Cod. Casinen. 870.

29. De sancto Alexandro.

Ad Vesp. et Laudes.

1. Alexandri militia
Mundi devicit vitia,
Noxas abstersit scelerum
Conditor alme siderum.

2. Legem divinam meditans,
Hostes cunctos suppeditans,
Hunc illustravit coelitus
A patre unigenitus.

3. Edictum Caesar protulit,
Quod Alexander propulit
Projectis libaminibus,
Exsultet coelem laudibus.

4. Christum fatetur libere
Corde, ore et opere,
Pro te suffert martyrium,
Christe, redemptor omnium.

5. Rex pater, nate, spiritus,
Rogamus, praestet coelitus
Post mundi hujus tristia
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Minorum Pergamen. saec. 15. Cod. Capit. Patavin. A 69. A. — Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43. sup. B. — 3, 2 wieder protulit B.

30. De sancto Alexandro.

Ad Nocturnum.

1. Alexander, martyr Dei,
Calens fervore fidei,
Decus accepit bravii,
Summi largitor praemii.

2. Narrat ejus magnalia
Pergamensis ecclesia,
Ipsum laudemus cantico
Ex more docti mystico.

3. Deum videt in jubilo
Abjecto carnis nubilo,
Commutant mundi aspera
Aeterna Christi munera.

4. Ex Aegypti voragine
Effuso pro te sanguine
Transit ad te cum gaudio,
Jesu, nostra redemptio.

5. Rex pater, nate, spiritus.

Brev. ms. Minorum Pergamen. saec. 15. Cod. Capit. Patavin. A 69. A. — Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. B. — 1, 2 fervore Dei A. — B hat eine andere Doxologie abweichenden Versmafses:

Rex pater, nate, laus et honor
Sit per omne saeculum,
Qui concives nos adscribat
Supernorum civium.

Vielleicht ist im ersten Verse zu lesen: Patri, nato laus et honor.

31. De sancto Alexandro.

1. Ad hujus festa martyris
Concurrat plebs fidelium,
Qua Alexander athleta
Regni percepit praemia.

2. Laudent, inquam, angeli
Hujus triumphum martyris,
Quos mundi contra prospera
Corde contempsit intimo.

3. Hic Alexander athleta
Christi secutus ordinem
Tormenta dira sustinet
Hostemque vincit improbum.

4. Vere in fide vividus
Dei patris cum filio
Sanctumque colens spiritum
Pervenit ad martyrium.

5. Sacrata plebs perenniter
Patroni adjutorio
Domini poscat martyrem
Ad hujus sancti altarium.

6. Vir iste fortis exstitit
Miles magnus in proelio,
Plebemque suam protegit
Excelsus ante Dominum.

7. Succurrit sacerdotio
Cleroque et cuncto populo,
Pupillis atque viduis,
Nec jurgium praevaluit.

8. Per hujus preces, Domine,
Nostra procures vulnera,
Cujus rorati sanguine
Tuam canamus gloriam.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 2, 3 Lies: Quod? — 2, 4 Lies: contendit? — 4, 1 fide vivus. — 5, 1 Sacra plebs. — 5, 3 martyrium. — 6, 3 que ergänzt. — 7, 1 Jure sacerdotio. — 7, 4 jurgia.

32. De sancto Ambrosio.

1. Ambrosi, sidus aureum,
Orbis illustrans ambitum
Tu nostris lumen mentibus
Sacris infunde precibus.

2. Tu verbi vibrans jaculum
Ut fulmen sternis Arrium,
Fugas errorum tenebras,
Ut mera cluat veritas.

3. Clangor tubae terribilis
Coruscas et prodigiis,
Quem deflet mater mortuum,
Reddis vitae Pansophium.

4. Tuae vocis imperium
Pavescit agmen daemonum,
Flent spiritus nequissimi
Solutum jus hospitii.

5. Qua vi praecellas meriti,
Experiuntur aemuli,
Qui te laedunt vel detrahunt.
Ultore Deo pereunt.

6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa flamini.

Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Barberin. XI 171. A. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. B. — Psalt. ms. Casinense saec. 11. ex. Cod. Casinen. 559. C. — Hymn. ms. Casinen. saec. 10. Cod. Casinen. 506. D.

33. De sancto Ambrosio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Sancte Ambrosi, doctor, pastor digne,
Valde benigne, sume nostra vota
Et, quem devota mente personamus,
Suscipe hymnum.

2. Quando jacebas parvulis in cunis,
Labiis tuis apes mella dabant,
Saepe intrabant et ingredientes
Alte volabant.

3. Significabant, mellea per verba
Dulci cum herba oves te pasturum,
Quibus ad purum plures advolarent
Coelicum regnum.

4. Praesul post factus jura defendebas
Et prohibebas sancta profanari,
Quare vexari rabie coepisti
Inimicorum.

5. Meritis plenus mundum reliquisti
Et ascendisti culmina polorum,
Ubi bonorum quae hic peregisti
Munere gaudes.

6. Ora pro nobis, sancte Dei praesul,
Ut mundo exsul quisque nostrum factus,
Sit cujus actus patriam coelestem
Inhabitare.

7. Modo in coelis laudes Deo canis,
Patri et nato, flamini beato,
Nosque communi trino Deo uni
Laudes dicamus.

Brev. ms. S. Ambrosii Florent. anni 1518. Cod. Mediceo-Laurentian. Conv. sup. 90.

34. De sancto Ambrosio.

Ad Laudes.

1. Ambrosi, decus praesulum,
Memento nostrum exsulum
A gaudiis coelestibus
Ex vitiis scelestibus.

2. Haereticorum tenebras
Confundis qui et latebras,
Hoc lucens cunctis saeculis
Doctrinae sacrae speculis.

3. Docendo multos attrahis
Et Augustinum provehis
Ad regulam catholicam
Et vitam apostolicam.

4. Ex quatuor doctoribus
Prae cunctis doctioribus
Est iste, quem ecclesia
Sublimat grandi gloria.

5. Solemne artificium
Peregit nam officium,
Et cantum ipse addidit,
Quae celebranda tradidit.

6. Nos ergo juvet precibus
Divinis in conspectibus
Et purget nostra crimina
Dans gratiae juvamina.

7. Sit patri, qui potentia,
Et nato, qui prudentia,
Amori, qui clementia
Hunc rexit, perpes gloria.

Brev. ms. S. Ambrosii Florentini anni 1518. Cod. Mediceo-Laurentian. Conv. sup. 90. — 4, 1 Ex quatuor doctionibus. — 4, 2 Precum cunctis doctionibus.

35. De sancto Anastasio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Coelum, tellus ac maria
Mellita promant carmina,
His nempe dignus laudibus
Est Martyr Anastasius.

2. Bellator invictissimus,
Divinis fultus viribus,
Minas contemnit principum,
Manus nescit carnificum.

3. Laetus adit supplicia,
Jejunus ut convivia,
Nova poenarum genera
Mens transit imperterrita.

4. Torquendi praeses anxius,
Torquetur ipse gravius,
Dum membra punit saucia,
Verborum perfert jucula.

5. Catenis vinctus ferreis,
Horrendis clausus tenebris
Angelica praesentia
Luce potitur splendida.

6. Post triumphalem obitum
Feris corpus expositum,
Jejuni canes eminus
Strictis adspectant dentibus.

7. Te, martyr alme, petimus
Mentis orisque precibus,
Ut tua levet sanctitas
Quos sua gravat pravitas.

8. Sit patri laus ingenito.
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa flamini.

Brev. ms. Benedictinum saec. 11. Cod. Vallicellan. B 79.

36. De sancto Anastasio.

Ad Laudes.

1. Lux clara surgens rutilat,
Quae dulce festum nuntiat,
Quo coelum decus martyrum
Conscendit Anastasius.

2. Purpureus acerrimo
Victor exit de proelio,
Nunc stola comptus candida
Corona vibrat aurea.

3. Hujus, o Christe, precibus
Nostris parce sceleribus,
Reatus nostri debita
Ejus excusent merita.

4. Da nobis talem liberis
Ducem sequi vestigiis,
Ut passionum socii
Consortes simus praemii.

5. Gloria sit ingenito,
Patri et unigenito,
Sancto simul spiritui.
Deo indivisibili.

Brev. ms. Benedictinum saec. 11. Cod. Vallicellan. B 79. — 1, 4 Anastasium. — 3, 3 Beatus.

37. In sancti Andreae.

Hymnus Primus.

1. Concinat altithrono vox omnis cordis ab antro
Ac linguae sistro concinat altithrono.

2. Emicat, ecce, dies populos celebranda per omnes,
Et festive nitens emicat, ecce, dies.

3. Sidera qua petiit terrenaque vincula rupit,
Andreas missus sidera qua petiit.
4. Quem Deus ipse vocat, Galilaeae dum mare scrutat,
Una cum fratre quem Deus ipse vocat.
5. Ceperat hinc homines peccati gurgite nantes,
Ante velut pisces, ceperat hinc homines.
6. Fructifer et viridis, producens germina pacis,
Palmes inest Christo fructifer et viridis.
7. Qui, sibi quod placeat, scelerum religamine damnat,
Ac vinclis laxat qui, sibi quod placeat,
8. Plura salutiferis ubi semina sparserat orsis
Et firmat muris plura salutiferis.
9. Coelitus admonitus Patras convertere gressus,
Quo redimat vulgus, coelitus admonitus.
10. Hic quoque salvificus est taetro carcere clausus,
Uritur ac crucibus hic quoque salvificus.
11. Pro crucis eulogio ligno torquetur in ipso,
Funibus artatus pro crucis eulogio.
12. Perpetrat hocce nefas nimium crudelis Aegeas,
Suggerit ut Satanas, perpetrat hocce nefas.
13. Ipsius in Satanae jus mox contraditur ipse,
Quo moritur dire, ipsius in Satanae.
14. Fortis athleta tamen reticet non spargere semen
Nec vitae carmen fortis athleta tamen,
15. Donec in arce poli meruit de carne levari
Laetitiaque frui donec in arce poli.
16. Tunc bene claruerat, ipsius ut onoma cantat,
Quodve figurat, tunc bene claruerat.
17. Sermo latine quidem hunc succinit esse virilem,
Sive decore gravem sermo latine quidem.
18. Ipse virilis erat, dum vinci caede nequibat,
Dum coelum penetrat, ipse virilis erat.
19. O vir apostolice, Christi quoque semper amice,
Petri germane, o vir apostolice,
20. Nos sociare Deo depressos faece memento
Nequitiaeque luto nos sociare Deo.
21. Te rogitant famuli, velis, illorum meminisse,
Quo fiant salvi, te rogitant famuli.
22. Nunc resonemus Amen, quia finit suavia carmen,
Andrea, da pacem; nunc resonamus Amen.

Legend. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 11. Cod. Vatican. 1274. — Aufschrift: Item versi in s. Andreae. — 10, 1 carcere usus. — 13, 1 contraditor. — 21, 1 illorum reminisce. — 22, 1 suevia.

38. In sancti Andreae.

Hymnus secundus.

1. Rex Deus omnitenens, lumen de lumine fulgens,
   Cuncta piis condens, rex Deus omnitenens,
2. Sanguine tu proprio redemisti nos pretioso
   Solvistique jugo sanguine tu proprio.
3. Maxime, cuncta tibi famulantur jure perenni,
   Subdita sunt regna, maxime, cuncta tibi.
4. Omnia nempe regis cosmi, sermo parientis,
   Cunctipotens orbis omnia nempe regis.
5. Te canat omnis homo summum conamine toto,
   Concentu polico te cantat omnis homo.
6. Da, petimus, proprias facetas carmine linguas,
   Voces altisonas da, petimus, proprias.
7. Qui documenta dabas arces scansurus ad altas:
   „Discipuli ite rotas“, qui documenta dabas.
8. Quisque sibi propriam sortem bene praedicet aptam,
   Urbem habeat fidam quisque sibi propriam.
9. Namque Petrus tenuit Romam Dominoque dicavit
   Conversam gessit, namque Petrus tenuit.
10. Et docuit Graeciam Paulus sermone venusto,
    Sulcavit Mysiam et docuit Graeciam.
11. Quisque suam petiit, convertens munera sumpsit,
    Moribus ornavit, quisque suam petiit.
12. Denique praecipuam est Andreas missus Achajam,
    Instruxit massam denique praecipuam.
13. Multimodis socium Petri te constat honestum,
    Pathmos nempe tuum multimodis socium.
14. Carcere missus eras captus castro, pie, Patras,
    Plurima tu tuleras, carcere missus eras.
15. Ictibus hunc variis tortor lacerabat et acris
    Augebatque neces ictibus hic variis.
16. In cruce vir nitidus suspenditur aequus et almus
    Praedicat et coetus in cruce vir nitidus.
17. Quaeritur eximius vivens ac biduo sanctus,
    Reddatur castus, quaeritur, eximius.
18. Perfide tu graderis, solvi ceu vincula poscis,
    Laetatur poenis, perfide tu graderis.
19. Ut nitor enituit, felix astrum peragravit,
    Mox plebs obstupuit, ut nitor enituit.

Legend. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 11. Cod. Vatican. 1274. — 3, 1 Christe perenni. — 4, 1 parentis. — 5, 1 cantat. — 10, 2 missam verschrieben? — 11, 1 munere. — 12, 1 Andreas est. — 14, 2 ta tuleras: missus erat. — 18, 1 sq. lies Pro fide oder Provide?

39. In sancti Andreae.

Hymnus Tertius.

1. Dindima nostra citro sanctum fla pneuma choreae,
   O Deus, et lustra dindima nostra citro.
2. Mira nitent nimia, torquent tua, sancte, Behemot,
   Ipse micas gestis, mira nitent nimia.
3. Nomen habet speciem, donat tibi gaudia numen,
   In coelo vel humo nomen habet speciem.
4. Cuncta relicta mali, rogitamus, sint, bone, nostra,
   Vera sint luce cuncta relicta mali.
5. Summe, precare Deum, indulgeat carmine versi,
   Auferat omne foedum, summe, precare Deum.
6. Bella, beate, tibi gestis sint victa benigni
   Bachati cedant bella, beate, tibi.
7. Aula melos resonat, Andrea, tibique resultat,
   Sancte, tibi voce aula melos resonat.
8. Gloria cuncta Deo nostro per cuncta benigno,
   Regnanti coelo gloria cuncta Deo.

Legend. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 11. Cod. Vatican. 1274. — 1, 1 sanctum flapneu machore. — 2, 1 nitent nintria torquens; vehemot. — 4, 1 noster. — 4, 2 sunt. — 5, 1 Deus indulgat. — 6, 2 Lies Baratri cedant? — 6, 2 beate tibi gestis. — 7, 1 resulta.

40. De sancto Andrea Scoto.

Ad Vesp. et Laud.

1. Congratulamur hodie
   In festo devotissime
   Andreae, cujus merita
   Solemnizat ecclesia.

2. De Scotia progenitus,
   Andreas, Christi famulus,
   Sub Donati regimine
   Partes petivit Tusciae.

3. Romam tendens et patriam
   Domum relinquit inclitam,
   Christi secutus dogmata
   Sprevit mundana praedia,

4. Visitando ecclesias
   Simul venerunt Fesulas,
   Donatus datus coelitus
   Efficitur episcopus.

5. Hunc vitam sibi supparem
   Adscivit in diaconem,
   Fungebatur officio
   Gratus Deo et populo.

6. Hic juventute floridus,
   Sanctitate eximius,
   Ad suam precem intimam
   Sanatur civis filia.

7. Gloria sit altissimo.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. B. — 5, 1 sibi separem A. — 5, 3 Fulgebatur A, fulgebuntur B.

41. De sancto Andrea Scoto.

Ad Nocturnum.

1. Demum pervenit Melsulam,
Cernens sibi basilicam
Sancti Martini funditus
Combustam esse hostibus,

2. In brevi quidem tempore
Opus refecit fabricae,
In qua de vita noxia
Pervenit ad coelestia.

3. In eadem sepelitur,
Daemonum saeva pellitur,
Datur coelis laetitia
Et infernis moestitia.

4. Quotquot languentes veniunt,
Sanitatem recipiunt,
Et quod salutis patitur,
Ejus prece conceditur.

5. O felix gaude patria,
Possidens sacra pignora,
Cujus fulta suffragiis
Ditaris tantis praemiis.

6. Gloria sit altissimo
Ejusque unigenito,
Sancto simul spiritui,
Trino Deo et simplici.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. B. — 1, 1 Iste pervenit A. — 3, 2 cohors, vis, fraus oder Ähnliches zu supplieren? — 3, 3 laetitiam AB. — 3, 4 martitiam AB.

42. De sancto Aniano.

1. Pange, lingua, gloriosi
Confessoris merita,
Ut de sui grex pastoris
Laude canat debita,
Nos emunda, Christe, foris
Et nos intus visita.

2. Sanctus iste vivens pie
Semper Christum coluit,
Inhaerendo Christi viae,
Quam devote tenuit,
Qui ad coelos in hac die
Pervenire meruit.

3. Ad sepulchrum Christiani
Confessoris veniunt,
Revertuntur modo sani,
Valent et proficiunt,
Cum per preces Aniani
Omnes morbi fugiunt.

4. Nos hunc hymnam in honore
Confessoris canimus,
Qui a summo redemptore
Nos salvari petimus,
Quem nos corde, factis, ore,
Confitentes credimus.

5. Ut devota gens precatur
Semper prece sedula,
Nobis pacem largiatur,
Agnus sine macula,
Qui in patre gloriatur
Per aeterna saecula.

Hymn. ms. cum Commento Hilarii saec. 13. Cod. Mantuan. E I 14.

43. De sancto Aniano.

1. Rex, qui coeli stans in arce
Cunctis praesens populis,
Miseratus nobis parce
Et a tuis servulis
Procul omnes morbos arce
Interventu praesulis.

2. Summe pater, sancti tui
Nobis praesta precibus,
Ut possimus per te frui
Donis spiritalibus,
Et ut Christus regni sui
Nos adjungat civibus.

3. Mundi bonis hic caducis
Mentem non apposuit,
Sed superni servus ducis
Bona mundi respuit,
Qui in throno verae lucis
Coronari meruit.

4. Hic pro nobis preces fundat
Sanctus ante Dominum,
Qui sanctorum mentes mundat
Ab errore criminum,
Ne nos turbet aut confundat
Fallax hostis hominum.

5. Ut devota gens precatur.

Hymn. ms. cum Commento Hilarii saec. 13. Cod. Mantuan. E I 14.

44. De sancta Anna.

In Vesp. et Noct.

1. Anna, beatae virginis
Alma Mariae genitrix,
Quam Joachim de semine
Suo concepit viscere.

2. Post hunc de viro Cleopha
Altera soror edita,
Ejusdem quippe nominis,
Non tanti tamen hominis.

3. Post obitum sed Cleophae
Haec copulatur Salomae,
De quo proles est genita
Nomine primo praedita.

4. Sed prima virgo splenduit,
Quae Jesum Christum genuit,
Alphaeo viro reliqua
Joseph, minorem Jacobum.

5. Mater fuit sed tertia,
Est Zebedaeo dedita,
Quae est enixa inclitum
Johannem atque Jacobum.

6. Mater tantorum seminum
Pro nobis oret Dominum,
Nos a peccatis expiet
Et coeli sede collocet.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Sit patri, nato, flamini,
Qui trinus est et unicus
Per infinita saecula.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Angelicus D V 10. — 1, 3 Quem. — 4, 4 minori Jacobo. — 6, 3 Nos ut a.

45. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. O mater matris virginis,
Anna, decus ecclesiae,
Qua stella maris orta est,
Aeternae porta gloriae.

2. Qua trina proles editur,
Uno potita nomine,
De quaque germen promitur
Fusum coelesti nectare.

3. Jesus de prima nascitur
Sine virili semine,
Secunda, nata Cleophae,
Prolis est mater geminae.

4. Tertia, nata Salomae,
De Zebedaei germine
Johannis est apostoli
Sacri mater et Jacobi.

5. Quam rogitemus jugiter
Cum filiabus pariter,
Ut solvent nos a crimine
Et mentis a discrimine.

6. Patri, nato, paraclito
Sit decus, virtus, gloria,
Trino Deo et unico
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Angelicus D V 10.

46. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Plaudat coelestis curia,
Plaudat terrestris natio,
Felicis Annae gaudia
Nostra clamet devotio.

2. Vox omnis sonet gloriam,
Cor omne flagret gaudium,
Sonet Annae laetitiam
Omnis humana concio.

3. Cherubim ineffabilis
Factoris humanatio
Plus quam moeroris sterilis
Est probri compensatio.

4. Splendor superni luminis,
Theorica mysteria
Injuriosi nominis
Sunt sterilis stipendia.

5. Concepit non degenerem
Prolem promissam patribus,
Prolem novellam veterem
Praesentantem in manibus.

6. Gloria tibi, Domine,
Annae nate de filia,
Stirps, nepos, factor feminae,
Patris magnificientia.

Brev. ms. Farfense anni 1499. Cod. Roman. 204. Farfen. 16. A. — Brev. ms. Farfense saec. 15. Cod. Roman. 180. Farfen. 21. B. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. C. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). D. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis s. n. E. — 1, 1 Laudat C. — 2, 1 vox oris C. — 3, 1 Aetheris ineffabilis C. — 3, 2 Pausa moeroris AB, moerori C. — 4, 1 paterni AB.

47. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Immensae diem gloriae
Solis reduxit reditus,
Quo creatoris aviae
Redit ad Deum spiritus.

2. Quo refertur memoriae
Unum et totum gaudium
Ex hujus fructu filiae
Sorti datum mortalium.

3. Quo mater matris Domini
Est terrenis in gloriam,
Quo supernorum agmini
Est in jugem laetitiam.

4. Beati fructum uteri,
Lucem mundo parturiit,
De cujus salutiferi
Fructus gustu mors periit.

5. Felix conspector oculus
Rumpentis de te sideris,
Felix potitor populus
Tam gloriosi muneris.

6. Gloria tibi, Domine,
Annae nato de filia,
Stirps, nepos, factor feminae,
Patris magnificentia.

Hymn. ms. Sublacensis saec. 13. Cod. Sublacen. CCLXIX (Mazzat. 274). A. — Brev. ms. Farfense anni 1499. Cod. Roman. 294. Farfen. 16. B. — Brev. ms. Farfense saec. 15. Cod. Roman. 180 Farfen. 21. C. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavinae 734. D. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). E. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis s. n. F. — 1, 1 dies D. — 1, 2 reducit BCD, exitus D. — 2, 3 Et hujus D. — 2, 4 datur BC. — 4, 3 Luci mundum BCD. — 4, 4 Fructu A, gustum D, parturiit D. — 5, 1 oculis D. — 5, 2 Rupentis D. — 5, 3 populis D.

48. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Almi festi periodus
Reddit mundo laetitiam,
Quo coeli sumit synodus
Coeli factoris aviam.

2. Melus internae cytharae
Depromens hujus gloriam
Vocum mellito nectare
Nos cibet in laetitiam.

3. Dedit beatam hostiam,
Dedit incensum coelicum,
Dedit ad templum filiam
Holocaustum angelicum.

4. Quod dedit mirabiliter
Dei magnificentia,
Deo reddit humiliter
Humana reverentia.

5. O quale munus obtulit,
Quantae munus laetitiae,
Qualem de dono retulit,
Quam auctae vitae gratiae.

6. Gloria tibi, Domine,
Annae nate de filia,
Strips, nepos, factor, feminae,
Patris magnificentia.

Hymn. ms. Sublacensis saec. 13. Cod. Sublacen. CCLXIX (Mazzat. 274) A. — Brev. ms. Farfense anni 1499. Cod. Roman. 294. Farfen. 16. B. — Brev. ms. Farfense saec. 15. Cod. Roman. 180. Farfen. 21. C. – Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavinae 734. D. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). E. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis s. n. F. — 1, 4 Coelo ABC. — 2, 2 Melos CD, Celos B, Melus AEF. — 2, 3 mellete BC. — 2, 4 Nos cito D. — 4, 3 Reddit Deo F. — 5, 4 Quam autem vide D; gratia BC.

49. De sancta Anna.

1. Anna, mater matris,
Ex qua Dei patris
Processit sophia
Virgine Maria.

2. David regis nata,
Christo regi grata,
Joachim sponsata,
Figuris notata.

3. Mons, rubus et Deus
Tu, Maria, Jesus,
Flumen, stirps, fiscella,
Tu, puer, puella.

4. O germen beatum,
Ex te propagatum
Trium matronarum
Vere beatarum.

5. Prima parit Deum,
Secunda Alphaeum
Per tetrarchos ditat.
Terna duos litat.

6. Anna, nunc exsulta
Tali prole fulta,
Digna laude multa,
Excole inculta.

7. Sit laus patri, nato,
Flamini beato,
Annae per precata
Corruant peccata.

Hymn. ms. Benedictin. Brixien. saec. 13. Cod. Univ. Bononien 2558.

50. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Hymnum canamus gloriae
Praesenti die sacrata,
Qua in regno laetitiae
Jubilat Anna beata.

2. Haec Deo digne devota
Vitae prodiit gaudio,
Qua altissimo quam grata
Nata est Maria virgo.

3. Jam nunc, mater praecipua,
Prece salva assidua
Nos a morte perpetua
Per saeculorum saecula.

4. Unde, creator omnium,
Elargire supplicibus,
Ut jam per Annae meritum
Jungamur in coelestibus.

5. Praesta, pater ingenite,
Cum nato unigenito
Et tu simul, paraclite
Omnitenens perpetuo.

Brev. Vercellense imp. s. l. et a. — 3, 2 Praesalva per assiduum. — 3, 4 saeculum.

51. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. En gratulemur hodie
Christo Domino jucunde,
In cujus Anna gloriae
Rutilat sancta jubilo.

2. Haec rectaque timens Deum,
Simplex, vera et humilis,
Possidet cum prole coelum
Vero regi amabilis.

3. Quae diu prolem non habens
Repleta exstat gratia,
Qua spiritu sancto parens
Nata est virgo Maria.

4. Per hanc pater cum filio
Consolatorque spiritus
A criminum contagio
Nos hic emundet funditus.

5. Patri, nato, paraclito
Honor, decus et gloria,
Sanctae sint Annae merito
Nobis aeterna gaudia.

Brev. Vercellense imp. s. l. et a.

52. De sancto Ansano.

Ad Vesperas.

1. Martyr Ansane, non adhaerens pesti
Turbae profanae, lumine coelesti
Splendidus sane, tua corda plesti
Dogmate vero.

2. Nam duodeno quaerens anno sacrum
Voto sereno mysticum lavacrum,
Purgantem caeno lampade non macrum
Tu reperisti.

3. Sacer Protasi, quid de tanto miro
Fideli vasi toto mundo gyro
Mater det, quasi stupens te requiro
Murmure cantus.

4. Alta cum sede nuntius supernus
Duxerit caede stat hic silicernus
Latens in aede gliscens fore vernus
Fonte renatus.

5. Manu corona lactei candoris
Angeli bona nivei pudoris
Praetulit dona superi viroris,
Quae praeparavit.

6. Igitur plaude, civitas Senarum,
Hujus ac laude diem posce clarum,
Quem tibi gaude fore non avarum
In protegendo.

7. Laus creatori sit non generato,
Sit redemptori virgine plasmato,
Consolatori flaminique grato
Cuncta regenti.

Hymn. ms. Senensis saec. 14. Cod. Senen. J I 6. A. — Hymn. ms. Senensis saec. 15. Cod. Cathed. Senen. 25. 11. B. — Antiph. ms. Senense saec. 15. Cod. Cathed. Senen. M. C. — 5, 4 praeparaverant C.

53. De sancto Ansano.

Ad Nocturnum.

1. Aeterna nutu bajulans,
Martyr Ansane, praemium
Votoque miti postulans
Quaesisti coeli gremium.

2. Sertis duobus fulgidus,
Florens juventa candida,
Senensi turbae providus
Ut stella lucens splendida.

3. Nostras superno flamine
Mentes fideles imbui
Fac te precamur lumine
Cordis canendo cernui.

4. Laus digna Christum concinat,
Patrem simulque spiritum,
Qui sanctus orbes ordinat
Vitaeque pandit meritum.

Hymn. ms. Senense saec. 14. Cod. Senen. J I 6. A. — Hymn. ms. Senensis saec. 15. Cod. Cathed. Senen. 25. 11. B. — Antiph. ms. Senense saec. 15. Cod. Cathed. Senen. M. C.

54. De sancto Ansano.

Ad Laudes.

1. Ansani vita
Pollens margarita
Senensi proli
Pandit iter poli.

2. Monstrat et morte
Juvenis cor forte
Jugulo pratis
Arbiae rubatis.

3. O tuis signis
Igitur da dignis
Meritis, duras
Relegemus curas.

4. Flamini, nato
Cum patre beato
Voce psallamus,
Mente serviamus.

Hymn. ms. Senensis saec. 14. Cod. Senen. J I 6. A. — Hymn. ms. Senensis saec. 15. Cod. Catred. Senen. 25. 11. B.

55. De sancto Anselmo.

Ad Vesperas.

1. Anselme, praesul inclite
Lucae urbis ecclesiae,
Decus refulgens Mantuae,
Nobis succurre jugiter,

2. Ne angustemur laqueis
Hostis humani generis,
Qui studet nos comprendere
In omni sagaci fraude,

3. Nec nostra pro vesania
Coartemur ad Stygia,
Ubi tormenta cruciant
Hic defraudatas animas.

4. Sed cum dies advenerit
Nostrae carnis interitus,
Nos tua juti gratia
Percipiamus gaudia.

5. Quibus manes intrepidus,
Angelicis cum coetibus
Te exoramus vocibus,
Quibus scimus devotius.

6. Praestet haec nobis trinitas,
Concedat simplex unitas,
Quae nos Anselmi precibus
Consortes sui faciat.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavinae. 734. — 3, 4 Hic fraudatas animas.

56. De sancto Anselmo.

Ad Nocturnum.

1. Blanda prece deposcamus
Anselmi praesidia
Concinendo voce pia
laudes ejus inclitas,
Qui repletus zelo Christi
sprevit mundi vilia.

2. Hic cum esset vir fidelis
jam omni laude floridus,
Meruit episcopatum
Lucae urbis sumere
A Gregorio septeno,
tunc summo pontifice.

3. Qui cum foret consecratus
ab eo votissime,
Fingens templa visitare
se subjecit ordini
Monachorum Cluniacensis
sacrati coenobii.

4. Hic post inde revocatus,
sed non voluntarie,
Pontifice et jam praefato
Romanae sedis inclitae,
Ac sibi digne commendatur
Filia ecclesiae,

5. Comitissa Deo vota,
Mathildis egregia,
Quae una tunc sustentabat
sedem apostolicam,
Male dudum superatam
regis a saevitia.

6. Quanta vita sanctitatis
degerit sublimiter,
Sumpta cura memoratae
comitissae nobilis,
Panditur miraculose
almis ejus meritis.

7. Nam in obitu hujus tanti
adsunt viri nobiles,
Laici ac cardinales
nec non sacri pontifices,
Referentes Deo laudes
visis ejus miraculis.

8. Ope cujus et tutela
coadjuti jugiter
Paradisi sortiamur
gloriam feliciter,
Quod praestare condignetur
nobis Deus optimus.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 734.

57. De sancto Anselmo.

Ad Laudes.

1. Digne sepulto fulgido
Anselmo, Christi famulo,
Refulgent urbe Mantua
Ejus celsa miracula,

2. Mox divulgata ocius
Apostolorum vocibus
Conterminis in urbibus
Atque remotis gentibus.

3. Ad cujus sacrum tumulum
Concursus fit languentium,
Qui inde sani redeunt
Laudantes coeli Dominum.

4. Qui gratiam contribuit
Virgilianis civibus
Nec non conterminantibus
Terris, castris et arcibus,

5. Ut sanarentur meritis
Anselmi sancti praesulis
Corporeis lańguoribus
Et animarum sordibus.

6. Sint patri laudes jugiter
A nobis tam suppliciter,
Ut Christo nato dulciter
Serviamus fideliter.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 734. — 5, 1 Et sanarentur.

58. De sancto Antonino.

Ad Vesperas.

1. Ut Antonini gloriam
Concinamus uberius,
Afflare nunc pectoribus
Nostris, Deus omnipotens.

2. Is teneris ab unguibus
Sacros edoctus canones,
Mundi spretis illecebris
Christi se jugo subdidit.

3. Praedicatorum ordinem
Delegit inter ceteros,
Ut literis et moribus
Incumberet ardentius.

4. Sed non bene sub modio
Lumen ardens occulitur,
Ad praesulatum trahitur,
Lucens inflammans populus.

5. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula.

Hymn. ms. Praedicatt. Salmanticen. s. n. saec. 16. A. — Offic. ms. Florentin. saec. 16. Cod. Florentin. Magliab. XXXVI. 74. B. — Gehört zu den Hymnen Atrae noctis obscuritas etc. Analecta IV, 85.

59. De sancto Antonino.

Ad Vesperas.

1. Antonini solemnia,
Ex legione militis,
Veneratur Placentia
Pro serto sui capitis.

2. Claris ortus parentibus
Cunctis haesit virtutibus,
Sua dedit pauperibus
Norma factus divitibus.

3. Zelo accensus fervido
Locum quaerit martyrii,
Sermone inde fluido
Multos convertit fidei.

4. Daemon iratus acriter
Ipsum detraxit Caesari,
Pugil surgit celeriter
Currens ad campum bravii.

5. Caput ejus praescinditur,
Sanguisque ejus funditur,
Uterque truncus mergitur,
Sed clarum mirum panditur.

6. Sic aqua truncum integrum
Servat una cum capite,
Unda reduxit alveum
Litus petente martyre.

7. Quem aquae atque aquilae,
Nautae colunt angelicae,
Illae custodes corporis.
Istae ductrices capitis.

8. Aqua rubet Aegyptiis,
Cedit Israeliticis,
Vinumque fit in nuptiis,
Sed vas hic fusi sanguinis.

9. Festus festum instituit
Toto recepto martyre,
Cui locum nunc tribuit,
Quem spreverat pro hospite.

10. Savinus hunc Placentiae
Praesul traxit ex puteo,
Cui locum pro requie
Paravit ex marmoreo.

11. Gaude, placens Placentia,
In patre, prole, flamine,
Sancti corpus in patria
Divino habens numine.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placentini 18. A. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit. Placentini 20. B. — Psalt. ms. Placentinum saec. 15/16. Cod. Capit. Placentini 66. C. — 5, 1 praeciditur A, praecinditur C. — 5, 3 Utrumque A. — 8, 3 in fehlt A. — 10, 3 sq. paravit requie B.

60. De sancto Antonino.

Ad Noct. et Laudes.

1. Dies sacratus inclito
Antonini martyrio
Anni reducto circulo
Festum reddit in saeculo.

2. Laetetur grex humillimus,
Clerus uterque, populus
Festum recolat laudibus,
Claris ornet operibus.

3. Gestorum hic miracula
Christi perquirens lucida,
Spernendo mundi lubrica
Orbis lustravit climata.

4. Doctus voce dominica
Mundi contempsit gaudia,
Hostis vincens tripudia
Colli suscepit jugula.

5. Ignotus latens saeculo,
Deo notus tantummodo,
Annorum per curricula
Plura transegit tempora.

6. Urceolum cum sanguine,
Caput abscissum corpore
Savinus doctus somnio
Invenit in puteolo.

7. Dum ducitur ad tumulum,
Conspicitur miraculum,
Gutta profluxit sanguinis,
Ut daret fidem populis.

8. Cui tota plebs gratissima
Laude resultat debita
Ovantes suo tempore
Hoc revelato corpore.

9. Advenientes morbidi
Curantur, simul languidi,
Florent virtutes variae
Martyris Christi munere.

10. Nos quoque tui famuli
Precamur omnes cernui,
Ut tuis tuti precibus
Cunctis purgemur noxiis.

11. Auferto, quod deliquimus,
Conferto, quae deposcimus,
Ut nos commendes Domino
Hoste devicto pessimo.

12. Praesta, beata trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut nostra per solemnia
Tibi sit laus et gloria.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placentini 18. A. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit. Placentini 19. B. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit. Placentini 20. C. — Psalt. ms. Placentinum anni 1514. Cod. Capit. Placentini 49. D. — 1, 4 redit A. — 7, 3 profulsit A. — 10, 2 Precemur A. — Nach Str. 6 Divisio.

61. De s. Antonio Eremita.

1. Confer alternis personare vocis
Organis, alme cordium solator,
Incliti tui eremi cultoris
Vitae peracta.

2. Fere vigenos consummarat annos,
Inclita prole generosus exstans,
Cum sibi callem vendicat polorum
Indice Christo.

3. Audito sancto illico mandato,
Impiger aegris cuncta deputavit
Sponteque sua corpora devexit
Montis ad antra.

4. Ubi non pingues gestiebat victus,
Non vina dulci liquorata melle,
Simul et vestes fulgide contextas
Ultro projecit.

5. Tenui pastu pellebatur fames,
Amnis fluenta poculum praestabant,
Tegmine vili frigus arcebatur
Archimandritae.

6. Christi qui plenus opere pollebat,
Sobrius, castus coelicis adstabat
Choris, o quanta mira satagebat
Pro caritate.

7. Perpetim sacros macerabat artus,
Quo longe turpans exsularet luxus,
Crebra contorquens viscera jejunio
Clausus in antro.

8. Tartari turmae invasere pium,
Flammam vomentes fremitu funesto,
Passimve diris ictibus urentes
Famulum Dei.

9. Fortis athleta fide loricatus
Spernit deliros daemonum furores
Atque deridet minas et rugitus
Mente secura.

10. Mirum in modum caritate fervens
Vasta per loca monachos adibat,
Pectora quorum arida fovebat
Famine sacro.

11. Cum jam ad astra victor coronatur,
Undique currunt coetus monachorum,
Lacrimis plenis osculando pedes
Patris beati.

12. Trinitas alma semper collaudetur,
Christo sit decus gloriaque digna,
Patris Antoni meritis juvemur,
Pater aeterne.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — 7, 4 Clausus in Antonio. — Nach Str. 6 Divisio.

62. De s. Antonio Eremita.

Ad Vesperas.

1. Antra saltus petit altus
Vita sacer . . . . . .
. . . . . .
Rector potens, verax
Deus.

2. Signo crucis nostri ducis
Fuga catervas daemonum,
Ductu clarens lux apparens,
Christe redemptor
omnium.

3. In te fidit, dum te vidit
Inspectorem certaminis:
Ubi eras, frater verax,
Consors paterni luminis?

4. Te videbam, non linquebam
Gaudens tuo certamine,
Fortis pugil, esto vigil
A solis ortus cardine.

5. Sic invictus stat, cum Christus
Ipsius sanat vulnera,
Polo tractus fuit nactus
Aeterna Christi munera.

6. Hostem pelle, culpam dele,
Nos duc ad vitae semitas,
Tecum nati sint beati,
Tu trinitatis unitas.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Rossian. s. n.

63. De s. Antonio Patavino.

Ad Laudes.

1. Felix pater Antonius
Coelos conscendit hodie,
Suscepit eum obvius
Splendor paternae gloriae.

2. Antoni, pater nobilis,
Coelesti fulgens curia
Donet per te rex gloriae
Beata nobis gaudia.

3. Patri sit laus et filio
Paraclitoque flamini,
Quem laudat coeli solio
Iste confessor Domini.

Brev. ms. S. Laurentii Ulciensis (Oulx) saec. 15. Cod. Taurinen. Reg. 11. — 3, 2 que ergänzt.

64. De s. Antonio Patavino.

1. Chori nostri praeconium
Laudes resultat Domino,
Miranda per Antonium
More patrata pristino.

2. Iberi potu fluminis
Aegra sanavit corpora
Virtus superni numinis,
Per idem sanans pectora.

3. Alumno felix inclito
Congaudet omnis Spania,
Ex cujus tota merito
Fit celebris Italia.

4. Sed Paduana potius
In laudem surgat civitas,
Per hunc instructa plenius,
Rectas tenere semitas.

5. Qui tuo quondam populo
Vitae fundebat pocula,
Quo sit insignis titulo,
Declarat per miracula.

6. Membris ejus mirificis
Ditata Dei munere,
Rebus elabi lubricis,
Magistro disce paupere.

7. Pauper natus de virgine
Christus, dilector pauperum,
Egentes sine crimine
Ditet hic et in posterum.

8. In tua laude sedulis,
Antoni beatissime,
Tuis adquire famulis
Dici pacem ultimae.

9. Praesta, beata trinitas,
Quod postulamus supplices,
In domo, quam inhabitas,
Dans nobis stolas duplices.

Brev. ms. S. Benedicti Vallisoletani saec. 14. Cod. Scorialen. P II 1. A. — Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85. B. — 1, 2 Laude resultet B. — 2, 1 Hiberi A, Uberi B. — 2, 4 sanas opera B. — 3, 2 omnis Hispania A; Congaudeat Hispania B. — 5, 3 Quo fit in signo A. — 9, 3 inhabitas fehlt B. —

65. De sancto Apollinare.

1. Apollinaris martyris
Piis triumphum vocibus
Laetisque palmam mentibus
Promat fidelis concio.

2. Petri Ravennam jussibus
Pergens ocellis lumina
Prius dedit, quam moenia
Intraret Christum praedicans.

3. Exin tribuni conjugem
Aegram cubantem lectulo
Reddens saluti pristinae
Plures vocavit ad fidem.

4. Mutum rogatus visere,
Jens puellam spiritu
Curavit a nequissimo
Fandique morem contulit.

5. Vitam refudit filiae
Rufi solutae corpore
Mortisque vinclis liberam
Christo sacravit virginem.

6. Squalore leprae sordidum
Monens fideli pectore
Regem supernum credere
Tingens sanavit gurgite.

7. Tauri carentem lumine
Pulsis tenebris filium
Phoebum serenis visibus
Perfecit orans cernere.

8. Haec inter aras daemonum
Delubra sibi diluit,
Caedes famesque pertulit,
Coelo refudit spiritum.

Brev. ms. S. Jacobi in Pontida saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Vatican. 82. A. — Manuale ms. Ambrosianum saec. 13. Cod. Ambrosian. C 23 inf. add. saec. 14. B. — 2, 4 Intrare B. — 4, 2 puella spiritum A. — 6, 2 fidei pectore B. — 6, 4 Ungens sanavit B. — 7, 1 carente A. — 7, 3 Phenum A, Febum B. — 8, 3 Aedes A, protulit B.

66. De sancto Apollinare.

Ad Laudes.

1. Dum coeli sphaera volvitur,
Praeclara dies oritur,
Quam martyr apostolicus
Luce perfudit obitus.

2. Quam gloriose moritur,
Qui moriendo oritur,
Tunc vere vitam invenit,
Cum morte carnis interit.

3. Sancto exutus corpore
Stola vestitur gloriae,
Carnis exit ergastulum,
Coeli intrat palatium.

4. Exsulta jam, metropolis
Ravenna vere nobilis,
Quod Roma in clavigero,
Tu habes in discipulo.

5. Te, summe praesul, poscimus
Cordis orisque vocibus,
Ut nos venturo judici
Commendes prece supplici.

6. Gloria sit ingenito
Patri et unigenito,
Sancto simul spiritui,
Deo indivisibili.

Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Laurentian. Conv. sup. 524. A. — Miss. et Antiph. ms. Benedictin. saec. 11. Cod. Capit. Perusini 16. B. — Brev. ms. S. Mariae Rotundae Ravenn. saec. 12/13. Cod. Rossian. s. n. C. — 1, 1 Dum poli sphaera C. — 1, 3 Qua C. — 2, 3 vita A. — 2, 4 carnis ruerit B. — 5, 1 exuto B. — 5, 4 preces C. — 6, 4 invisibili C. — Str. 4 ff. fehlen B.

67. In sancti Aspren.

1. O sancte praesul inclite,
Aspren, Deo dignissime,
Coelorum regem Dominum
Ora pro nobis omnibus.

2. Aspren beate, quaesumus,
Nostris adesto precibus,
Ut tua sancta merita
Perducant nos ad aethera.

3. Sanctus Petrus apostolus
Dedit te nostro populo
Et fecit te episcopum
In nostro loco primitus.

4. Creator rerum omnium
Protexit te in omnibus
Et dedit tibi gratiam
Salvare multas animas.

5. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29.

68. De sancto Aspren.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosi
Praesulis magnalia,
Voto cordis gaudiosi
Laeta dans praeconia,
Dum Aspren ad luminosi
Regni transit gaudia.

2. Dum princeps apostolorum
Verbum verbo praedicat,
Pro salute populorum
Carnem factum indicat,
Circa finem saeculorum
Aspren mentem applicat.

3. Surgens enim de languore
Virtute praeconii,
Sospes factus cum vigore
Firmati vestigii
Petrum adit, cujus rore
Pinguescit eloquii.

4. Primus ergo Christianus
In hac urbe gratiam
Novae legis sumens, manus
Firmat et ad patriam
Vitae plebem ducit sanus
Per doctrinae gloriam.

5. Verba namque comitantur
Virtutum insignia,
Caecis visus, mancis dantur
Membrorum officia,
Gressus claudis reparantur,
Cunctis fit laetitia.

6. Tantum igitur doctorem
Devotis officiis
Imploremus protectorem,
Cujus beneficiis
Amplectemur salvatorem
In coeli deliciis.

7. Regi regum salus, vita,
Laus et jubilatio,
Olim nunc et semper ita,
Decus, exsultatio
Ei, cujus infinita
Permanet duratio.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

69. De sancto Aspren.

Ad Laudes.

1. In Aspren natalitio
Jubilemus alacriter,
Qui nobis a principio
Fidem plantavit largiter.
2. Quam plene primus avide
De Petri fonte sumpserat,
Veritatem dilucide
Verbo doctrinae reserat.
3. Doctrina vitae gratiam
Firmat atque virtutibus
Miraculorum gloriam
Veram profert obtutibus.
4. Quo fit, ut urbe civium
Currant ad fontem gratiae,
Benignum Dei filium
Sibi quaerentes anxie.
5. Peracto cursu fortiter
Pastoralis officii
Consequitur feliciter
Cursum centeni praemii.
6. Gloria tibi, Domine,
Qui nunc Aspren irradias,
Prece cujus in agmine
Sanctorum nos suscipias.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

70. De sancto Athanasio.

Ad Vesperas.

1. Sacri pontificis festis solemnibus
Aeterni judicis vacemus laudibus,
Cujus opificis donis coelestibus
Congaudet Athanasius.
2. Oblatus parvulus a genitoribus
Praesuli famulus, sacris in moribus
Instructus sedulus, sic carus omnibus
Fit clarus Athanasius.
3. Ordo Leviticus dum per hunc geritur,
Cultus Dominicus in ipso cernitur,
Sic vir angelicus dignus eligitur
Pontifex Athanasius.
4. Post pontificium horrens pigritiam,
Implens officium pressam ecclesiam
Viribus hostium trans priscam gloriam,
Restaurat Athanasius.

5. Pulsus ab hostibus adversa pertulit,
Persecutoribus gratiam retulit,
In vitae foribus Christo se contulit
Devotus Athanasius.

6. Coelestis gloriae praesens obtutibus
Nobis quotidie miris virtutibus
Confert laetitiae dona supplicibus
Inclitus Athanasius.

7. Sit laus unico trinoque numini,
Qui sursum coelico imperat agmini,
Cujus glorifico conspectu Domini
Fruitur Athanasius.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — 2, 3 Instruitur. — 7, 1 laus zweisilbig. — 7, 4 Nunc fruitur.

71. De sancto Athanasio.

Ad Laudes.

1. Gaude, felix ecclesia,
Tanto festiva praesule,
Clara ducens solemnia
Tenebras solve nebulae.

2. Laudes pange devotius
Aeternae regi gloriae,
Pontifex Athanasius
Coelum conscendit hodie.

3. Prudens, pudicus, humilis,
Misericors et sobrius,
In veritate stabilis
Christo cohaesit strictius.

4. Vita, doctrina, regimen,
In malis tolerantia,
Omne virtutis specimen
Splendet ex ejus gratia.

5. Flagrans odor de corpore,
Miraculorum claritas
Monstrant, in ejus opere
Quae coruscavit sanctitas.

6. Jam nunc pro sacris meritis
Coelestem tenens gloriam
Clemens devotis subditis
Nobis precetur veniam.

7. Uni trinoque Domino
Sit aeterna laudatio,
Qui nos in vitae termino
Sistat cum Athanasio.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

72. De sancto Attala.

Ad Vesp. et Noct.

1. Exortus in Burgundia
Ex nobili prosapia
Christi confessor Attala
Haec meruit praeconia.

2. Ad scholas primo mittitur,
Post monachus efficitur,
Sub Columbani ferula
Degens sine fallacia.

3. Quem primitus edocuit
Et postmodum substituit
Ornatum dignis moribus
In regenda familia.

4. Rebelles multos habuit,
Hos tamen non deseruit,
Quos a praesumptis fascibus
Purgavit poenitentia.

5. Torrentis mutat tramitem
Et fratrem facit sospitem,
Dum sibi reddit pollicem,
Quem perdidit incuria.

6. Puerulum a febribus
Sanat et divis vocibus,
Docetur mentis apicem
Levandum ad coelestia.

7. Hic infirmatus graviter
Crucem orat suppliciter,
Ad Deum clamans fortius
Coeli videt sublimia.

8. In fine vocat socios,
Quos fore pios instruit,
Sicque migrans suavius
Regnat vivus in patria.

9. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sancti sint hujus merito
Nobis aeterna gaudia.

Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22.

73. De sancto Attala.

Ad Laudes.

1. Laudemus Christi Attalae
Confessoris constantiam
Multa splendent miracula
Per ipsum in ecclesia.

2. Fluviolus nam Bobii
Excrescens ultra terminos
Molendinum coenobii
Suffodit unda turbida.

3. Agribodus prospiciens
Cuncta videbat dirui,
Festinus clamat: o pater,
Succurre prece supplici.

4. Tunc Sinoaldo inquiens
Ait beatus Attala:
Cum, quo sustentor, baculo
Tu flumen illud increpa.

5. Accepto namque baculo
Ex fide sedat fluvium.
Et sic, qui erat maximus,
Decrescit et fit humilis.

6. Tu qui portas aromata
Dimissis mundi turpibus,
Nos tecum duc ad coelica
Pro tuis sanctis precibus.

7. Sit tibi semper gloria
O Eloi, o Domine,
Quem adoramus dulciter
In trinitatis nomine.

Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22.

74. In Conversione s. Augustini.

Ad Nocturnum.

1. Auxit errorem nubilo
Augustinus in dogmate,
Mox lumen reddit saeculo
Renatus in baptismate.

2. Blasphemos Christi confutat,
Polum Dei circumvolat,
Cultum deorum abdicat,
Unum colendum reserans.

3. Cedit gentilis vanitas
Deorum pressa pondere,
Fulget divina veritas
Pro lucis orto sidere.

4. Doctor, doctorum optimus,
Ut sacrum dogma protulit,
Miratus est Hieronymus,
Clara fides emicuit.

5. Edificat ecclesiam
Sacrae doctrinae pabulo,
Prodit sacra mysteria
Mirae vocis oraculo.

6. Fremit pestis haeretica
Verbi percussa gladio
Divini, plebs catholica
Repletur vero gaudio.

7. Gentiles et catholicos
Scriptores omnes superat,
Isidorus mirificus
Ut doctor almus autumat.

8. Honor, virtus et gloria
Sit trinitati, gratia
Cujus clausa praeconia
Is sua fecit publica.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Senen. F VII 4. A. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Capit. Patavini A 64. B. — 1, 1 Duxit errorem A. — 1, 3 redit B. — 2, 3 donorum B. — 2, 4 ymnum colendum B. — 3, 2 Donorum pressa B. — 4, 3 Jeronymum B. — 6, 3 Divina A. — 8, 4 fecit praevia A.

75. In Conversione s. Augustino.

Ad Laudes.

1. Christe, qui regis Israel, intende,
Suscipe preces, quibus te precamur,
Ut digne laudes promere possimus
Praesulis almi,

2. Magni doctoris, patris Augustini,
Quem relevasti pelago profundo,
Ut reniteret gregi tuo sancto
Celsior cunctis.

3. Omnes acutas artes liberales
Facile discit nemine tradente,
Nec te notescat, nisi tu doceres,
Te fore cibum.

4. Cum te audiret, mire radiatur,
Legis arcana reserat et docet,
Te trinum monstrat pariterque unum
Stupore mentis.

5. Tuam exponit altam civitatem
Et infernorum, simul et praesentem,
Quam redemisti pretio cruoris,
Pulchre reformat.

6. Secat errores, regulat conversos,
Mores declarat, quidquid dici potest,
Nihil omisit, quod non aperiret,
Sol omne gyrans.

7. Laus genitori genitoque detur,
Flamini sancto, toti trinitati,
Qui nobis claret Augustini dictis,
Gloria Deo.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Senen. F VII. 4. A. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Capit. Patavin. A 64. B. — 2, 2 revelasti A. — 7, 3 tuo sancto gregi B. — 3, 4 Te forte cibum B. — Str. 4 und 5 umgestellt B. — 4, 1 Cuncte audivit B; radiatus B. — 5, 1 Tandem exponit B. — 5, 2 Te infernorum semper et A. — 5, 3 pretio crucis AB. — 5, 4 deformat A. — 7, 3 Quae nobis A. —

76. In Translatione s. Augustini.

Ad Vesp. et Noct.

1. Augustine, lux doctorum
Canens palinodium
Sublimaris in superna
semper gliscens aethera,
Quorum luce reserasti
Terras cunctas fidei.

2. Tuum larem, pater vigens,
subjugantes barbari
Trucidarunt et alumnos
incolentes pariter,
Atque tuum almum corpus
contractabant turpiter.

3. Idolatrae te foedabant
veritatis aemuli,
Cum sepulchrum spurcitabant
ritu idolatriae,
Unde tuam sanctam thecam
ordinabant stabulum.

4. Sumunt docti sacra fide
decernentes firmiter,
Sacrum corpus famebundi
sublimare celsius,
Ut proponunt, exsequentes
gestant in Sardiniam.

5. Gaude, praesul agonista,
nanciscator fidei,
Tuum corpus plebe fratrum
in ferali schemate
Summa virtus alte pandit
prae donorum gratiis.

6. Elucescit velut mane
tuum sidus caelibe,
Cum dextralis deitatis
fusa luce rutilas
Atque signis almis micans
decoratu redimis.

7. Honor, decus genitori,
sit laus sancto flamini,
Sacrosanctae trinitati
salus et imperium,
In qua sumus nos beati
verbi patris praemio.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Capit. Patavini A 64. — 1, 2 palidonium. — 1, 6 Terra cuncta. — 3, 5 sanctam tecla. — 5, 2 nam ciscator. — 5, 5 alte pendit. — 5, 6 Lies pro donorum? — 6, 1 sq. velut matutinum sidus.

77. In Translatione s. Augustini.

Ad Laudes.

1. Augustinus deificus
Arcana legis lucidans
Superno fuso lumine
Per totum orbem rutilat.

2. Erutilat prodigiis
Depressum corpus turpiter,
Cum fertur de Hipponia
Locandum in Sardiniam.

3. Foedabant foedi barbari
Corpus almum seraphicum,
Cum thecam ejus spurcide
Tractabant in Hipponia.

4. Tollunt corpus almifici
Ferentes in Sardiniam,
Sulcantes noctis spatio
Iter bimestri temporis.

5. Sardinenses citissime
Assumunt corpus splendidum,
Plures aegrotos liberat
Caecisque visum offerens.

6. Clarum corpus almificum
Fretum divino munere
In Castro Caro ponitur
Cuncto refulgens aetheri.

7. Laus [sit plebs] sursum offerens
Pro suo sancto Domino,
Ut nos regnare faciat
Cum sanctis coeli civibus.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Capit. Patavini A 64. — 1, 2 Arcam legis. — 2, 2 Depresso. — 3, 2 seraphicus. — 7, 1 Laus sersum offerens. — 7, 2 Pro seucando Dominum.

78. De sancto Babilla.

1. Babillae festum colere
Certantis pro Christi fide
Nos decet atque pangere
Hymnum danti victoriam.

2. Adstantibus alloquitur
Hic sanctus, ut viriliter
Exspectent, dum resisteret
Tyrannicae saevitiae.

3. Bellum gerit vir inclitus,
Stupet tyrannus impius,
Boiis et compedibus
Artat pastorem populi.

4. Ira repletus citius
Doctorem torqueri jubet
Et acciri puerulos
Nutritos a pontifice.

5. Cassat hos crudelissime
Clamitantes, o impie,
Cur nostrum torques dominum?
Gehenna dona tua sunt.

6. Luce divina fruimur,
Nam mori mundo malumus,
Quam coeli Deum linquere,
Quem veneramur optime.

7. Auditis nam his properat
Lupus, sanctos ut perimat
Et protulit sententiam
Morti adesse deditos.

8. Sed tunc Babillas statuit
Dextra infantes laevaque
Et ait: ecce pueri,
Quos mihi dedit Dominus.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 1, 2 Cum tantis.

79. In sancti Barbati.

Ad Vesp. et Laud.

1. Pangamus pariter carmina cantibus,
Fratres, nunc Domino, omnium arbitro,
Coetus aetherici organa concinant,
Voces harmoniae sidera verberent.

2. Sanctis quique suis sidera contulit,
Aegros ut relevent, daemones effugent,
Nigrum haud noceat virus et aspidis,
Cunctos per populos gaudia seminent.

3. E quibus famulis sidus ut Eoum
Barbatus meritis clarius emicat,
Docens catholicam fidem in omnibus
Languores diluit, expulit haeresim.

4. Ostendit Romuald, Samniae principi,
Sanctam theotocon, virgo puerpera
Expians animum illius hebetis
Compellit Domino credere maxime.

5. Samnites populos eruit hostibus,
Credentes fatuis religionibus,
Fregit vipereum nempe simulacrum,
Formavit patenam hinc calicem quoque.

6. Pellis sacrilegam incidit arborem,
Pendens qua jaculant, sacrum ut ederent,
Bardorum soboles moribus exteris,
Cedunt corvipedes calcaribus suis.

7. Postquam sacra colit rite per ordinem,
Lotis tunc manibus haustaque vasculis
Libantes latices aeger et insanus
Surgunt incolumes salvata somata.

8. Praesul magnifice, cernue poscimus
Regem terribilem precibus obsecra,
Ut culpas deluat, crimina dissipet
Et nos participes annuat angelis.

9. Laudes altithrono semper in aethera
Patri et genito concio depromat
Fratrum perspicue, aequus honor quoque
Sancto spiritui sitque paraclito.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11/12. Cod. Neapolitan. VI E 43. — 2, 4 per fehlt. — 3, 1 Eous. — 5, 2 fatuit. — Zu Str. 5 vgl. Acta SS. Feb. III, 144 n. 14. — Zu Str. 6 ibid. 142 n. 2. — 9, 1 altithroni. — Nach Str. 4 Divisio ad Laudes.

80. De sancto Bartholomaeo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Lucis vergente spiculo
Solem vesper subsequitur,
Noctis taetrae crepusculo
Fulgens sidus praemittitur.

2. Post Christum lumen luminum
Lucernae splendent populis.
Impietatis tenebras
Pellunt a cordis oculis.

3. Ex his jubar in India
Bartholomaeus emicat,
Divina sapientia
Orbis umbras eliminat.

4. Jesu benigni filius
Patris sectatur opera,
Docens orat intensius,
Corda levat ad aethera.

5. Rebus alludens nomini
Coelo suspendit animas,
Gentes conformans numini
Mentes extollit infimas.

6. Mundum totum sub pedibus
Ponit regis Polymii.
Dum regnum sub effectibus
Spernit spe summi praemii.

7. Tibi Deo sit gloria
Pro tanti ducis gratia,
Post mortem nos in patria
Patri natos adsocia.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Vatican. 9217. — 1, 1 speculo. — 5, 2 Coeli. — 6, 4 Sternit spe.

81. De sancto Bartholomaeo.

Ad Laudes.

1. Noctis pulsa caligine
Jam diem sol initiat,
Culpae tersa fuligine
Virtutis lux proradiat.

2. Aurorae fulsus radiis
Apostolus Polymio
Adest, cor replet gaudiis,
Solo testante pseustio.

3. Voce tubali clamitat
Christi laudes in populo,
Dum verbum caro praedicat,
Deus qui est a saeculo.

4. Contrariis contraria
Dissolvi fide consona,
Per Christum probat vitia
Tolli lege non dissona.

5. Hic idolorum sordibus
Pulsis a fanis imprimit
Crucis formas in domibus,
Quibus Satan vim reprimit.

6. Figmenta frangat hostium
Idem a nostris mentibus,
Reformet vires cordium
Piis orationibus.

7. Trino Deo et simplici
Bartholomaei gratia
Nos jungat voto supplici
Precis jugis instantia.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Vatican. 9217. — 1, 2 sol inictigat. — 6, 1 frangit.

82. De sancto Bartholomaeo.

1. Laudes canamus Domino
Pro celebri tripudio
Bartholomaei praesulis,
Vacantis mundi studiis.

2. Coelestis jussu medici
Fanum subintrat idoli,
Extemplo daemon aestuat,
Responsa dare vetitat.

3. Regis natam Polymii
Fraude deceptum impii
Solvit Christi discipulus
Multis coram languentibus.

4. Summo mane diluculo
Adventat rex cum populo,
Ut thura dantes idolo
Excludat cum apostolo.

5. Illusor idem adfuit,
Colliso, in quo decipit,
Adveniente angelo
Fidem augente populo.

6. Haec tam mira scientibus
Bissenis civitatibus
Undis baptismi deditis
Se cunctis privant idolis.

7. Templi cultores illico
Suscepto patrocinio
Excoriant apostolum
Dei clamantem filium.

8. Rogemus ergo sedule
Passum pro Christi nomine,
Ut eum exorantibus
Medelam praestet omnibus.

Brev. ms. Abiaschae in Lepontiis saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Ambrosiam. X 22 sup. A. — Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. B. — 1, 4 vagantis B. — 4, 4 Excludant B. — 5, 1 ide B. — 5, 4 Fide AB. — 8, 4 praestet fehlt B.

83. De sancto Bartholomaeo.

1. Vitae vena, lux amoena,
Decus bonarum mentium,
Nobis dona vitae bona,
Christe redemptor omnium.

2. Qui sanctorum beatorum
Exstas corona gloriae,
Quos decoras, quos honoras,
Summae Deus clementiae.

3. Jubilemus et laudemus
Bartholomaeum vocibus;
Chori cantent, omnes laudent,
Exsultet coelum laudibus.

4. Demptum terris, datum coelis
Poenarum monstrant onera,
Quae portavit, nam intravit
Aeterna Christi munera.

5. Christum sequens, mortem pellens
Pelle nudatur propria,
Sibi fertur et confertur
Aeterna coeli gloria.

6. Cujus prece nos a faece
Culparum terge coelitus
Et immitte pignus vitae
Nunc sancte nobis spiritus.

7. Mortem dele, Satan pelle,
Agonitheta nobilis,
Nos informa vitae norma,
Consors paterni luminis.

8. Te devote, mundo note,
Precamur, sancte monitor,
Nos precantes et laudantes
Audi, benigne conditor.

9. Jucundemur et laetemur
De tanti patris munere.
Melos demus et cantemus
Jam lucis orto sidere.

10. In felici regno Christi
Summum regnat tripudium,
Quo nos ducas et inducas,
Rex gloriose martyrum.

Psalt. ms. Tarvisinum saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Tarvisin. (Commun.) 255. add. saec. 14. — 8, 1 mundi.

84. De sancto Basilio.

1. Pangamus festum praeclari
Nunc praesulis Basilii,
Qui sprevit mundi gaudia,
Coeli captavit praemia.

2. Nam tantam a crepundia
Frugalitatem capiens,
Ut in poli fastigia
Foret columna ignea.

3. Ardens amore fidei,
Baptisma Christi cupiens,
Ut in Jordanis flumine
Baptizari promeruit.

4. Intrante jam Basilio
In amne tunc Jordanico
Columna sancti spiritus
Turbans aquae vestigium.

5. Lotus undis Jordanicis
Fretus armis Dominicis
Pugnavit contra rhetores
Donum perversum respuens.

6. Favor vulgi attollitur,
Clarus praesul eligitur,
In Cappadoco solio
Inthronizatur illico.

7. Rex Julianus impius
Pergens ad bellum Persicum
Valde conjurans aratris
Locum findere praesulis.

8. Statim ad montem Libani
Pergensque cum Christicolis
Rogansque matrem Domini,
Ut subveniret populis.

9. Tunc illa sancto praesuli
Apparuit Basilio
Dans ei librum aureum
Confortansque cum populo.

10. Quae jussit tunc Mercurio
Ire ad bellum Persicum,
Ut Julianum perfidum
Suo pungeret gladio.

11. Laetus revertens pontifex
Ad propria cum populo
Preces fundendo Domino,
Qui verbo regit saeculum.

12. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 2, 1 ac crepundia. — 5, 3 rectores. — 7, 3 convivans.

85. De sancto Benedicto.

1. Aureo solis radio perenni
Hac die totus decoratur orbis,
Ut tuus felix, Benedicte, festis
Clarior adsit.

2. Bella mirandis opulenta factis,
Signa virtutum, speciale munus
Regulae praebent tibi sempiterno
Tempore laudes.

3. Clares aetatis teneris ab annis
Moribus, vitam quibus ordinasti,
Cum voluptati dederis nec ulli
Intima cordis.

4. Deditur tanto prius id triumpho,
Vas quidem fractum, muliebre damnum,
Quod puer sanum prece lacrimosa
Restituisti.

5. Exhibens sanctus celer institutum
Artium summis studiis relictis
Rebus et patris fugis et salebri
Veste bearis.

6. Foveras antro tua membra parvo
Mensibus versis novies quaternis,
Quo manens nullis hominum sed uni
Notus haberis.

7. Grata divino tibi festa nutu
Conferunt pastum, latitans videris,
Fama fit, vulnus perit omne mentis
Vulnere carnis.

8. Hinc crucis signum bullulans veneni
Poculum frangit, vaga mens fugatur,
Virgulae tactu fluit e cavato
Marmore lympha.

9. Insilit ferrum capulo reversum,
Mollis humanos regit unda passus,
Qua tuam raptus Placidus melotem
Cernere fertur.

10. Karus horrendam tulit ales escam,
Fles nimis sontis nece motus hostis,
E loco cedens solito petisti
Liris amoena.

11. Lubricus strata fuit anguis ara,
Aggravat pondus, strepit igne falso,
Sed nihil contra valet inchoatum
Ferre laborem.

12. Membra collapso lacerata muro
Sana redduntur, patulo probantur
Fratribus furtim male facta, regis
Panditur astus.

13. Noxa libantem necat et ruina
Sedis electae patet, obtinentur
Spiritus, rapto latitare vino
Cernitur hydrus.

14. Objicis fratri, quod inane fecit,
Inspicis mentem penitus rebellem,
Copiam prodis gravidisque somno
Consulis index.

15. Perfidos tellus procul egit artus,
Sistit errantem draco, cessit ulcus
Regium, nummi subiere, fugit
Horrida pestis.

16. Quod cadit, vitrum patet esse salvum,
Vasa producunt oleum, chelydrus
Pellitur dextra, manuumque loca
Visio solvit.

17. Reddito vitae puero subire
Caeclicas sedes animam sororis
Et velut solis radio sub uno
Omnia cernis.

18. Scandis ardenti sacer orbe praesul
In coelum via facibus corusca,
Quando ter ternis tribus et Kalendis
Instat Aprilis.

19. Te canit laetus chorus angelorum
Patriarcharumque et apostolorum
Et prophetarum meritis ab omni
Parte beatum.

20. Ut sit hujus plebs memor ista laudis,
Hic ames dici, pater, hanc decenter
Si doces, laute refove polumque
Scandere praebe.

21. Xriste, devoti pretium laboris,
Confer istius prece nos juvari,
Cujus exemplo peritura foedi
Liquimus orbis.

22. Ymnus hic noster, Benedicte princeps,
Sit tibi semper placidus, tuorum
Qui salus es, lux, decus et perennis
Laus monachorum.

23. Zeta coelestis pretiosa regis
Te facit veris celebrem trophaeis,
Unde nos semper petimus frequentes
Nocte dieque.

24. Doxa sublimi maneat parenti
Ejus et sacro diadema nato
Et tibi virtus, utriusque compar
Spiritus alme.

Cod. Casinen. 280. saec. 11; Martinengius l. c. p. 174. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

86. De sancto Benigno.

Ad Vesperas.

1. Benigni sancti martyris triumphum
Corde decantet coetus monachorum,
Virginum chorus melosque depromat
Hodie laetus.

2. En adest dies solemnis in orbe,
Quo martyr sanctus nomine Benignus
Coelos ascendit lancea peremptus
Amore Christi.

3. Nunc potens martyr meritisque celse,
Aures ad nostras, pietas immensa,
Preces inclina, subleva jacentes,
Benigne pater.

4. Ille supernus, cujus pro amore,
Genitor Jesu, sanguinem fudisti,
Meritis tuis gaudia coelorum
Donet ex alto.

5. Gratia Christi tribue salutem,
Aufer et morbos, pariter retunde
Partes adversas, inimicos atque
Pacem turbantes.

6. Nunc, sancte, nobis precibus, benigne
Spiritus, sacri martyris Benigni
Procul absistat perfidus malignus
Suis cum dolis.

7. Ut queant tui famuli Benigni
Martyris, Christe, laudes personare,
Procul averte crucis inimicos
Finibus nostris.

8. Sumpsit Benignus gaudia coelorum,
Hodie laetus gaudet angelorum
Et monachorum choris interesse
Cum Christo regnans.

9. Sit trinitati laus et imperium,
Quae pane pavit coelitus Benignum,
Ejus precatu conferat et nobis
Coelitus panem.

Offic. ms. S. Benigni saec. 16. Cod. Univ. Januen. A. IV 32. — Abschrift aus älteren Quellen mit der Aufschrift: „Officium antiquissimum sancti Benigni martyris.“

87. De sancto Benigno.

Ad Laudes.

1. Benigni sacri merita
Pangamus omnes socii
Et fratres voce sonora
Laudes decantent martyri.

2. Dies solemnis agitur,
Quo sanctus hic de corpore
Polum migravit igitur
Lanceae fossus vulnere.

3. Gallorum genti perfidae
Sacer hic martyr praedicat,
Potenti verbo gratiae
Cunctos paganos increpat.

4. Et signis et virtutibus
Occurrit, docet perfidos
Curatque mentis oculos,
Dum verbo curat languidos.

5. Adeptus est quam maxima
Hic ter beatus gaudia,
Nos nostra solvens debita
Reddat supernis civibus.

6. Hic enim vinctus caeditur,
Non tam Benignus nomine
Quam gratia, qua cernitur
Micare tot virtutibus.

7. Hic clara caecis lumina,
Hic grata mutis famina,
Hic cunctis surdis monita,
Hic recta claudis pervia,

8. Hic corporum, hic mentium
Medelam dat fidelibus,
Hic supernorum civium
Quam plures donat coetibus.

9. Hujus Benigni precibus,
Nos solve, Christe, vinculis,
Quorum tenemur nexibus,
Ne potiamur praemiis.

10. Gloria tibi, trinitas,
Concede, simplex unitas,
Ut hujus almi precibus
Tuis fruamur gaudiis.

Offic. ms. S. Benigni saec. 16. Cod. Univ. Januen. A IV 32.

88. De sancto Bernhardo.

1. Gaude, mater ecclesia,
Quod novum praestat Gallia
Solem luce praefulgida,
Bernhardum a Burgundia.

2. Qui noscit ab infantia
Carnis vitare vitia,
Virginum inter agmina
Florens virtutum copia.

3. Cum sacro coetu martyrum
Ad destinatum bravium
Currit et odoriferum
Fit confessorum lilium.

4. Chorus hunc apostolicus
Et jubilus angelicus
Comitantur solemnibus
Dotatum ut virtutibus.

5. Archangeli suscipiunt,
Throni quoque recipiunt,
Cum virtutum coelestium
Coetu collaudat Dominum.

6. Potestatum solemnibus
Ordo laetatur vocibus,
Cum dominationibus
Plaudit Bernhardo plausibus.

7. Cum Cherubim admittitur,
Cum Seraphim accenditur,
Totus in Deum rapitur
Flammans amoris facibus.

8. Fac nos lucis, qua frueris,
Pater, tua clementia
Bernharde, lux ecclesiae,
Participes in gloria.

9. Laus, honor et tripudium
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Per infinita saecula.

Diurn. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Marcian. ZL. 159. — 4, 4 ut ergänzt.

89. De s. Bernhardo Florentino.

1. Cantemus totis viribus,
Quamvis indigni famuli,
Intende nostris precibus,
Jesu, salvator saeculi.

2. Qui Bernhardum pontificem
Dextra misericordiae
Juxta supremum apicem
Constituit ecclesiae.

3. Hic dormiens in lectulis
Se videt in basilica,
Offertur sibi praesulis
Manu vestis monastica.

4. Quam de matris absentia
Pavens coepit renuere,
Dei tamen clementia
Dignus fuit assumere.

5. Mundi spretis honoribus
Ampla reliquit praedia,
Vivens in sanctis actibus
Aeterna sumpsit praemia.

6. Sacris adstans altaribus
Fert Christo sacrificia,
Crucem sumpsit in manibus
Pro populi saevitia.

7. Tanti jussis antistitis
Multa bona conspicimus,
Ejusque sanctis meritis
Nos adjuvari poscimus.

8. Ad cujus patrocinia
Magna fiunt miracula.
Sit trinitati gloria
In infinita saecula.

Brev. ms. S. Salvii (Ord. Vallumb.) saec. 15. Cod. Ricarrdian. 372. A. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. C. — 3, 1 dormiet C. — 6, 2 Fertur C. — 6, 3 Crucem fehlt. C.

90. De sancto Bertulpho.

Ad Vesperas.

1. Cerne, redemptor, vita beatorum,
Rex gloriose omnium sanctorum,
Quas tibi laudes pangimus honore
Nostri patroni.

2. Cujus in orbe celebratur honor
Isto in sole, quo petivit coelos,
Ferens insigne sanctitate plenus
Rite trophaeum.

3. Francia quondam contulit hunc nobis,
Gente praeclarum, pietate sanctum,
Moribus insignem, nomine Bertulphum,
Somate castum.

4. Hujus effari facta nequit unquam
Lingua sophorum, penetrans arcana
Quidquid et possit, istius sed facta
Narrare nequit.

5. Daemonum saevos pepulit furores,
Corpore virus, leprosos mundavit,
Peste deceptos Arianae fraudis
Dogmate vicit.

6. Miranda quidem inter haec, quae gessit,
Sobolem suam fecundam per aevum
Statmo papali antistitum absolvit
Jure ab omni.

7. Rectori summo, ejus quoque proli
Flaminique sancto sit salus et honor,
Gloria perennis, decus et potestas
Omne per aevum.

Brev. ms. Bobbiense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Taurinen. F II 10. — 5, 2 virum. — 6, 2 fecunda. — 6, 3 Lies Statuto papali? auch 3, 3 und 7, 2 haben eine Silbe zuviel.

91. De sancto Bertulpho.

Ad Vesperas.

1. Bertulphus, vir egregius,
Mores mutans in melius
Post Columbanum tertius
Rexit ejus coenobium.

2. Vita, doctrina splenduit
Signisque multis claruit,
In hostes hic praevaluit
Per Christi patrocinium.

3. Nam sua jura tenuit,
Regum favorem habuit,
In febre dum ingemuit,
Petri sensit suffragium.

4. Obsessos duos liberat,
Leprosum unum reparat,
Post haec ad coelum properat
Sumpturus vitae praemium.

5. Patri, nato, paraclito
Pro sancti hujus merito
Pangamus corde inclito
Monarchicum imperium.

Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22.

92. De sancto Bertulpho.

Ad Laudes.

1. Pangat lingua nostra laudes
salvatori Domino,
Qui Bertulpho confessori
in regali solio
Suis meritis concessit
frui coeli gaudio.

2. Bonus iste coenobita
nobili ex genere,
Vitam Attalae secutus,
quem amabat tenere,
Hic post mortem et in vita
coepit perclarescere.

3. Fugat iste servus Dei
ab homine daemonium,
Et virtute summi Dei
per crucis mysterium
Tali medicina aegro
datur adjutorium.

4. Post hunc quendam et a morbo
leprae incurabilis
Curat iste sanctus Dei
precibus assiduis,
Ut confessionis Dei
fiat exorabilis.

5. Gloria sit summo Deo,
qui creavit omnia,
Atque ejus unigenito,
qui redemit perdita,
Flamini eisdem juncto
per aeterna saecula.

Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22. — 1, 4 regni solio. — 5, 3 Lies Ac ejus unigenito?

93. De sancto Blasio.

Ad Vesperas.

1. Adest dies, alma quies
Recolenda Blasii,
Qui superna regis regna
Nactus est eximii,
Christi miles spernens viles
Carnis opes praemii.

2. Sidus nitet, ut evitet
Fides mundi scopulos,
Et ad vitae litus mite
Mentis figat oculos,
Ne dirorum Avernorum
Fluctus mergant servulos.

3. Sebastinus sed divinus
Praesul sit propitius
Nobis cunctis laude functis
Precibus instantius,
Ut ad chorum supernorum
Vos perducat citius.

4. Flos virtutis, fons salutis
Et fomes clementiae,
Lingua mutis, constitutis
In antro moestitiae
Sis adjutis de te tutis
Impetrator gratiae.

5. Auge mores potiores
Et medelam vulnerum,
Quae dolores et languores
Omni purget scelerum,
Ne terrores acriores
Mereamur verberum.

6. Sancte Blasi, per te quasi
Spes confertur languidis,
A te vota sint ammota
Nautis orbis pavidis,
Eruamur, ne laedamur
Telis hostis invidi.

7. Regi terno coaeterno
Plebs et laudes concinat,
Cui coetus noster laetus
Precum vota geminat,
Ipsi decus, cuncta secus
Jam per orbem intonat.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — 2, 1 ut et nitet. — 2, 3 lutus. — 7, 1 Regi trino. — 7, 2 laudes canat.

94. De sancto Blasio.

Ad Laudes.

1. O gloriosa militum
Corona, rex et Domine,
Spondens polorum meritum
Pro fragili certamine.

2. Spernentes mundum languidum
Cum vitiorum scoria
Sanctorum agmen floridum
Contingunt coeli gloriam.

3. Inter quos martyr Blasius,
Sebastiensis pontifex,
Decertans gloriosius,
Chori sit hujus opifex.

4. Agricolai tempore
Sub praesidis saevitia
Tuto potitus litore
Migravit Christi gratia.

5. O consors Christi martyrum,
Nobis opem et gratiam
Posce, medelam scelerum
Et sursum comitantiam.

6. Patri, nato cum flamine
Sit laus et jubilatio,
Nostra sit atque, Domine,
Felix cum sanctis concio.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — 1, 2 Coronam. — 3, 4 Quanti sit hujus pontifex.

95. De sancto Blasio.

1. Praesulis almi Blasii beati,
Vita praeclari, moribus ornati,
Gesta colenda fide trabeati
Cuncti laudemus.

2. Saeculo spreto cum pompis ipsius,
Pontificatu manibus alius
Relicto, poscit Dei cultu pius
Asperum nemus.

3. Quem tenebrosa turba deposcebat,
Ut possit ipse falli, satagebat,
Confessor almus has fraudes noscebat
Atque vitabat.

4. Coram spelunca ferae mansionem,
Gerentes nullam sibi laesionem,
Poscunt ab eo benedictionem,
Quam sanctus dabat.

5. Agricolaus, maledictionis
Filius, haeres lamentationis,
Praeses illius erat regionis,
Judex et planctus.

6. Cujus ministri gaudentes venari
Pergunt ad rupem tamen et ignari,
In qua delegit vir Dei morari
Blasius sanctus.

7. Ibi ferarum copiam cernentes,
Venatione varia stupentes,
Blasium sanctum sunt invenientes,
Cultorem pacis.

8. Nomine cujus et conditione
Quaesitis absque murmuratione
Ducitur agnus praesentatione
Lupi rapacis.

9. Tu, Deus simplex pariterque trine,
Blasii sancti, qui vixit divine,
Precibus nobis opem medicinae
Fer miseratus.

Brev. Placentinum imp. Venetiis 1503. Str. 1—4 mit Doxol. ad Vesperas; Str. 5—8 ad Noct. Es fehlt wohl noch ein drittes Stück ad Laudes.

96. In sancti Bonifacii.

Ad Vesp. et Laud.

1. Sublimis nobis imminet
Festum nimis celebriis,
Sanctus quo Bonifacius
Martyr saeve necatus est.

2. Mutationem dexterae
Dei mirantes, famine
Christo laudes concinite
Suo vincenti martyre.

3. Qui igne sancti spiritus
Immensa ussit vitia,
Ex moecho castum protulit,
Ex temulento sobrium.

4. Roma missus ab Aglae
Tharsum venit Ciliciae,
Pro martyrum reliquiis
Ipse martyr effectus est.

5. Constans tribunal adiit,
Trucem confundit arbitrum,
Quod passus plura et horrida
Coelorum scandit ardua.

6. Laudemus omnes Dominum,
Virtutum sator omnium
Qui stabilivit famulum
Suum sic Bonifacium.

7. Laudem canentes Domino
Patri semper et filio,
Sancto quoque spiritui
In saeculorum saecula.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928.

97. In sancti Bonifacii.

Ad Nocturnum.

1. Adest, en, turba populi fidelis
Martyris sancti Bonifacii laudes
Vocibus sacris jubilans perennes
Atque triumphos.

2. Inclite martyr Bonifati, nostra
Respice vota polica de sede,
Angelis qua es sociatus atque
Civibus almis.

3. Tanta qui ferre Domini amore
Mente devota meruisti atque
Sanguine fuso meruisti celsam
Scandere sedem,

4. Servuli indigni tibi supplicamus,
Fluctibus quassis scelerum tu nobis
Porrige dextram, liberari tandem
Ut mereamur.

5. Christe, tu nobis meritis beati
Martyris hujus tribue benigne
In tuo tecum jubilare regno
Jure perenni.

6. Dignus es summa celebrari laude,
Jesu, cum patre pariterque sancto
Spiritu jugi jubilo in omni
Tempore. Amen.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928.

98. In Translatione s. Brigittae.

Ad Vesperas.

1. Salve, mater, sponsi crater
Potu plenus, tornatilis,
Justa, prudens, cruci studens,
Recta, simplex et humilis.

2. O Brigitta, tu sagitta
Acuta, fortis, fervida,
Qua rex ferit atque terit.
Corda doctorum tumida.

3. Doctrix legis, tuba regis,
Sono perterrens aemulos,
Vox exhortans et confortans
Ad bellum Dei famulos.

4. Macerata, castigata,
Electa gutta myrrhea,
Ascendisti regnum Christi
Corona fulgens aurea.

5. O canalis spiritalis,
Coeleste virus hauriens,
Insta regi, ut det gregi
Potum, nam languet sitiens.

6. Jesu mitis, vera vitis,
Da gustum nostris sensibus,
Ut divina tua vina
Dulcescant nostris mentibus.

7. O Maria, mater pia,
O benedicta domina,
Nos amasti, visitasti
Cum ista sancta femina.

8. Haec ardebat et lucebat
Tua prece ut facula,
Per hanc praesta, ut molesta
Vincamus hostis jacula.

9. Te laudamus, adoramus,
Deus, pro tua famula,
Solve reos, salvans eos
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Paradisi Florent. saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 459.

99. In Translatione s. Brigittae.

Ad Nocturnum.

1. Deus sanctam ecclesiam
Plantavit velut vineam,
Sed medio silentio
Custodes gaudent otio.

2. Dum vigiles obdormiunt,
Dei squalebat hortulus,
Fructus boni deficiunt,
Spinae surgunt et tribulus.

3. Ad expurgandam vineam
Deus magni consilii
Suscepit falcem ferream
In spiritu judicii.

4. Falcem acutam Dominus
Sanctae Brigittae tribuit,
Qua cominus et eminus
Urticas, spinas secuit.

5. Falx sunt verba coelestia
Velut ferrum secantia,
Cum quibus, quantum potuit,
Scribens et docens profuit.

6. Hoc egit verbis, opere,
Missis per orbem literis,
Ut dono Dei dexterae
Plebs expers fiat sceleris.

7. Ut expurgatis sordibus
Culparum velut sentibus
Per fructus poenitentiae
Adquirat regnum gloriae.

8. Dum a superbis spernitur,
Ut cote falx acuitur,
Nec tamquam deses mittitur,
Nec per terrorem frangitur.

9. Haec post diei pondera,
Aestus postquam sustinuit,
Reportans plena munera
Coronari promeruit.

10. Virgo Jesu puerpera,
Cum ista sancta femina
Expurga nostra scelera,
Dona virtutum semina.

11. Sit tibi laus et claritas,
O benedicta trinitas,
Nos per Brigittam visita
Et a somno resuscita.

Brev. ms. Paradisi Florent. saec. 15. Cod. Laurent. Conv. sup. 459.

100. In Translationes s. Brigittae.

Ad Laudes.

1. Brigitta, pacis famula,
Prudens, simplex et humilis,
Ardet amoris facula
Matrona venerabilis.

2. Ex Aquilonis angulo
Lucens nubes educitur,
Per quam arenti saeculo
Imber coelestis mittitur.

3. Quae est ista, quae volitat
Inter coeli nubecula
Et ut turtur nidificat
Intra sponsi cubicula?

4. Vestita stola nivea,
Dum castitatem possidet,
Velut columba lactea
Juxta fluenta residet.

5. Scripturae sunt haec flumina,
Quibus pasta simpliciter
Pervenit ad cacumina
Contemplando subtiliter.

6. Ut Ezechiel vehitur
Inter coelum, dum medio
Statu virtutis graditur,
Placetque contemplatio.

7. Dum volitat ad ostium
Jesu plagati lateris,
Secretum in colloquium
Admittitur prae ceteris.

8. Interius aerarium
Sibi Jesus aperuit,
Thesauri sui scrinium
Ei videndum praebuit.

9. Arcana multa viderat,
Quae scripsit vera serie,
Nec tamen sic exhauserat
Mare Dei scientiae.

10. Sed illa, quae proficere
Saluti possunt omnium,
Conscripsit, studens pandere
Nobis Dei judicium.

11. Brigitta, roga virginem,
Virgoque, roga filium,
Ut post mundi caliginem
Det nobis coeli gaudium.

12. Vera aeterna deitas,
O benedicta trinitas,
Nos loca coeli sedibus
Sanctae Brigittae precibus.

Brev. ms. Paradisi Florent. saec. 15. Cod. Laurent. Conv. sup. 459.

101. De sancta Brigida V.

Ad Vesperas.

1. Psallat nostra devotio,
Nullo torpescat otio,
In Brigidae natalibus
Ora resolvat laudibus.

2. Dulce melos cum laudibus
Vulgi sonet in auribus,
Mentis abacto nubilo
Resonet vox cum jubilo.

3. Brigida, virgo nobilis,
Columna es immobilis,
Cedrus alta spectabilis,
Rosa inviolabilis.

4. Stella serena, celebris,
Orta in mundi tenebris,
Scotiae lampas unica,
Pulchra ut mala punica.

5. Brigida, per te Scotia
Invenit pacis otia,
Tuum nacta consilium
Cognovit Dei filium.

6. Turtur, amatrix eremi,
Fuga catervas erebi,
Adsiste famulantibus,
Turbis fave precantibus.

7. Gloria sit altissimo,
Laus, honor ejus filio,
Sit altissimo flamini
Per saecula laudabili.

Brev. ms. Benedictin. Pisan. anni 1326. Cod. Laurentian. Strozzi 11. — 5, 4 Pulchra et. — 7, 3 Sit decus altissimo.

102. De sancta Brigida V.

Ad Nocturnum.

1. Sanctorum ad miracula,
Nostra quae sunt piacula,
Mentes vertamus propere,
Canentes haec magnopere.

2. In quibus almae Brigidae,
Viventis beatifice,
Deum sequentis penitus,
Vitam finivit coelitus.

3. Orta fuit in Scotia
Virginitatis socia,
Semper fruens psalmodia
Carnea sprevit otia.

4. Gloria tibi, trinitas,
Aequalis una deitas,
Et ante omne saeculum
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Benedictin. Pisan. anni 1326. Cod. Laurentian. Strozzi 11. — 1, 1 Sanctarum. — 1, 3 vertamur. — 2, 2 Viventes. — 2, 3 sequentes.

103. De sancta Brigida V.

Ab Laudes.

1. Brigidam ecclesia
Sustollat super aethera,
Piam quoque sanctissimam
Cantet Christi militia.

2. Nam Brigidae cantabili
Laudes refundant populi
Dulcisonis ac vocibus
Hymnos promant uberius.

3. Verbi sacrati semina
Sacra benigna praerogat,
Et duplicata foenora
Christi reportant pignora.

4. Oramus ergo, Brigida,
Regni coelestis incola,
Quod nos in mundi turbine
Tuo firmes munimine.

5. Sacrosacratis precibus
Servis adsis humilibus
Et impetrata venia
Christi dona nos gratia.

6. Arcendo moles criminum
Solve catenas scelerum,
Coelesti dignos munere
Aeterna claude requie.

7. Dicamus patri gloriam
Cum filio perpetuam
Virifico cum spiritu
In saeculorum ambitu.

Brev. ms. Benedictin. Pisan. anni 1326. Cod. Laurentian. Strozzi 11. — 1, 4 Cantent. — 4, 4 firmens.

104. De sancta Caecilia.

1. Exsultemus in hoc festo,
Tam solemni et honesto,
Christi virginis Caeciliae,
Quae regnat cum rege gloriae.

2. Ex nobili progenie,
Ex Romanorum genere
Orta fuit Caecilia
In fide Christi nutrita.

3. Christi virgo Caecilia
Sponsum habebat Dominum
Et amatorem angelum,
Qui eam castam servavit.

4. Caeciliae cubiculum
Intrat, orantem invenit
Et juxta eam angelum,
Quem Valerianus vidit.

5. Et duos fratres convertit,
Almachium superavit,
Episcopum demonstravit
Eis in vultu angeli.

6. Hoc praestet summa trinitas
Simulque una deitas,
Ut beata Caecilia
Habitemus in gloria.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85. — 1, 2 sq. Lies Christi virgo Caecilia Regnat cum? — 4, 1 Caecilia.

105. De sancta Caecilia.

1. Pange, lingua, gloriosae
virginis Caeciliae
In honorem triumphantis,
o triumphum nobilem,
Quod tyrannum tam ferocem
immolata vicerit.

2. Mundo clarens martyr ista
nobili prosapia,
Ejus caret blandimentis,
cernens, quod deficeret,
At in sacrum gerit Christi
pectus evangelium.

3. Hinc dum Christum lucrifacit,
ejus capit gratiae
Culmen, indefectuosae
curae penes pauperes,
Quos demulcet dulci corde
sacro ducta flamine.

4. His intenta virgo prudens
vigilat attentius,
Ipsius ne margaritam
caro nocens polluat,
Quam servare Jesu Christo
novit sine macula.

5. Annis tamen revolutis
tempus adest copulae,
Nubit virgo, nubit sponso
coeli, terrae provido,
Hora facta nuptiarum
orat Christi famula.

6. Rite sicut est adepta
Christum, sic Valerium
Sponsum Christo lucrifacit,
simul ut coelestium
Mereantur fore laeti
super choros agminum.

7. Te precamur, Jesu Christe,
meritis Caeciliae,
Ut devicto carnis luto
sanctum per paraclitum
Mereamur sociari
tibi, decus virginum.

8. Gloria sit summo patri
sine regni termino,
Ejus nato Christo quoque,
simul ac paraclito,
Qui Deus trinus et unus
regnat ante saecula.

Brev. ms. Comense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339.

106. De sancto Calogero.

Ad Vesperas.

1. Pande, virtus, gloriosa
Confessoris merita,
Pande laude speciosa
Mira senis inclita,
Cujus vita luminosa
Minus sensit foetida.

2. Novum germen vitis verae
Florens sicut lilium,
Gerens pectore sincerae
Fidei mysterium,
Studet semper edocere,
Quem dilexit nimium.

3. Spernit mundum Jesum quaerens
Ejus ab infantia,
Linquit patrem Romam pergens
Papae pro notitia,
Caste votum hic emittens
Dei plenus gratia.

4. Curat morbos, fugat pestem
Firmiter credentibus,
Medicinam dans coelestem
Cunctis infirmantibus,
Inimicum pellit hostem
Jesum deprecantibus.

5. Uni, trino, vero Deo,
Sit laus, honor, gloria,
Quo senex fortis ut leo
Devicit daemonia,
Ut nos purget omni reo,
Praesta, rex, clementia.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — 3, 3 pergit. — 5, 2 et gloria. — 5, 5 ab omni reo.

107. De sancto Calogero.

Ad Matutinum.

1. Corde devotis laudibus
Caloyrum veneremur,
Ut suis piis precibus
Atque meritis juvemur.

2. Coronatus victoria
In proelii certamine
Depressit hic daemonia
Jesu vocato nomine.

3. Adveniente senio
Viribus hic deprimitur,
Vitae pro adjutorio
De coelo cerva mittitur.

4. Fert cibum mirabiliter
Deferens Christi famulo,
Sed vivit regulariter
Stans in montis latibulo.

5. Beatam cervam perimit
Senis venator sociam,
Caloyrum cum reperit,
Petit prostratus veniam.

6. Mira montis protulit
Huic sermone pulchro,
Jesusque Christus suscipit
Corpore dato sepulchro.

7. Sit laus patri ingenito,
Honor, virtus et gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

108. De sancto Calogero.

Ad Laudes.

1. Calogerus, pater, verus
Fit comes . . . . .
Per te, Christe, datur iste
Ales diei nuntius.

2. Summi ducis [summae lucis]
Hic radius exiit,
Illustrando, nuntiando
Proles de coelo prodiit.

3. Hic legatus destinatus
Ad oras Siciliae
Pro salute cum virtute,
En, gratulemur hodie.

4. Plebs Saccensis . . . .
Hujus manus mutilat,
. . gaude plena laude
Aurora lucis rutilat.

5. Ad hunc montem diram frontem
Tulit ac daemonia
Devincendo, adquirendo
Beata nobis gaudia.

6. Hic praeclarus, nimis carus
Deo et hominibus,
Nam aegrotos sanat totus.
Exsultet coelum laudibus.

7. Gens devota esto tota
Sancto seni Syactiae,
Quam ditavit et sanavit
Splendor paternae gloriae.

8. Mane, sancte pater tante,
Devictor hostis validi,
Nos perducas et inducas
Ad coenam agni providi.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1518. — 1, 1 Caloyrus. — 2, 4 Prodie de coelo. — 3, 4 En fehlt. — 6, 1 fit nimis. — 7, 2 Siactie. — Vgl. Acta SS. Juni IV, 488 ff.

109. De sancto Cassiano.

1. Ad laudem summi principis
Hymnum canamus militis,
Qui Satanae saevitiam
Per poenam sensit nimiam.

2. Cum Christi grex divellitur,
Cassianus aggreditur,
Vir moribus egregius,
Clarus doctrina penitus.

3. Interrogat hunc carnifex,
Cujus modi sit artifex;
Responsum est, quod pueros
Docet in scholis plurimos.

4. Quibus confestim traditur,
Ad deridendum trahitur,
Martyr membratim pungitur,
Sanguis sacratus funditur.

5. Pro bono malum redditur,
Cum se puer ulciscitur,
Quantum est aetas debilis,
Tantum fit poena flebilis.

6. Te, Cassiane, plurimum
Rogamus, gemma martyrum,
Ut tuis sacris precibus
Nobis succurras coelitus.

7. Laus sit parenti Domino,
Laus sit et ejus unico,
Laus sit amborum flamini
Per tempora laudabili.

Cod. Vallicellan. H 28. Dies Convolut enthält eine Abschrift des obigen Hymnus aus dem 17. Jahrhundert, wobei das Lied als ein altes und als den Chorbüchern entnommen bezeichnet wird, die bis zum Jahre 1585 in der Cathedrale von Imola in Gebrauch gewesen. Am gleichen Ort befindet sich auch ein neueres Officium mit drei humanistischen Hymnen.

110. De sancto Cataldo.

Ad Nocturnum.

1. Congaudentes celebremus
festa specialia,
Persolventes redemptori
cantica vocalia,
Qui Cataldo tanta dedit
facere magnalia.

2. Hic dum vixit in praesenti,
Christum sequi voluit
Et mandati sui legem
diligenter coluit,
Vigilavit, jejunavit,
egenis condoluit.

3. His et aliis divinis
inhians operibus
Tantis meruit a Deo
provehi muneribus,
Ut salutem det diversis
languorum generibus.

4. Patent liquido per orbem
tanta mirabilia,
Et virtutem protestantur
tot hominum milia,
Dum restituit saluti
corpora debilia.

5. Esto nobis servis, pater
dulcis, exorabilis,
Ut feliciter peracto
cursu vitae labilis
Exsultemus in quiete
regni semper stabilis.

6. Patri, nato flaminique
laus et jubilatio,
Quorum simplex est et triplex
sancta collaudatio,
Suo munere laetemur
in coeli palatio.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — Den Hymnus zur ersten Vesper vgl. Anal. XIX, 105 sq.

111. De sancto Cataldo.

Ad Laudes.

1. Canentes cordis jubilo
Cataldi laudes debitas
Nos purga mentis nubilo,
Tu trinitatis unitas.

2. Rachau postquam populum
Convertit ad te, Domine,
Venit ad tuum tumulum,
Aeterne rex altissime.

3. Eremitarum voluit
Aggregari consortio,
Tecum loqui promeruit,
Jesu, nostra redemptio.

4. Tarentum ut accederet,
Huic jussisti praesuli,
Et populum reduceret
Ad coenam agni providi.

5. Ratem statim ingreditur,
Facere jussa properat,
Tarento lumen redditur,
Aurora lucis rutilat.

6. Plenus hic sancto spiritu
Futura facta detegit,
Mox tempestatis impetu
Nox atra nubes contegit.

7. Nautarum motus lacrimis
Procellae maris imperat,
Sedatur fervor flaminis,
Vox clara, ecce, intonat.

8. Confractum corpus suscitat
Ex malo cymbae corruens,
Ad vitam per te revocat,
Verbum supernum prodiens.

9. Ut aurora progreditur,
Tarentum venit propere,
Lumenque caeco redditur
Jam lucis orto sidere.

10. Praedicat verbum Domini,
Sic credit tota civitas,
Hinc laus sit tuo nomini,
O lux beata trinitas.

11. Quaesumus, auctor omnium.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — Über Rachau cfr. Acta SS. Maji V, 575 Nr. 4.

112. De sancto Cataldo.

In 2 Vesperis.

1. Gaude, Tarenti civitas,
Tali ditata corpore,
Cujus viri suavitas
Infirmos firmat robore.

2. Cataldus pudicitiae
Flos et candoris lilium,
Sanctitatis et gratiae
Vas et honor fidelium.

3. Ortus cujus clarissima
Stella signatus exstitit,
Quem magus tangens intima
Scire futura praestitit.

4. Hic alvo matris exiens
Partu defunctam reperit,
Quam suscitavit largiens
Vitam, quae cunctos deserit.

5. Caput ejus non laeditur
Durum cadens in silicem,
Cujus aqua dum bibitur,
Spem aegris dat multiplicem.

6. Splendens doctrinae radiis
Virginis donum fabricat
Radiansque prodigiis
Ad vitam functos revocat.

7. Factus hinc vitae speculum
In praesulem eligitur,
Pandit scripturae pabulum,
Christi fides erigitur.

8. Confunditur gentilitas
Confessoris oraculo,
Exsultat christianitas,
Ut claret in propatulo.

9. Quaesumus, auctor omnium.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

113. De sancta Christina.

1. Virgo dicata Deo, nobis, Christina, faveto,
Sit decus atque quies omnibus ista dies.

2. Plebs bene docta nimis tibi laudibus instat amicis,
Possit ut auxilio tuta manere tuo.

3. Tu patriae legis mores nil esse fateris,
Ut doceas comites, quae sit habenda fides.

4. Idola confringis, praefectum dogmate vincis,
Esse Deum credens, qui super alta sedet.

5. Flagra, rotam, gladios primum depellis acutos,
Post pelago mersam te dedit unda foras.

6. Sed pater infidus miser occidit hostis iniquus,
Ipse quidem periit, te Deus eripuit.

7. Frangitur olla satis conferta liquoribus atris,
Aurea delusi solis imago ruit.

8. Hoc male turba ferens ad judicis intonat aedes,
Fit reus in casa censor et ipse tua.

9. Tradiderat diri flammis tua membra camini,
Quae tamen, ut voluit, perdere non potuit.

10. Occubuit Marsus serpentum morsibus aptus,
Nomine sed Domini restitit incolumis.

11. Inde cares lingua, truncaris utraque mamilla,
Inficeris jaculis, sic celer astra petis.

12. Ergo doce, virgo, coelesti docta magistro,
Quid tua plebs faciat, quo cluis, ut veniat.

Martinengius l. c. p. 169. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

114. De sancta Christina.

1. Virgo sidereis ardua sedibus,
Te, Christina, tuis insere plebibus,
Ut possint placido nunc tibi pectore
Laudis munia solvere.

2. Tu patris rutilo splendida germine,
Sed multo melius moribus et fide,
Dum casto refugis corpore saeculum,
Adquiris comitem Deum.

3. Cujus jussa probis actibus exsequens,
Quem saevis ducibus prodere non times,
Contemnis valido pectore fortius
Poenarum genus horridum.

4. Quae vel quanta, quibus proelia gesseris,
Ignis cum gladiis, fustibus et rotis,
Vinclis, verberibus cumque ferocibus
Telorum probat ictibus.

5. Jam suprema poli quae penetras loca,
Nobis ut pateant, hoc prece fac tua,
Et semper memorum, si memoraberis,
Felix esse memor velis.

6. Sic nobis deitas, rex, tua conferat,
Discordem numeris congeriem ligans,
Ut tecum stabili pace per omnia
Vivamus tibi saecula.

Martinengius l. c. p. 171. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

115. De sancta Christina.

1. Fontem perennis gratiae
Praebe, quod es, Jesu pie,
In laude tantae virginis
Pro te paratis servulis.

2. Haec namque primum nomine,
Post te notarat dogmate,
Sic sponsa sponsi gloria
Apte frui decreverat.

3. Exosa pompas saeculi,
Te forma quaesivit boni,
Quem fixa telis horridis
Laudare nunquam desiit.

4. Nunc grata carpens gramina
Inter rosarum germina
Gemmis micantem fulgidis
Gestat coronam luminis.

5. Vere perauctis fructibus
Semen reduxit centuplum,
Cum rite fuso sanguine
Talis tibi lux parta est.

6. Per saeculorum saecula
Patri supremo gloria,
Virtus tibi sit filio
Cum spiritu paraclito.

Martinengius l. c. p. 172. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

116. De sancto Christophoro.

Ad Vesperas.

1. Christophorus, qui decorus
Regi fecit homagium,
Te volebat, te quaerebat,
Christe, redemptor
omnium.

2. Cruce tremens cur te fremens
Consignas, rex fortissime?
Invocando replicando:
Coeli Deus sanctissime.

3. Rex hic magus mente vagus
Invocavit ter Satyrum,
Ego timens et confidens,
Rex gloriose martyrum.

4. Jesu duci, verae luci,
Mente proponit foedere
Obedire, deservire
Jam lucis orto sidere.

5. Princeps harum tenebrarum
Crucis horret imperium,
Quo damnatus est fugatus
Primo dierum omnium.

6. Sanctum hora sine mora
Hac nusquam praesumptorie
Illustrasti, mox afflasti,
Summae Deus clemen-
tiae.

7. Summo patri sit et fratri
Decus et honor latriae,
Quibus flamen dicit Amen,
Splendor paternae gloriae.

Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. — 3, 2 Invocat. — 6, 1 ora.

117. De sancto Christophoro.

Ad Nocturnum.

1. In sanctorum collegio
Laudes festive resonant,
Dum congaudent Christophoro
Hymnos promentes jubilant.

2. Conclusus ipse tenebris,
Cum lux refulget coelica,
Fulgor resplendet aetheris
Cordis illustrans intima.

3. Sic dans puellae duplici
Doctrinam salutiferam,
Martyres facit Domini
Quas praemittit ad gloriam.

4. Caesus est virgis ferreis,
Iguita pressus casside
Et sagittis innumeris
Casso petitus vulnere.

5. Stans, orans, caput proferens,
Terram relinquens animo,
Ensem poenosum perferens
Se praebet coeli Domino.

6. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15 Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. — 1, 3 congaude. — 1, 4 promente. — 2, 3 Fulgore splende ceteris. — 3, 2 Doctrina. — 3, 4 promittit.

118. De sancto Christophoro.

Ad Laudes.

1. Jucunda coeli civibus
Recensentur solemnia,
Cum suscipit Christophorus
Supernae vitae gaudia.

2. Relicta pompa saeculi
Laborem sumit humilis,
Trans vada portans fluvii
Se praevet servum servulis.

3. Dum corpus gravat pueri,
Quod Christum fert Christophorus,
Verba testantur parvuli,
Pondus et florens baculus.

4. Lingua doctus a Domino
Christi confortat milites,
Quos mundi spreto saeculo
Reddit in Christo divites.

5. Hic sponte pergit propria
Vocatus ad martyrium,
Virtutum pandens ardua
Dat corpus regi pretium.

6. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. — 3, 4 Ponde. — Doxologie nur begonnen.

119. De sancto Christophoro.

Ad Laudes.

1. Miranda res est caritas,
Invincibilis qualitas,
Quam non frangit adversitas
Nec extollit prosperitas.

2. Ignem non timet nec ferrum,
Nec ligna neque gladium,
Nec carceris opprobrium,
Sed mori desiderium.

3. Ecce martyr Christophorus,
Spiritu sancto accensus,
In ignis centro positus,
Ipsum non sensit penitus.

4. Sed ut rosa pulcherrima
Facies ejus decora
Nullam contraxit maculam,
Formosam signans animam.

5. Sagitta insensibilis,
Quid est, quod non sanctum tangis?
In auctorem reverteris,
Oculum cujus eruis.

6. Cujus jussu confoditur
Christophorus et moritur,
Sed spiritus recipitur
Spiritibus coelestibus.

7. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Christophori
Ducat ad coeli gaudia.

Psalt. ms. Italicum saec. 15. Cod. Oxonien. Lat. Liturg. a 1.

120. De ss. Chrysantho et Daria.

Ad Vesperas.

1. Adsunt festa laetitiae
Chrysanthi atque Dariae,
Quorum fulget praesentia
In Regina ecclesia.

2. Chrysanthus puer nobilis,
Patri multum amabilis,
Alexandrinus genere,
Ditatur rei munere.

3. Hic ardentis ingenii
Floret et summi studii
Mundanae sapientiae
Et nobilis prudentiae.

4. Mundi liquit malitiam,
Dei quaerit scientiam
Juvenis vere sapiens,
Servire Deo cupiens.

5. Suscepit Christi famulus
Verbis divinis credulus
Fidem, baptismi gratiam,
Laetam fecit ecclesiam.

6. Datur eidem Daria,
Ut privetur munditia,
Sed quondam mortis bajula
Fit Domini discipula.

7. O Chrysanthe et Daria,
Felices omni gloria,
Nos a peccati faecibus
Mundate vestris precibus.

8. Honor, virtus, imperium
Sit creatori omnium,
Qui Chrysanthum et Dariam
Duxit ad coeli patriam.

Proprium Regiense imp. Regii 1567. — 2, 4 Lies Dei munere?

121. De ss. Chrysantho et Daria.

Ad Laudes.

1. Dies reluxit hagia,
In qua beati martyres
Chrysanthus atque Daria
Coelum intrant mirabiles.

2. Chrysanthus docet Dariam
Sermonem evangelicum,
Despecta mundi gloria
Regnum anhelant coelicum.

3. Filia quondam zabuli
Lucratur Deo animas,
Pabulum praebens Domini,
Escas plebi quam plurimas.

4. Daria sancta capitur
Docens sacra eloquia,
Ad turpem locum ducitur,
Ut operetur turpia.

5. Paratur ad custodiam
Ejus leo terribilis,
Nullam sentit molestiam
Virgo Dei amabilis.

6. Plebs videns mirabilia,
Quae fiebant per Dariam,
Relinquit vana gaudia
Et Christi quaerit gratiam.

7. O gloriosi martyres,
Chrysante atque Daria,
Nos commendate fragiles
Deo in coeli patria.

8. Soli Deo sit gloria,
Honor, virtus, imperium,
Qui sanctorum praesentia
Gaudere facit Regium.

Proprium Regiense imp. Regii 1567.

122. De sancta Clara.

In 2 Vesperis.

1. Exsultate, jubilate.
Pauperis matris filiae,
Convocatae, congregatae
A solis ortus cardine.

2. Ex novellis tuis cellis,
De paupertatis camera
Dempta solo, data polo
Lux, ecce, surgit aurea.

3. Tu electa, praeelecta,
Quam sibi sponsus copulat,
Regnans Clara, ubi clara
Aurora lucis rutilat.

4. Tu oliva primitiva,
Gemma primarum pauperum,
Quam honoras, quam decoras
Jesu, corona virginum.

5. Laus et honor tibi, soror,
Quam jam ditasti pauperem,
Cujus dotes, cujus sortes
Urbs beata Jerusalem.

6. Pauper miles cito dives,
Cui dantur stipendia,
Pro servata fide data
Aeterna Christi munera.

7. Introisti, sponsa Christi,
In coelesti palatio,
Ubi vivis, spes captivis,
Jesu, nostra redemptio.

8. Tibi, Christe, laudes istae,
Pater et frater hominis,
Verbum patris, caro matris,
Consors paterni luminis.

Brev. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Ambrosian. Y 9 sup. — 5, 1 et fehlt. — 5, 2 Quas jam dicam pauperes. — 7, 3 Ubi divis.

123. De sancto Clemente.

Ad Vesp. et Laud.

1. Sanctus Clemens, saecli fluxa
parvipendens gaudia,
Sanctitatis indefessum
possidebat meritum,
Jugum Christi ferens semper,
cujus onus leve est.

2. Nutu divo cum Romanus
fieret oeconomus,
Vigilabat ad augendum
gregem sibi creditum,
Conservator animarum,
procurator corporum.

3. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Calatiense saec. 15. Cod. Vatican. 6548. Diese Handschrift ist eine Copie des 17. oder 18. Jahrh. Das Originalbrevier mufs, da es die Heimsuchung enthält, dem 15. Jahrh. angehört haben.

124. De sancto Clemente.

1. Cantet Clementis martyris
Virtutes et magnalia
Et ejus festum celebret
Sancta mater ecclesia.

2. Ortus de stirpe nobili,
Romanae civis patriae,
Culmen factus philosophus
Sortitur sapientiae.

3. Per Barnabam apostolum
Fide Clemens instruitur,
Et hic post Petrum tertius
Summus praesul praeficitur.

4. Fidem docens catholicam,
Convertit hic Sisinnium,
Per quem se Christo subjicit
Magnus coetus illustrium.

5. Clemens pro Christi nomine
Sustinuit exsilium,
Spernens profanis idolis
Offerre sacrificium.

6. Pro Clementis suffragio
Agnus ditat indicio
Relegatos exsilio
Aquarum beneficio.

7. Ligata collo anchora
Jactatur maris fluctibus,
Qui laetus intrat patriam
Bonis fruens coelestibus.

8. Summe Deus clementiae,
Perennis dator gloriae,
Sancti Clementis precibus
Nos loca coeli sedibus.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Fratrum S. Clementis de Urbe saec. 15. Cod. Taurinen. E VI 46. — 4, 2 hic Sisitium.

125. De ss. Cosma et Damiano.

1. Christi fideles milites,
Quos alvus una protulit,
Germanitate nobiles,
Felicitate compares.

2. Cosma, namque sic dicitur,
Damianus minor fuit,
Cura medendi compares
Nec dispares constantia.

3. Fervente mundi turbine
Sub Lysia dum praeside
Praecepta vana riserant,
Tempsere jussa principis.

4. Nec thura ponunt idolis,
Nec colla diis flexerant,
Traduntur ad supplicia,
Christum Deum non abnegant.

5. Quibus tyrannus invidens
Flammam, flagella, carceres
Compulsus atro spiritu
Jussit parari et compedes.

6. Haec membra poenis lacerat,
Amore Christi tolerant,
Nec cedit alma caritas,
Dum torret ignis mysticus.

7. Ponti profundo revocat,
Quos mersit furor intimis,
Aequor eductos litore
Reddit beatos martyres.

8. Hinc puniendos arbiter
Jubet saccis insuere
Atque lororum ictibus
Christi ferire milites.

9. Virtus retorquet jacula
Vultus super mittentium
Divina, saevos perculit
Hostes piorum martyrum.

10. Dehinc cruce suspenditur
Uterque, fratres gemini,
Quorum beatum spiritum
Coelestis aula possidet.

11. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Neapolitan. VI G 29. — 2, 3 Curam. — 4, 2 flexerunt. — 5, 4 compedi. — 7, 2 Lies intimo? — 7, 4 Redde. — 8, 1 Hic puniendus. — 8, 2 suere. — 8, 3 Aralorum ictibus. — 9, 3 saevus. — 9, 4 Hosti. — 10, 1 cruce. — 10, 2 Utrisque.

126. De ss. Cosma et Damiano.

1. Immensa Christi praemia
Et martyrum certamina
Voces promendo consonas
Mente canamus sobria.

2. Quorum votiva gaudia
Nos celebramus annua,
Qui passi sunt pro Domino
Agente duro Lysia.

3. Caeduntur virgis fortiter,
Jactantur maris fluctibus
Et rogi flammis trucibus,
Illaesis membris exeunt.

4. Hinc dolet praeses nimium,
Levari in equuleum
Jussit eos et ferreis
Uncis artari fortiter.

5. Crucifiguntur martyres
Cosmas, Damianus medici,
Christi fratres et alii
Fusco traduntur carceri.

6. Dehinc ducuntur martyres
Jam praesidis ad stadium,
Thura diis projicerent,
Quod respuunt aequaliter.

7. Ob hoc datur sententia
Capitalis, qua corpora
Sua darent in hostiam
In summi patris gloriam.

8. Tu vota nostra suscipe,
Qui trinus es et unicus,
Ut mereamur perfrui
In fine mundi gaudiis.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Abiaschae saec. 14/15. Cod. Ambrosian. X 22 sup. A. — Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. B. — 1, 3 promundo consonans A. — 3, 3 regi A. — 4, 4 Ungis arpari A. — 5, 2 Cosmas et Damianus B. — 6, 2 Jam praefidit ad stagnum A. — 6, 4 respuit A. — 7, 2 cam corpora A. — 7, 3 hostia B. — 7, 4 In sinu patris A, gloria AB. — 8, 2 Qui trinus esse individuis A, Qui trinus es et dominus B.

127. De sancto Dalmatio.

Ad Vesp. et Laud.

1. Hymnum novum clementius,
Christe redemptor, suscipe,
Qui attraxisti martyrem
Dalmatium egregium.

2. Qui natus stirpe maxima
Relinquens solum proprium
Et gloriam, divitias
Pedonas tendens pervenit.

3. Post haec salutem contulit
Natae cujusdam principis
Solo sancto praesidio
Donante Christi gratia.

4. Alveum means fluminis
Ticini siccis pedibus
Cum angelo comitante
Illustrans turbam populi.

5. Martyr positis gressibus
Mediolanum veniens
Viduae reddens filium
Effectum sanum undique.

6. Auriatensem perlustrans,
Sed Pedona non labitur
Ab ipsius memoria,
Quo appetens quiescere.

7. Qui mortuus pro Domino
Nunc regnat cum archangelis,
Pro quo, rogemus pariter,
Veniam nobis impetret.

8. Praesta, potens altissime
Patrique compar unice,
Qui cum sancto paraclito
Vivis per cuncta saecula.

Offic. ms. S. Dalmatii Volaterren. saec. 16. Cod. Florentin. Magliab. Cl. XXXVI 69.

128. De sancto Dalmatio.

Ad Nocturnum.

1. Christum sequendo magnum et excelsum
Nobis exempla hic reliquit summa
Dalmatius, quem postulamus, nobis
Oret salutem.

2. Ut ipse Deus nostra aptet vota
Et nostra demat scelera commissa,
Culpis fugatis habeamus regnum
Meritis ejus.

3. Cujus honore prosequamur hymnum
Voce praeclara atque corde puro,
Abstersis malis veniam oramus
Porrigi nobis.

4. Qui fecit quondam principis cujusdam
Filiam gratam, mihi crede, sanam,
Aurum contemnens Domini praeceptum
Dicit habere.

5. Poscimus flentes martyrem benignum
Corde sereno ipso annuente,
Ut Deus noster scelera remittat
Tribuens vitam.

6. Laus genitori genitoque magno,
Flamini alto simulque regnanti,
Qui spirat mundum majestate una
Tempore cuncta.

Offic. ms. S. Dalmatii Volaterren. saec. 16. Cod. Florentin. Magliab. Cl. XXXVI. 69. — 1, 2 hic ergänzt. — 1, 3 Dalmatium. — 5, 1 martyrum. — 6, 3 Lies Qui regit?

129. De sancto Daniele.

Ad Vesp. et Noct.

1. Hodie cum cantilenis
gaudeat ecclesia,
Sub honore Danielis
celebrans solemnia,
Qui sublatus de terrenis
conregnat in patria.

2. Felix iste vates Dei
cum in Babylonia
Exsul erat cum Hebraeis,
divina mysteria
Clare revelantur ei
jam visa per somnia.

3. Babylonis in excelsum
rex erexit statuam
Et a cunctis adorari
hanc mandavit auream,
Hic vere adorat Deum
spernens idolatriam.

4. Balthasar dum epulatur
cum primatum agmine,
Quasi manus cernebatur
scriebens in pariete,
Sed scripturam rex ignorans
Tristatur non modice.

5. Sanctus Daniel vocatur,
qui scripturam indicat,
Quae a cunctis ignoratur,
Dei nitens gratia,
Ob hoc Deus collaudatur,
hic vestitur purpura.

6. Immortali regi Deo
laus, honor, victoria,
Danielem qui trophaeo
ornavit et gloria,
Donet nobis verus leo
sempiterna gaudia.

Offic. ms. S. Danielis saec. 16. Cod. Capit. Veronen. 337.

130. De sancto Daniele.

Ad Laudes.

1. Jesu, corona celsior
Et veritas sublimior,
Qui Danielem optimum
Fers ad coeli fastigium.

2. Da supplicanti coetui
Obtentu hujus nitidi
Remissionem criminum
Rumpendo nexum vinculi.

3. Hic vana terrae gaudia
Et luculenta praedia
Polluta sorde deputans
Ovans tenet coelestia.

4. Te, Christe, rex piissime,
Hic confitendo jugiter
Calcavit hostem fortiter
Superbum ac satellitem.

5. Virtutum actu et fide
Confessionis ordine
Jejuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.

6. Plus currit in certamine
Propheta iste sustinens,
Quam martyr ictum sufferens,
Mucrone fundens sanguinem.

7. Proinde te, piissime,
Precamur omnes supplices,
Ut Danielis gratia
Nobis dimittas debita.

8. Gloria patri Domino,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Offic. ms. S. Danielis saec. 16. Cod. Capit. Veronen. 337.

131. De sancto Daniele.

Ad Vesp. et Noct.

1. Daniel martyr nemine sciente
Tabula ligni supine cubabat,
Marmorque super corpus comprimebat
Clavo nectente.

2. Somnio caecum docuit sepulchrum,
Lumina spondens, si id vellet ire,
Seque detexit speciosum mire
Juvenem pulchrum.

3. Post fide caecus ad sepulchrum currit,
In somnis martyr: Deus gratia sua
Reddidit, inquit, nunc lumina tua,
Is videns surgit.

4. Tunc clerus, abbas, antistes divine
Territi fodunt jam caeci relatu,
Pie mirantur tanto cruciatu
Templo Justinae.

5. Inde transfertur Patavium martyr
Aetheris signis et hic collocatur,
Et salus patens undique paratur
Languidis viris.

6. Caecis et surdis, egentibus ope,
Claudis, tentatis spiritu maligno
Traditur salus corpore benigno
Tumulum prope.

7. Fac coetum nostri, qui canimus hymnum
Martyri, Christe, templo tumulato
Hoc tuae matris nomine dicato,
Gloria dignum.

Propr. ms. Patavinum saec. 16. Cod. Capit. Patavini B 57.

132. De sancto Daniele.

Ad Laudes.

1. Laudemus Christi gratiam,
Danielis constantiam,
Cujus doctrina fulgida
Splendet mater ecclesia.

2. Qui carnis continentiam
Conservans propter Dominum
Fragransque velut lilium
Reddit odorem optimum.

3. Cujus Deus suffragiis
Absolve nos a vinculis
Peccaminumque maculis,
Quibus gravamur nimium.

4. Ut beatorum gaudiis
Et suismet suffragiis
Contingat una deitas,
Quae regit cuncta saecula.

5. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Propr. ms. Patavinum saec. 16. Cod. Capit. Patavini B 57.

133. In sancti Dionysii.

1. Regi polorum debitas
Cuncti canamus gratias,
Opem aulae qui contulit
Mediolani conditae.

2. Quae pietatis munere
Bonos alendo reficit,
Sancto munita spiritu
Fide coruscans fulgida.

3. Grex ille acceptus Deo,
Nutritus a pastoribus,
Vitae perennis pascua
Ditis sumendo permanet.

4. Magno quem auxit dogmate
Confessor Dionysius,
Fidem tenens catholicam
Turbam pavit credentium.

5. Saeva eundem concio
Arianorum comprimit,
Valvas tenentes delubri
Quaerunt athletam capere.

6. At ille Christum obsecrans
Vigil in aula exstitit,
Divina cum orthodoxis
Patrat libens officia.

7. Tunc Palatini comites
Vi rapuerunt praesules
Eusebium, Dionysium,
Cum isdem et Luciferum.

8. Hos deprecemur sedule
Christi captos pro nomine,
Sacris ut horum meritis
Coeli fruamur gaudiis.

Man. ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambrosian. s. n. A. — Brev. ms. Vallis Travagliae saec. 11. Cod. Capit. Mediolanen. s. n. B. — Brev. ms. Pontidanum saec. 11. Cod. Vatican. 82. C. — Hymn. ms. Ambrosianus saec. 14. Cod. Berolinen. Ham. 544. D. — Antiph. ms. Vercellense saec. 12. Cod. Capit. Vercellen. LXIV. E. — Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen XLIII. F. — Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. CXCIII. G. — Psalt. ms. Vercellense saec. 15. Cod. Capit. Vercellen. XL. H. — Brev. Vercellense imp. s. l. et. a. I. — Die Quellen E–I geben das Lied de S. Eusebio, EH die Melodie: Hic est dies verus Dei. — 1, 4 Urbi Vercellis conditae EFGHI; Mediolane B. — 2, 3 monita GHI. — 3, 1 Rex ille I. — 3, 4 Dives sumendo E—I. — 4, 2 Confessor Eusebius E—I. — 5, 1 imprimit AB. — 5, 4 athletas E—I. — 8, 1 deprecamur B. — 8, 3 Sacris hymnorum meritis E—I. — 8, 4 fluamur B. — E—I haben am Schlusse folgende Doxologie:

Gloria tibi, Domine,
Gloria unigenito,
Ut precibus Eusebii
Possimus coelo perfrui.

134. De sancto Dominico.

1. Decus et norma omnium,
Christe Jesu, fidelium,
Qui sponte morte saeculum
Tu redemisti perditum.

2. Nostris tu votis annue,
Quo mereamur canere
Dulcem patrem Dominicum
Atque valde praecipuum.

3. Qui sanctis vixit moribus
Orbemque calcans funditus
Vitae perennis praemium
Captavit prudens coelitus.

4. Spretis cunctis deliciis
Ad alta scandens aethera
Sacraque Deo victima
Ferens atque suspiria.

5. O mira Dei pietas
Miranda et potentia,
Quae sola silva noverat,
Orbis nunc totus venerat.

6. Ad cujus sancta pignora
Mundantur lapsis crimina,
Claudi atque ad propria
Sanatos gressus properant.

7. Ordo te nunc monasticus
Sacris perpulsat cantibus,
Ut tecum super aethera
Fruamur sancta praemia.

8. Laus trinitati debita,
Honor, potestas, gloria
Perenniter sit omnia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — Dieser Hymnus ist nicht auf den Stifter des Predigerordens, sondern auf den hl. Dominicus von Sora gemacht.

135. De sancto Dominico.

1. Ad Domini praeconium,
Dominicum qui colimus,
Ejus more dominica
Pangamus beneficia.

2. Inter astra micantia
Novum sidus irradians
Aetheris alta petiit
Hac luce pater celebris.

3. Abjecta mole carnea,
Quae carnis delectamina
Tempsit, ad summa gaudia
Felix volavit anima.

4. Hic vero quod insigniter
Nobis priscos aequiperet,
Miraris? audi, veritas,
Quid tibi summa referat.

5. Nullum habens principium
Carensque fine filius,
En, operor interius
Alta signa, quae cernitis.

6. Testantur hoc miracula,
Quae sic peragit grandia,
Sit ut ejus vicarius,
Cujus fuerat famulus.

7. Privatis luce gaudia
Luminis praebens anxia
Luci probatur unice
Cohaesisse praefulgidae.

8. Claudi redditi gressibus
Silendo quoque referunt
In viis eum seduli
Cucurrisse coelestibus.

9. Expulsi vero daemones
Cogunt homines credere,
Hunc sede frui supera,
Ipsi de qua corruerant.

10. Tanto rogemus latoque
Praeditatum charismate,
Quo nobis apud Dominum
Sit interventor optimus.

11. Sed ut ejus sit efficax
Oratio, quae dederat,
Sectemur mente cernua
Praecepta cuncti coelica.

12. Secundis et asperrimis
Igitur spretis, aetheris
Arcem petamus pariter
Ducis sequentes tramitem.

13. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — 3, 1 Objecta. — 9, 1 Expulsis. — 9, 2 Cogant.

136. De sancta Domitilla.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, Domitillae
Virginis praeconium,
Virgo prudens sicut illae,
Quae sumpserunt oleum,
Cursitat ut lux scintillae
Post excelsum Dominum.

2. Bethsamis vallis abundans
Domitilla sapiens,
Stella coeli, rosa vernans,
Occidentis oriens,
Nostras tenebras repellens
Verbo vitae splendiens.

3. Te illustrat gloriosus
Candor lucis omnium,
Te honorat purus chorus
Sacrarumque virginum,
Te, puella, gaudet thronus
Virtutum coelestium.

4. Alta cedrus paradisi,
Virginale lilium,
Adamantis pretiosi
Ob forte martyrium
Es columna gloriosi,
Fructus et pomerium.

5. Gemmas tu ardentes spernis,
Coronam et purpuram,
Ista quaeris in supernis,
Ut non agas perperam,
Partum edis, sed non carnis,
Coelestis puerpera.

6. Petrus princeps te tenellam
Baptizat cum clericis,
Clemens velat te puellam,
Neptem orbis principis,
Sponsus carnis te novellam
Impugnat, quem despicis.

7. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. C. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 7. D. — 1, 1 Margaritae C. — 2, 1 Balsamis vallis C. — 2, 2 Margarita D. — 2, 4 Occidenti AB. — 2, 6 Verbo et vita D; splendiens ABCD, wird vom Reime gefordert. — 3, 1 illustra gloriosa D. — 3, 3 honorat puros cor cum D. — 3, 4 Sanctarumque D. — 3, 5 laudat thronus C. — 4, 1 cedri D. — 4, 3 Adamatis AB, Adamastis C. — 4, 6 Fluctus et pomeria D. — Str. 6 fehlt D.

137. De sancta Domitilla.

Ad Nocturnum.

1. Omnes insulae laetentur,
Maris stagni fluvium,
Sponsam Christi venerentur,
Regis regum omnium,
Pontiana glorietur
Insula certantium.

2. Ubi, virgo, caritatis
Expandis tentorium,
Portas crucem veritatis
Per longum martyrium,
Fugas nubem caecitatis
Per sanctum collirium.

3. Terracinam ingressura
Ornans te monilibus,
Holofernem occisura
Armas te virtutibus,
Sponsum carnis prostratura
Te reformas viribus.

4. Urbs beata Terracina,
Diva florens virgine,
Ubi miraque divina
Fiunt ejus nomine
Fulget vitae matutina
Stella trino lumine.

5. Saevit ignis flamma foris
Circa te valentius,
Ardes igne sancti amoris
Intus sed potentius,
Quo non sentis vim ardoris
Protecta divinitus.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus sit et potestas
Per immensa saecula.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. C. — In BC mit dem vorigen Hymnus zusammenhängend.

138. De sancta Domitilla.

Ad Nocturnum.

1. Diva virgo Domitilla,
virginum aureola,
Tibi laudes exsolventes
ope sancta subleva
Et antiqui vires hostis
frange, potens domina.

2. O coelestialis gleba
fructum dans centesimum,
Semen vitae, quod sumpsisti
per Nerei monitum,
A Clemente consecraris,
gemma clara praesulum.

3. Mox imbuta caritate
inspiratur coelitus,
Plenum tristi vanitate
mundum calcat funditus,
Virgo compta sanctitate
rumpit moras penitus.

4. Illibata Christo gliscens
grata ferre munia,
Sponsum negat, unde prorsus
patitur exsilia,
Manu Petri baptizatur
alma tympanistria.

5. Terracina, urbs amoena,
Clara tamquam Bethlehem,
Expolisti paradisi
pretiosum Jaspidem,
Dum tersisti perfecisti,
incolam Jerusalem.

6. Imperator hanc loquelis
turbidis alloquitur,
More sancti Danielis
invicta protegitur,
Fortis more Michaelis
expugnatrix redditur.

7. Lingua, mente decantabat
Domino cum precibus,
Sortem suam commendabat
tremula cum fletibus,
Quare nemo superabat
Christi fretam viribus.

8. Laeta jam cum luce lucis
ut aurora rutilas,
Per tormenta, sponsa Christi,
in supernis jubilas,
Quae divinis inhaerere
jugiter nos facias.

9. Adoremus collaudantes
patrem atque filium
Et amborum veneremur
flamen beatificum,
Qui nos regat et perducat
ad aeternum gaudium.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. C. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 10. D. — 1, 1 Ave virgo Margarita D. — 2, 1 globa B. — Str. 2 fehlt D. — 3, 1 Mox immutat D. — 3, 2 Margarita D, coelitus fehlt. — 3, 3 fehlt D. — 3, 6 Rumpit noxas D. — 4, 4 patitur martyrium D. — 4, 5 Et a Christo roboratur D. — Str. 5 fehlt D. — 6, 1 Vox tyrannus hanc D. — 6, 2 nimbidis alloquitur D. — 7, 4 tremulam B. — 8, 2 ut aurora fehlt D. — 8, 6 faciat A.

139. De sancta Domitilla.

Ad Laudes.

1. Ut queam vitam sacrae Domitillae
Hymnis devotis reserare sanctam,
Mitte de coelis, Deus alme noster,
Gratiam tuam.

2. Tu, virgo sancta, martyr gloriosa,
Vangelizando monstras verbum Dei,
Velo sacraris manibus Clementis,
Romae pastoris.

3. Flavia Dei sponsa Domitilla,
Cujus amore exsulans sprevisti
Consulis prolem, purpuram et minas
Imperatoris.

4. Insula felix Pontiana maris,
Quae recepisti sacram Domitillam,
Unde recedens pergit Terracinam
Glorificandam.

5. Ibi coruscat signis et portentis,
Lumina reddit caecis in utrumque,
Muti loquuntur, cadit persecutor
Aurelianus.

6. Flammis incensa pulchra Domitilla
Coeli secreta penetrat amicta
Sole divino menteque fideli
Martyra Christi.

7. Angela pacis, sponsa Jesu Christi,
O Domitilla sanctimonialis,
Ora pro nobis fontem caritatis,
Quem dilexisti.

8. Ignem accende, Deus, Domitillae
Cordibus nostris humilemque vitam
Tribue nobis, gemmam castitatis
Meritis ejus.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. B. — 1, 1 vitae AB. — 1, 2 sanctum AB. — 2, 3 sacris AB. — 3. 2 Cujus canore A. — 3, 3 purpura A. — 4, 3 pergiti AB. — 5, 1 potentis AB. — 7, 2 O ergänzt. — 8, 3 gemma A.

140. De sancto Domnio.

1. Aurorae fulgor radiat,
Jubar plebi jam rutilat,
Cum dies festa redeat
Clara reducens gaudia.

2. Dignanter psallat hodie
Plebs tota regi gloriae,
Qui Domnium in aethere
Stolis ornat victoriae.

3. Athleta venerabilis,
Deo multum amabilis,
Largire tuis famulis
Bonis gaudere coelicis.

4. Magna sit laus patri Deo,
Potestas unigenito,
Summa virtus paraclito
In tempore perpetuo.

Psalt. ms. Spalatense saec. 16. Cod. Capit. Spalaten. s. n. — Die Abschrift dieses Hymnus verdanke ich der Liebenswürdigkeit des Herrn Dr. Joseph Mantuani.

141. De sancto Donato.

Ad Vesp. et Noct.

1. Donatus, clarus genere,
Fulgens virtutis opere,
Dum pellitur parentibus,
Adscribitur coelestibus.

2. Quem nutrit Nicomedia,
Roma docet egregia,
Fulget signis Aritio,
Resplendet et martyrio.

3. Asterius daemonio
Dum vexaretur acriter,
Crucis Christi mysterio
Sanatur mirabiliter.

4. Agens missae mysteria
Fidelibus distribuit,
Quem fregerat gens impia,
Mox calicem restituit.

5. Sit trinitati gloria,
Honor, decus, imperium,
Sit nobis coeli gaudium
Per Donati suffragium.

Hymn. ms. Aretinus anni 1511. Cod. Capit. Aretini K. A. — Cod. Vallicellan. G 76. apographum saec. 17. B. — 3, 3 Crucis fehlt B.

142. De sancto Donato.

Ad Laudes.

1. Immanis draco prodiens
Asellum cauda vinciens,
Donatum nisus laedere
Ruit flagelli verbere.

2. Defuncta dum requiritur,
Latens thesaurus proditur,
Quam suscitat ab inferis,
Locandam mandat superis.

3. Fontem veneno sordidum
Sanat crucis charactere,
Producit fontem limpidum
Effusae precis munere.

4. Imperatoris unicam
A daemone dum liberat,
Reginam facit coelicam,
Sponsam Christo dum foederat.

5. Sit trinitati gloria.

Hymn. ms. Aretinus anni 1511. Cod. Capit. Aretini K. A. — Cod. Vallicellan. G 76. apographum saec. 17. B. — 2, 3 Quem B. — 2, 4 Locandum B.

143. De sancto Donato.

1. Laetare, felix Civitas,
Ditata miro munere,
Florescit ex te puritas,
Dum sublimaris funere.

2. Tantorum patrum hodie
Donati atque Romuli,
Quorum laudes ecclesiae,
Cuncti extollant populi.

3. O vir Dei Hermogenes,
Martyr sancte, pretiose,
Summi regis sceptra tenes
Congaudendo gloriose.

4. In coelesti collocatus
Aeterni Dei solio,
Nostros hic dele reatus
Nosque commenda filio.

5. His adjunctus est Silvanus
Et Venustus passione,
Hos truncat Victorianus
Superatus in agone.

6. Patronorum civitatis
Hujus, sacratae sanguine
Et mundatae caecitatis
Haereticorum semine,

7. Dies ergo iste laetus
Venerando veneretur;
Laudes dicat noster coetus,
Ut laudando societur

8. Deo patri ingenito,
Jungatur sine macula
Spiritui paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Civitatense saec. 14. Cod. Marcian. L. I. 84.

144. In sancti Eleutherii.

1. Aula coelestis gratuletur regis,
Totus in laudes modulando favens
Mundus in isto resonet nunc Christo
Voce sonora.

2. Ecce, preclara nam dies coruscat,
Martyr immensus qua Eleutherius
Morte devicta corporis superna
Sede locatur.

3. Caro diversis deputatur poenis
Regis immensi militis, sed clari
Fixa mens coelo inimici telo
Cedere nescit.

4. Igne succensus praeparatur lectus,
Inde sublatos martyris illaesos
Cratis ignita oleo peruncta
Suscipit artus.

5. Pice vel saevo oleo sartago
Plena minatur, nec miles terretur,
Post haec immensus ignibus succensus
Clibanus adstat.

6. Missa de coelo virtus sed excelso
Tunc Adriani clibanum tyranni
Atque divino perfudit ab imo
Rore lebetem.

7. Retro ligatis manibus quadrigis
Indomitorum trahitur equorum,
Ante cui currum tribuens ducatum
Angelus exstat.

8. Hinc cunctis ductus theatro fit ludus,
Datur jejunis devorandus feris,
Mitis at fera pedes ejus facta
Lambere coepit.

9. Miles excelsi regis et aeterni,
Age, pro nobis ante diem mortis
Hujus amarae Dominum, praeclare,
Quaesumus, ora.

10. Hujus ut ignes mundi vel leones,
Ne succumbamus, vincere queamus
Atque superno mereamur regno
Vivere tecum.

11. Doxa perennis summo sit parenti,
Patris ac nato gloria sit summo,
Laus utriusque pneumati sit semper
Nunc et in aevum.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928.

145. In Translatione s. Eleutherii.

1. Gaude, Trojana civitas decora,
Quam tuis sanctis praeparavit aulam
Nuntius alto veniens Olympo,
Tibi concessam.

2. Gaudeat inde ecclesialis domus,
Qua tumulari sancti praelegerunt,
Ut sacra membra conderentur sua
Deo ducente.

3. Gaudeat clerus populusque tuus
Tanto coelesti praemio sanctorum,
Quos tibi misit, qui te sublimavit,
Alto Olympo.

4. Gaudeant eo diocesani omnes,
Quod sancti Dei meruerunt inde,
Ubi sanctorum corpora conduntur,
Carpere sacra.

5. Gaudeat hujus civitatis praesul,
Qui suis sacra meruit portare
Humeris membra corporum sanctorum
Cum Bibinensi.

6. Gaudeat quoque Turibulensis praesul,
Gaudeat simul populus adsistens,
Qui sacras preces sanctis effuderunt
Vocibus piis.

7. Gaudeat coelum et coetus angelorum,
Martyres quoque, ordo confessorum,
Virgines omnes pariter cum illo
Altitonante.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16.

146. In Translatione s. Elentherii.

1. Gaude, Trojana civitas decora,
Cujus antiquo gremio recondi
Martyrum laetus veniens Olympo
Velle reposcit.

2. Gaudeat matrix decorata domus,
In qua patroni tumulari poscunt,
Auctaque domus meliore tholo
Corpora condit.

3. Gaudeat clerus populusque frequens,
Qui novis miris satiatus alto
Hac die laetus meruit sacrata
Pignora ferre.

4. Gaudeant laeti juvenes et senes,
Gaudeant novos modulari cantus,
Neque concordes pigeat sonare
Carmina laudis.

5. Gaudeat praesul celebrare testes
Fidelis pastor populi Trojani,
Quos tulit suis humeris hac die
Cum Bibinensi.

6. Gaudeat quoque Turibulensis praesul
Gaudeat simul populus fidelis,
Cujus exaudit pia vota Christus,
Hoc duce laetus.

7. Gaudeat coelum meritis sanctorum
Martyrum pridem, patiens confessor,
Virgines laudes triadi reducant
Omne per aevum.

Brev. ms. Franciscan. saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI E 20. add. saec. 17. — Bearbeitung des vorigen.

147. De sancto Epiphanio.

1. Pange, lingua, Salaminae
Praesulis praeconium,
Epiphanii, divinae
Vocis per oraculum
Insulae dati Cyprinae
In lucem et speculum.

2. Hunc spinetum Judeorum
Velut rosam protulit,
Cui Christus, rex coelorum
Dexteram aperuit,
Dum a coetu perfidorum
Clementer eripuit.

3. Baptizandus dum accedit
Pes nudatur protinus,
Et post semper sic incedit
Christum sequens cominus
Pede nudo, quem non laedit
Jucundus interitus.

4. Nicosia, urbs regalis,
Caput sancti possidet,
Cujus precibus a malis
Salvator nos liberet
Et judicii finalis
Die nos glorificet.

5. Deus in personis trine,
Simplex in essentia,
Tibi sit laus sine fine,
Honor, virtus, gloria,
Exsules nos frui sine
Te per cuncta saecula.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186.

148. De sancto Erasmo.

1. Erasme, praesul nobilis,
Qui fulges in miraculis,
Nostras preces cum laudibus
Adsigna Deo, quaesumus.

2. Tu praecursoris Domini
Eliae vitam sequeris,
A corvis es in eremo
Cibatus et ab angelis.

3. Vitae propter munditiam
Per manum es angelicam
Transductus in Italiam,
Ut nobis dares gratiam.

4. Vicisti mundi principes,
Multos libasti martyres
Et Anastasii filium
Tu suscitasti mortuum.

5. Fidem dando catholicam
Baptizas turbam maximam,
Infirmos, caecos corpore
Reddis saluti pristinae.

6. A veste quoque aerea
Ollae magna incendia
Tu signo crucis expellis
Fide manens incolumis.

7. Tu confregisti idolum
Et magnum pondus ferreum,
Turba tibi angelica
Magna praestat obsequia.

8. Christi martyr egregie,
Pro plebe preces porrige,
Tuis promissa precibus
Da nobis te colentibus.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 2, 2 vitam sequens. — 3, 1 per munditiam. — 6, 3 expulsis.

149. De sancto Erasmo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Magni palmam certaminis
Invicta fides contulit,
Pro Christo dimicantibus
De coelo datur calculus.

2. Christus, qui nunquam deserit,
Quos suo redemit sanguine,
Direxit virum inclitum,
Ut idolum destrueret.

3. Profana dum succenderet,
Aere flammam repulit,
Quo exstincta sunt incendia,
Imber fuit praesentia.

4. Tunc compulsus a principe,
Saxis vota persolvere,
Quos ille per fidem Christi
Profundum mersit abyssi.

5. Nam carnifex tyrannidis
Fremit ut leo rabiens,
Advectum secum martyrem
Erasmum morte perimit.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. B. — 3, 2 Acre A. — 3, 4 Umbris fuit A; Imber fuit praefuit praesentia B. — 4, 2 Sassis notis vota A. — 5, 1 Lies Jam carnifex? — 5, 2 Fremens B. — 5, 3 Adnectans A, advectam B.

150. De sancto Erasmo.

Ad Laudes.

1. Martyr Christi egregius,
Amore ejus praedicans,
Sancto repletus spiritu,
Vultum gerens angelicum.

2. Ira accensus imperator
Poenam invexit martyri,
Flagella saeva, carceres,
Serras sive sartagines.

3. Quod ille non contremuit
Confortatus a Domino,
Sed magis in populo
Fructus divinos intulit.

4. Jungamur ergo, socii,
Hymnum gerentes Domino,
Ut ipso intercedente
Nostra purgentur crimina.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267. inf. B. — 1, 1 Ipse martyr Christi AB; lies Christi martyr? — 2, 4 Seras sive. — 3, 1 Quos ille AB. — 3, 3 fehlt eine Silbe.

151. De sancto Eugenio.

In Vesp. et Noct.

1. Dragmae repertae coelitus
Accenso teste lumine
Versaque domo funditus
Coeli locatae culmine,

2. Eugenio sanctissimo
Hymnum promamus mellicum.
Quo die victo pessimo
Thronum conscendit coelicum.

3. Hic claro patre genitus
Claris clarescit meritis
Ambrosioque traditus
Ejus formatur monitis.

4. Mox palmes viti similis
Exemplum datur civibus,
Quos archipraesul nobilis
Supernis rigat imbribus.

5. Post factum subdiaconum
Ambrosius Zenobio
Commendat votis consonum
Patris fovendum gremio.

6. Quem precis victus pretio
Sanctus benigne confovet,
Anno ter deno tertio
Archilevitam promovet.

7. Qui mox talentum creditum
Non segnis terrae credidit,
Sed per virtutum meritum
Duplex fidelis reddidit.

8. Gloria sit altissimo
Patri et unigenito,
Sancto simul spiritui,
Deo indivisibili.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurent. Aedil. 131. add. saec. 15. — 4, 1 vitis.

152. De sancto Eugenio.

Ad Laudes.

1. Coruscat hic miraculis,
Nam matris proles mortua
Per hunc collegam praesulis
Vita laetatur reflua.

2. Per hunc post vitae redditur
Propinquus, mox ut tangitur
Lympha, quam dat Zenobius,
Nec abest hinc Ambrosius.

3. Jam sanctus fessus lectulum
Poscens prophetat transitum,
Inter utrumque praesulum
Coelis emittit spiritum.

4. Gloria sit ingenito
Patri et unigenito
Una cum sancto flamine
Omni terrarum cardine.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurent. Aedil. 131. add. saec. 15.

153. De sancta Euphemia.

1. Auctorem sui nominis
Chorus collaudat virginum,
Concentus sacer resonat,
Nos haec tangat harmonia.

2. Priscus Calcedoniae
Proconsul, sed nequissimus,
Edictum tulit profanum,
Ut adorarent idola.

3. Luctuosa tubicinia
Clangore corda concutit,
Deni quatuor et novem
Sese retrudunt martyres.

4. Perfectorum numero
Virgo decora jungitur,
Sed Euphemia rapitur
Parata ad martyrium.

5 Ignis, carcer, rota, lapis
Sed recedunt, sartagines,
Leonum furor exiens
Et bestialis impetus.

6. Perfidorum numerosa
Perpessa est supplicia,
Gladius sed palmam dedit,
Coronavit constantia.

7. Quibus ornata titulis
Conservatur humo nova,
Testis fuit martyrii
Cruor fusus pro Domino.

8. O vos sanctae virgines,
Oleum vasis sumite,
Succensas ferte lampades,
Agnum Dei sequimini.

9. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. Mediolanense saec. 14. Cod. Berolinen. Ham. 544. A. — Brev. ms. Abiaschae saec. 14/15. Cod. Ambrosian. X 22 sup. B. — Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. C. — 1, 4 haec fehlt B. — 2, 4 adoraret B. — 3, 2 Clangora B. — 3, 3 Deni quater et AB; Dehinc quatuor et C. — 6, 3 fehlt B. — 6, 4 Coronarum B. — 8, 1 Quos sanctae BC. — 8, 4 sequimini cum gloria B.

154. De sancta Euphemia.

1. Virginum Christi celebrare festum,
Cordibus rectis satis est honestum,
Quas dies praesens decorans sacrata
Duxit ad astra.

2. Spiritu fretae Domini sorores
Praesidis nullos trepidant furores,
Se Deo sponso sociatae firmant
Coelibe vita.

3. Praesul has sanctus monet Hermagoras,
Patruus castus vocat ad coronas,
Inde laetantes subeunt flagella
Mente quieta.

4. Ungulae, virgae, manicae, catenae,
Laminae ferri, genus omne poenae
Torquet athletas tibi consonantes,
Rex pie, laudes.

5. Praeses ut videt, vacue minari,
Jussit his tandem caput amputari,
Quas pater stricte feriens severus,
Daemone plenus.

6. Virgines lotas roseo cruore,
Praemio comptas duplicis coronae,
Suscipit sponsus, speciosus agnus,
Immaculatus.

7. Ergo quae coeli subiistis arcem,
Regis aeterni thalamo locatae,
Omnium nostrum super astra ferte
Vota precesque.

8. Trinitas unus Deus addat nostris
Mentibus lucem tenebris remotis,
Ut suos semper resonemus hymnos
Munere digno.

Brev. ms. Venetum saec. 14. Cod. Marcian. L I 81. A. — Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. B. — 1, 1 Virginis Christi colimus triumphum A. — 1, 2 Annuum tempus satis A. — 1, 3 Qua dies B. — 2, 1 ferte A, fretens B. — 2, 3 Sodeo sponso sociare student B. — 2, 4 Celibet A. — 3, 2 Patrius B. — 4, 1 Angulae A. — 4, 2 ferreae AB. — 4, 3 consummantes A. — 5, 3 Quas pater saevus ferit ense stricto B. — 6, 3 Suscepit A. — 7, 1 Virgoque coeli subistis B. — Str. 8 fehlt B; statt dessen: Gloria patri genitoque. — 8, 3 Ut tuos A, hymnum A. — 8, 4 Nos munere A. — Nach Str. 4 Divisio ad Laudes A.

155. De sancto Eusebio.

Ad Nocturnum.

1. Aulae coelestis gloria,
Jesu, sume praeconia,
Quae damus ad sublimia
Eusebii solemnia.

2. Recensentes egregiam
Eusebii victoriam
Post praesentem miseriam
Duc ad perennem gloriam.

3. Eusebius catholicam
Fidem docens et unicam,
Trinitatis substantiam
Eandemque essentiam.

4. Tentus, tortus a perfidis,
Tractus per gradus lapidis
Sustinuit viriliter,
Ut regnaret feliciter.

5. Flore vernans virgineo,
Cruore fusus roseo,
Corona fulgens gemina
Coelorum intrat agmina.

6. Gaude prole, Sardinia,
Laudet mater ecclesia,
Vercellis et Italia
Glorientur praesentia.

7. Ipse qui suis precibus
Valvas fixis poplitibus
Reseravit fidelibus,
Nos regat in coelestibus.

8. Praesta, pater, cum filio,
Sancto simul paraclito,
Ut ejus patrocinio
Coeli fruamur bravio.

Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. CXCIII. A. — Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. XLIII. B. — Psalt. ms. Vercellense saec. 15. Cod. Capit. Vercellen. XL. C. — Brev. Vercellense imp. s. l. et a. D. — Mel.: Veni creator C.

156. De sancto Eusebio.

Ad Laudes.

1. Hic natus de Sardinia,
Praeventus Dei gratia,
Romam ductus est artibus
Instructus liberalibus.

2. Quem edoctus ab angelo
Perfudit sacro lavacro
Sanctus papa Eusebius,
Jam futurorum praescius.

3. Tunc visae sunt mirifice
Visiones angelicae
Atque phalanges coelicae
Hunc tenentes in latice.

4. Adepto vero apice
Praesulis vulgo supplice
Vercellis sanctus mittitur,
Primas urbis efficitur.

5. Celebranti pontifici
Adstant cives angelici,
Frangenti eucharistiam
Ferentes reverentiam.

6. Ipse qui portum Sicidae
Ad se vocavit protinc,
Lucis litus det placide
Ereptis gentis perfidae.

7. Praesta, pater, cum filio.

Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. CXCIII. A. — Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. XLIII. B. — Psalt. ms. Vercellense saec. 15. Cod. Capit. Vercellen. XL. C. — Brev. Vercellense imp. s. l. et a. D. — Mel.: Jesu nostra redemptio C.

157. De sancto Eusebio.

In 2. Vesperis.

1. Praesul insignis, martyr Eusebi,
Cum Christo regnans gloria perenni,
Preces exaudi populi subjecti,
Optime pastor.

2. Romam cum matre puer advenisti,
Baptismum sumis angelis ministris,
Scandis ad alta feciente sacro
Flamine Christi.

3. Post hoc defensor fidei sacratae
Vercellas venis praesul ordinatus,
Cunctos expugnas male sentientes
Haeresiarchas.

4. Inde turbantur praesules maligni,
Princeps et miles populique primi,
Synodum vocant, cuncti colliguntur
Mediolani.

5. Ad quam vocatus fortis accessisti
Et ut athleta fidem defendisti,
Hinc per scalarum gradus es distractus
Sanguine fuso.

6. Flagris afflictus, verbere contritus,
Cavea strictus, fame fatigatus,
Exsul et pauper traheris extremis
Partibus orbis.

7. Inde reductus martyr es effectus
Capite fracto cerebroque fuso,
Victor ascendis coelica tenendo
Omne per aevum.

8. Carne solutus Dominoque junctus,
Pro nobis preces fundere non cesses,
Ut sic muniti nulla timeamus
Vincula mortis.

9. Gloria patri genitaeque proli,
Gloria sancto flamini sit semper,
Et nos laudemus Dominum de caelis
Tempore saecli.

Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. CXCIII. A. — Brev. ms. Vercellense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. XLIII. B. — Psalt. ms. Vercellense saec. 15. Cod. Capit. Vercellen. XL. C. — Brev. Vercellense imp. s. l. et. a. D. — 2, 3 faciendo sacro AB. — 4, 1 malignis D.

158. De sancto Eutychio.

Ad Vesperas.

1. In valle sancta Domini
Castoriana lucida
Post diem clausum termini
Seraphici Eutychii
2. Devota mente populus
Omnisque sua familia
Laudes persolvat debitas
In tam festiva gaudia.
3. Qui veniens de Syria
Cum suo patre Anastasio,
Quam pluribus affinibus,
Ejus germano Britio,
4. Ad almam urbem propere
Pergunt fervore fidei,
Amore Christi perpeti
Gravissima supplicia.
5. Omnes percurrunt pariter
Apostolorum limina,
Ut valeant percipere
Victoriosa bravia.
6. Quam urbem post deseruit
Martyrio perterritus,
Pervenit tunc Eutychius
Ad insulam Bulsinam.
7. In qua prolixo tempore
Altissimo deserviens,
Affligens se viriliter,
Hostium bella superans
8. Ibidemque instructus
Divinis armis fervide
Ab angeloque admonitus
Reliquit ipsam libere.
9. Ut non labores fugeret,
Quos Christi amore coeperat,
Vero ut Deus ostenderet
Hic sua sancta merita.
10. Ubi fulget miraculis
Necessitatis tempore,
Sicut patet indubie
In Nursiae provincia.
11. Cui confessori Eutychio
Est obligata Nursia
Ipsius vitae merito
Cum tota ista patria.
12. Gloria tibi, Domine,
Qui gloriosum Eutychium
Ad te vocasti hodie
Ad sempiternum gaudium.

Brev. ms. S. Petri de Penisio saec. 14. Cod. Vallicellan. B 92 add. saec. 15. — 3, 2 Lies Cum patre Anastasio? — 9, 3 Ut vero Deus.

159. De sancto Eutychio.

Ad Laudes.

1. Defensor noster inclite,
Audi nostra precamina,
Ut valeamus frugibus
Tuis gaudere precibus.
2. Pro quibus orat populus
Hic acervatus sitiens,
Ut pluvia reficiens
Fructifera donetur.

3. Quam, Deus tu piissime,
Largire nunc petentibus,
Mandare velis coelitus
De solita clementia.

4. Ut tibi semper gloria
De tuis detur gratiis
Et nunc et in perpetuum
Per infinita saecula.

Brev. ms. S. Petri de Penisio saec. 14. Cod. Vallicellan. B. 92. add. saec. 15. — 3, 3 Mandareque velis.

160. De ss. Faustino et Jovita.

Ad Vesperas.

1. Aeterna semper trinitas
Et vere simplex unitas,
Hymnum novum psallentibus
Salutem confer omnibus.

2. Terrarum omnes anguli,
Te laudent omnes populi,
Cujus per fidem martyres
Mundi vicerunt principes.

3. Nam Adriani tempore
Fulserunt duo Brixiae
Germani carne fulgidi
Fratres, in fide fervidi.

4. Faustinus gradu presbyter,
Fide fortis et alacer
Tyrannicam saevitiam
Vincens auxit ecclesiam

5. Cum levitarum speculo
Jovita, Christi famulo,
Qui minis vel blanditiis
Permansit inflexibilis.

6. Haec est vera fraternitas,
Haec est sancta germanitas,
Nec blando victa famine
Nec atroci certamine.

7. Cur, Adriane, desipis?
Quid vano corde concipis?
Non erunt arundinei,
Sed firmum robur fidei.

8. Quorum prece nos Dominus
Sanctis firmet operibus,
Ut nec duris nec mollibus
Mundi frangamur vicibus.

9. Sit trinitati gloria,
Honor, decus per omnia,
Nos interventu martyrum
Coeli ducat ad numerum.

Hymn. ms. Benedictin. Brixien. saec. 13. Cod. Univ. Bononien. 2558. — 1, 4 confert.

161. In ss. Faustini et Jovitae.

1. Sanctorum digna actio
Et pretiosa passio
Relatione veterum
Nostro clarent in saeculo.

2. Sed ut credatur verius
Narratio gentilium,
Lingua modo fidelium
Prolixa sonet brevius.

3. Dudum in urbe Brixia
Exorti duo lumina,
Faustinus, Jovita, pares
In fidei constantia,

4. Debellabant fortissimi
Contra minas saevissimi
Adriani, qui populo
Imperabat incredulo.

5. Quos nequam princeps idolis
Litare cogens aeneis,
Leones, pardos exhibet
Ad devorandum martyres.

6. Quorum solis statua
Jussu nigrata vacua,
In formam piscis versa est
Et resoluta defluit.

7. Fecerunt ferae impetum
In sacerdotes foetidos,
Sic perdidit officium
Saturnus durus [omnium].

8. Romae atque Neapolis
Mediolani urbibus
Sed repleti spiritu
Devote sunt filium.

9. Hinc innovat consilium
Adrianus durissimus,
Ut sugillaret martyres
Ferventi plumbo calido.

10. Nec sic miser praevaluit
Contra viros immobiles,
Qui populum innumerum
Augebant coeli Domino.

11. Inter tormenta gravia,
Quibus sanctos dilaniant,
Aurelianus nequissimus,
Crudelis, ferox, impius

12. Mucrone sanctos amplificat
Amputavit . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 1, 4 Nostro darent in saeculum; lies Nostrum clarent in saeculum? — 3, 3 Faustinus et. — 4, 4 Incredulo imperabat. — 6, 1 Quorum stolistantia; sprich estatua. — 6, 3 In forma pacis. — 8, 1 Neapolis. — 8, 3 Sprich espiritu. — 8, 4 Verdorben; lies devoti sunt fidelium? — 9, 1 innovit. — 9, 3 sugittaret. — 9, 4 Fervendi plumbo calidi. — 10, 4 Augebat. — Nach Str. 6 Divisio; der Schlufs fehlt. Vgl. die Legende der Heiligen Acta SS. Febr. II, 810 ff.

162. De sancto Feliciano.

Ad Vesperas.

1. Praeclara stella Tusciae,
Immensa lux Italiae,
Felicianus, praesulum
Splendor decusque martyrum,

2. Prosapia de nobili
Nec sanctitate dispari
Ut inter astra lucifer
Mundo reluxit dulciter.

3. Hic literarum gratia
Romana visit moenia,
Victorem et diaconum
Accepit in didascalum.

4. Jam doctus omnifariam
Illuminavit patriam,
Fulgens suis Fulgineis
Et proximis provinciis.

5. Nam Victor idem postmodum
Papae tenens subsellium
Dicavit hunc episcopum,
Primatis addens pallium.

6. Honore summo praeditus
Felicianus inclitus
Ubique Christum praedicat
Episcopos et consecrat.

7. Feliciane inclite,
Pro nobis ora sedule,
Quo possimus in aethere
Tecum beate vivere.

8. Feliciani martyris
Defende nos suffragiis,
Qui es piorum gloria
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Romano-Francisc. saec. 14. Cod. Perusin. M 61. A. — Hymn. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. 9658. B. — 1, 1 Praecara B. — 3, 2 Romanus A.

163. De sancto Feliciano.

Ad Laudes.

1. Quam dignus iste pontifex
Gemmis et auro multiplex
Gestare tegmen Aaron
Deique tetragrammaton.

2. Quanta fide claresceret
Quantaque spe fervesceret,
Tormenta pandunt plurima
Sub Decio furentia.

3. Sed vincitur, qui verberat,
Et vincit is, qui vapulat,
Dum ille Manes sustinet,
Hic regna coeli possidet.

4. Feliciane inclite,
Pro nobis ora sedule,
Quo possimus in aethere
Tecum beate vivere.

5. Feliciani martyris.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Perusin. M 61. A. — Hymn. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican 9658. B. — 1, 2 Gemmis fehlt. B. — 2, 1 clarescere A. — 2, 2 fervescere A. — 3, 2 his qui A. — In B bildet dieser Hymnus mit dem vorhergehenden nur einen.

164. De sancto Fidele.

Ad Vesp. et Laudes.

1. Fidelis gesta martyris
Canamus ore consono,
Quibus perennem gloriam
Adeptus est in aethera.

2. Maximiani principis
Jussu beatus caeditur,
Litare diis munera
Ausis jubetur impiis.

3. At ille Christum intimo
Gestans Jesum in pectore
Recusans sacrificia
Aris inferre perfidis.

4. Caesus flagris crudelibus
Spernendo mundi prospera
Intentus evangelicis
Doctrinis vacans sedule.

5. Vinctum Dei tunc martyrem
Perducunt ad Turriculam,
Arbor pini profecerat,
Nautarum vicum vocitant.

6. Truncatus post haec capite
Curvato cadit poplite,
Secutus refert trophea
Hoste prostrato perfido.

7. Mucrone qui almificum
Transverberavit martyrem
Mox arreptus a daemone
Vocem tollens in aere:

8. Tu me, Fidelis, libera,
Per Nazarenum supplico,
Corpus humo sepeliam
Cum funeris officio.

9. Examine ut tetigit
Cadaver sacratissimi,
Solutus est a colubro
Laetus ovans in Domino.

10. Terrae mandavit inclitum
Thesaurum beatissimum,
Crucisque factus bajulus
Notos reliquit socios.

11. Maximiano referunt
Triumphum sancti martyris,
Jussus datur militibus,
Ne divulgetur populis.

12. Silere neque poterant
Nova Christi praeconia,
Quae acta sunt per merita
Sancti Fidelis martyris.

13. Te deprecamur sedule,
Testis Fidelis inclite,
Solvamur ut ab hostibus
Opimis tuis precibus.

14. Quapropter te, fortissime
Bellator sancte, quaesumus,
Ut nostri tu memineris
Cum inclitis agminibus.

15. Ut cum tibi jam debita
Corona datur gloriae,
Nobis post tanta crimina
Donetur indulgentia.

16. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Comense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — 5, 1 fehlt eine Silbe; tunc ergänzt. — 5, 4 nicum. — Von Str. 9 an ad Laudes; es ist indes nur ein Hymnus. — 9, 3 fehlt eine Silbe; est ergänzt. — 13, 2 inclita. — 14, 3 fehlt eine Silbe; tu ergänzt. — 15, 1 Ebenso; jam ergänzt.

165. De sancto Fidele.

Ad Vesperas.

1. Magna Fidelis merita
Sancta promat ecclesia,
Qui morte mortem perdidit
Et victor astra petiit.

2. Abjecto carnis onere
Stola vestitur gloriae,
Tersis ab ore lacrimis
Veris potitur gaudiis.

3. Ut ense caesus moritur,
Saeva tempestas oritur,
Sic intentatur impiis
Vindicta justi judicis.

4. Quendam ex carnificibus
Malus invadit spiritus,
Mox sacrae glebae jungitur,
Dira pestis excluditur.

5. Cordis orisque precibus
Te, martyr alme, petimus,
Nos tua per vestigia
Ad vitae ducas praemia.

6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque numini
Virtus perennis flamini.

Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Laurentian. Conv. Sup. 524. — Für Noct. und Laudes dienen die beiden Hymnen Anal. XIV a, Nr. 108 und 109. Von der Doxologie nur der Anfang vorhanden; ergänzt nach dem Hymnus De s. Grato ad Laudes.

166. De sancta Firmina.

Ad Vesp. et Laud.

1. Agmina sacra [virginum
Sacerque] chorus militum
Concinunt praemirificum
Hymnum psallentes unicum.

2. Benedicamus, inquiunt,
Regem summe altissimum,
Firminam qui virgineo
Sociavit consortio.

3. Comitiva hierarchica
Suprema nec non media,
Inferior te, Firmina,
Glorificant in saecula.

4. Decoratus exercitus
Vatumque apostolicus
Laureatorum virgini
Jubilant atque martyri.

5. Ether micans sideribus
Coelumque ex laticibus
Empyreumque coelitus
Jam possidet perennius.

6. Fragrant sacra solemnia
Orbis praevasti spatio,
Romana quoque ecclesia
Miro laetatur gaudio.

7. Gaude, felix Amelia,
Dono coelesti praedita,
Quo velut sol in aethere
Mundo sic fulget hodie.

8. Honor, decus et gloria
Sit patri. nato, flamini,
Virginis hujus merita
Nos signent sacro lumini.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. 10000.

167. De sancta Firmina.

Ad Nocturnum.

1. Almae virginis Firminae
Laudemus praeconia,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequia,
Ut ab ipsa reportemus
Aequae laudis praemia.

2. Praesens dies expendatur
In ejus praeconium,
Cujus virtus dilatatur
In ore laudantium,
Si gestorum teneatur
Finis et initium.

3. Olympiades molitur
Virginem seducere
Nec promissis emollitur,
Nam firmatur optime
Dicens Christum, suum sponsum,
Esse regem gloriae.

4. Volens virginem amplecti
Arescit in manibus,
Manifestat se torqueri
Magnis cum clamoribus,
Tandem sibi misereri
Multis rogat precibus.

5. Victus Christum confitetur
Relictis erroribus,
Baptizatur et curatur
Restitutis manibus,
Tandem Christo copulatur
Conjunctus martyribus.

6. Regi regum salus, vita,
Decus et imperium,
Trinitati laus et honor
Sit per omne saeculum,
Qui concives nos adscribat
Supernorum civium.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. 10000. — 3, 5 Christum meum sponsum.

168. De ss. Fortunato, Gajo et Anthes.

1. Sanctis martyribus laus, honor et decus,
Qui coeli Domino sanguine proprio
Sacrati superae militiae vicem
Invicta retinent fide.

2. Conflictus validos ferre viriliter,
Hostiles cuneos frangere fortiter,
Certavere sui corporis obice,
Ut post funera viverent.

3. In regis positi nunc diademate
Stellarum potius lumine praenitent,
Donativa suis militibus dedit
Christus filius haec Dei.

4. Ex quorum numero sunt, quibus optime
Gaudet plebs hodie cantica promere
Laudis nostra piae, tanta velut decet
Hujus lumina patriae.

5. Fortunate, tuis utere prosperis
Rebus cum meritis, cui nota nominis
Concordat pariter nosque tua prece
Da gaudere perenniter.

6. Et tu, Gaje, bonis moribus annue
Nobis assidue corda retundere,
Et, quod nunc petimus, sumere postea,
Nos feliciter adjuva.

7. Anthes, perpetuo lumine splendide,
His et par merito jure nec ultime,
Communem Dominum, fac, totiens roges
Pro nobis, quotiens potes.

8. Haec nobis, deitas, rex, tua conferat,
Discordem numeris congeriem ligans,
Ut tecum stabili pace per omnia
Vivamus tibi saecula.

Cod. Casinen. 280. saec. 11. A. — Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. B. — 1, 3 Sacratae B; vice B. — 1, 4 Invictam retinent fidem B. — 2, 3 pernitent B. — 6, 1 tu Cnie A. — 8, 3 secum. — Verfasser: Alphanus Salernitanus.

169. De ss. Fortunato, Gajo et Anthe.

1. Salve, dies tutoribus
Nostris dicata, laudibus
Insignis et virtutibus
Summis decora martyrum.

2. Qui rite temporalibus
Dum sempiterna praeferunt,
Mucronis ictu concite
Christi probantur milites.

3. Sunt mira, quae post transitum
His contigisse creditur,
Aves eorum corpora
Custodiebant splendida.

4. Obsessa dire patria
Et pene morti tradita
Mansit repente libera
Horum quidem victoria.

5. Secura jam concivibus
Sanctis, Salerne, dulcius
Praebe tuis victoribus
Laudis novae praeconium.

6. Hi sunt, quibus saepissime
Te gratulari condecet,
Quorum putaris munere
Metu represso vivere.

7. Hostes tibi visibiles
Pellant et invisibiles,
Augmenta pacis praebeant
Summaeque vitae praemia.

8. Summo parenti gloria
Natoque sit victoria
Et flamini laus debita
Per sacculorum saecula.

Cod. Casinensis 280. saec. 11. A. — Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. B. — 1, 2 ditata A. — 7, 2 sq. Hi mentis adversarios Pellant ut olim barbaros B. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

170. In Translatione ss. Fortunati, Gaji et Anthes.

Ad Vesperas.

1. Laetare, felix civitas
Salernitana nobilis,
Gazas habes repositas
In sanctorum cubiculis.

2. Ditata trium martyrum
Gemmis pretiosissimis,
Velut radii siderum
Illustrata clarissimis.

3. Fortunatus tam arduus
Pugil contra Leontium,
Coeli miles tam strenuus,
Nostrum legit consortium.

4. Gajus in poenis socius
Anthesque comes inclitus,
Salerni loco positus,
Adsunt praevisi coelitus.

5. Horum translata corpora
Felix suscepit patria,
Quae jam per multa tempora
Glebas texit incuria.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali tempore
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

7. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 2, 4 Illustrat te B. — 4, 3 loco potius B. — 5, 4 Glebis B.

171. In Translatione ss. Fortunati, Gaji et Anthes.

Ad Matutinum.

1. In nocturnis vigiliis
Fortunati solemniis
Noster chorus invigilet,
Hunc voce cordis postulet.

2. Gajo fideli socio
Non minus mens deserviat,
Ut cum laudum praeconio
Petentum preces audiat.

3. Et Anthes, quibus jungitur,
Caritativo spiritu
Liberet nos, cum petitur,
A peccatorum pondere.

4. Quorum sacrata corpora
Ad nos delata coelitus
Sunt civium per tempora
Defensionis habitus.

5. Nam quos in vita parili
Conjunxit una caritas,
Hic ratione simili
Est tumuli societas.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

7. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 1, 1 Nocturnis in B. — 3, 1 Et Anthes qui illis B.

172. In Translatione ss. Fortunati, Gaji et Anthes.

Ad Laudes.

1. Jam ortus dies rutilat
Ex Fortunati radiis,
Cui chorus laudum jubilat
Multiplicatis gaudiis.

2. Gajo, Anthes comitibus
Psallat fidelis concio,
Ut his tribus militibus
Fiat in coelis portio.

3. Vos impetretis igitur,
O martyres egregii,
Quibus mens nostra figitur,
Pignus superni gaudii.

4. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 2, 1 Gajo et Anthe B.

173. In Sanctorum XII Fratrum.

Ad Vesp. et Noct.

1. Christi caterva pervigil,
Suavi modulamine
Hymnum canamus Domino,
Qui est corona martyrum.

2. Deus, virtus, potentia
Et triumphator optimus,
Coelorum regna tribuens
Quos suas proles efficit.

3. Hinc aula sacra resonet
Cunctorum fratrum vocibus
Mixtis choris angelicis
Ferventum sancto spiritu.

4. Ex quo fratres duodecim
Rite succensi coelitus
Spreverunt mundi copias
Et daemonum contagia.

5. Quorum cernit insignia,
Dum supplex mater postulat
Pro salute filii,
Quem atrox daemon vinxerat.

6. Orantes fratres pariter
Disrumpunt vincla daemonum
Et matri reddunt unicum,
Quae credit Christo Domino.

7. Hoc videntes sacrilegi
Christo depromunt munia,
Peruncti sacro chrismate
Fonte perenni rutilant.

8. Quos mox minister daemonum
Catenis vinxit fortiter,
Quibus in imo carceris
Lux divina resplenduit.

9. Angelus sanctus veniens
Disrupit ferri vincula,
Me, inquit, misit Dominus,
Qui est redemptor omnium.

10. Judex postquam haec viderat,
Ferro pestringens iterum
Et in maris tunc pelago
Coepit cum ipsis pergere.

11. Mox tempestas exoritur,
Judex iniquus flagitat,
Ut sancti Dei martyres
Christi deposcant munera.

12. Exorant fratres supplices,
Facta maris tranquillitas,
Multi tunc ex militibus
Christum credendo flagitant.

13. Hoc cernens moestus carnifex
Hos multa post supplicia
Mucronis ictu feriens
Ad coeli misit gaudia.

14. Horum te, Christe, meritis
Nunc deprecamur cernui,
Quo mereamur veniam
Et paradisi gaudia.

15. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. — 5, 3 fehlt eine Silbe; lies: Hos pro salute filii? — 8, 3 fehlt eine Silbe; ergänzt.

174. In Sanctorum XII Fratrum.

Ad Laudes.

1. Splendor diei rutilat,
Dicatus fratrum sanguine,
In quo Donatus emicat,
Felix et Arontius.

2. Hinc Honoratus radiat,
Christum fatendo praedicat,
Mixti turmis angelicis
Jam reddunt laudes Domino.

3. Fortunatianus jubilat
Gerens serta martyrii,
Nexus sacris virginibus
Depromit Christo cantica.

4. Sabinianus inclitus,
Septiminus similiter
Simulque Januarius
Concives beatissimi.

5. Felix, Vitalis concinunt,
Satorus et Repositus,
Micantes aula regia
Semper felices jubilant.

6. Unde nos omnes supplices
Vos flagitamus, martyres,
Per regem regum Dominum,
Ut coeli donet gaudia.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. B. — 1, 4 fehlt eine Silbe; lies simul Arontius? — 2, 2 Mixtus B. — 4, 2 Septimius B.

175. In Sanctorum XII Fratrum.

Ad Vesp. et Noct.

1. Votis tuorum, Christe, fidelium
Te postulamus, plenius annue,
Qui nunc tuorum annua martyrum
Fratrum celebrant festa duodecim.

2. Quos sacra Theclae visceribus satos
Tui replevit gratia spiritus,
Ut veritatis carpere semitam
Fidemque possent spargere gentibus.

3. Felix, Donatus est et Arontius,
Felix, Vitalis atque Repositus,
His Septiminus septimus additur,
Sabinianus et Januarius.

4. Satorus et, cui nomen honor dedit,
Fortuna fratrum nominat ultimum,
Quos semper unum vivere vel mori
Tui peregit gratia spiritus.

5. Horum precatu filius unicus
Est Restitutae incolumis datus,
Quem vis nefandi daemonis horride
Vexarat atrox tempore plurimo.

6. Horum precatu nos quoque poscimus
Te, Christe, laus et gloria martyrum,
Ut a nefandis daemonibus tuos
Servans fideles undique protegas.

7. Horum precatu crimina deleas,
Remissionis munera conferas
Et nos eorum jungere coetui
Dignare semper, gloria martyrum.

8. Sit trinitati gloria unicae,
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans quae Deus unus est,
Per cuncta semper saecula saeculi.

Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. — Von der Doxologie nur der Anfang; vgl. Anal. XIV a, 108. — Die Abfassung dieses Hymnus durch Alphanus läfst sich nicht erweisen; der Gedanke an ihn aber legt sich sehr nahe.

176. In Sanctorum VII Fratrum.

1. Jam sacra dies annua
Nobis reduxit gaudia,
Quae sanctorum eximio
Dicata est martyrio.

2. Horum beata nomina
Et triumphalem gloriam
Deprecamur, ut annuant
Nobis polorum gaudia.

3. Haec magnus Januarius,
Qui primus est ex fratribus,
Felice cum magnifico
Concedat ab altissimo.

4. Alma Philippi gratia
Nunc nostris votis faveat,
Sacris Silani precibus
Solvat a mortis nexibus.

5. Alexandri suffragia
Nos a delictis abluant,
Vitalis pia merita
Aeterna poscant praemia.

6. Et Martialem septimum
Valde rogando petimus,
Cum matre sacratissima
Ut miseris subveniat.

7. Sed magis, o sanctissime,
Silane tu clarissime,
Precare unigenitum
Pro nobis Dei filium.

8. Qui cum patre deifico
Et spiritu vivifico
Unus est in essentia
Per infinita saecula.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43.

177. De sancto Galgano.

Ad Vesp. et Noct.

1. Aula mundatur sordibus
Poena soluta legibus,
De majestatis culmine
Reparatur in homine
Totus casus angelicus.

2. Faber misertus fabricae
Carnis adhaesit tunicae,
Cruce mortis confinia
Sustinuit et omnia,
Quae sonuit propheticus.

3. His inspiratus coelitus
Tiro Galganus inclitus
Mundi spernens illecebras
Poli quaesivit cathedras,
Ubi regnat almificus.

4. Qui satis clarus genere
Mundi projecta Venere
Silvestris herbae fercula,
Liquentis aquae pocula
Sumpsit Dei theoricus.

5. Sit regi trino gloria,
Sit laus, sit et victoria,
Qui nostrum sui principem
Regni fecit participem
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16 (123). A. — Cant. ms. Cistercien. (S. Mariae Urani) saec. 14. Cod. Ravennat. 129. s. II B. — Varianten keine; Melodie B.

178. De sancto Galgano.

Ad Laudes.

1. Mucronem terrae solidae
Fixit, inrevocabilem
Mentem coelis, jejuniis
Corpus, ora psamodiis
Egentibus munificus.

2. Claudos, leprosos, languidos,
Captivos et invalidos,
Quos longus languor tenuit,
Ad pristina restituit
Per ipsum coeli medicus.

3. Galgane, Dei famule,
Pro nobis ora sedule,
Ut cum judiciarius
Ordo procedat varius,
Tu noster sis causidicus.

4. Tu nobis patrocinio
Patrocinare proprio,
Ut pars nostra praevaleat
Et hostis victus doleat
Tamquam transgressor
publicus.

5. Sit regi trino gloria.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16 (123). A. — Cant. ms. Cisterciense (S. Mariae Urani) saec. 14. Cod. Ravennat. 129. s. II. B. — 1, 3 coeli B. — In B ein Hymnus mit dem vorigen und als Divisio bezeichnet.

179. De sancto Galgano.

Ad Tertiam.

1. Nunc sancte nobis spiritus
Largire dona coelitus
Tuis servis indebitis
Sancti Galgani meritis.

2. Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Conversationis rigor
Sancti personabant ore
Ignis flammescentis more.

3. Qui paraclitus diceris,
Consortes tui muneris
Tanti patris fac amore
Suo gaudentes honore.

4. Accende lumen cordium
Per sancti patrocinium
Galgani, qui per saecula
Nos salvet prece sedula.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16 (123). — 2, 2 Ardens conversationis rigor.

180. De sancto Galgano.

In 2 Vesperis.

1. Laetare, clara Tuscia,
Ex stirpe prodit lucida
Lux alma, per quam gaudia
Sint omnibus paschalia.

2. Magni parentes sanguine
Laetantur ex origine
Nati, futuri militis,
Coelestis aulae principis.

3. Galganus alta somniat
Et visa matri nuntiat,
Differt tamen, deducitur
Illuc, ubi convertitur.

4. Fit mucro crux, dum figitur,
Ab invidis sed frangitur,
En morte prava perditi
Sunt hi cito post invidi.

5. In pane signum protulit
Sanctus, sibi nec obfuit,
Quae nocte fit, temptatio,
Sed ei est probatio.

6. Herbae sibi sunt fercula
Aquaque madent guttura,
Illi „veni“ cum dicitur,
Cum luce corpus solvitur.

7. Sanavit aegros plurimos,
Resuscitavit mortuos,
Mundans, fugans hic eripit,
Quae sunt nociva, opprimit.

8. Mens gaudeat fidelium,
Gens plangat infidelium,
Haec signa facta firmiter
Credant boni fideliter.

9. Galgane pater, postula
Devotione sedula,
Ut nos ab omni crimine
Purget tuo precamine.

10. Sit trinitati gloria
Ac laus sit et potentia
Una patri cum filio
Ac spiritu paraclito.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16 (123). — 2, 1 parentis. — 6, 2 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — 6, 3 ducitur.

181. De sancto Gaudentio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Iste confessor, noster intercessor,
Gratia natus, baptismo renatus,
Cum Juliano comite Germano
Transiit Istrum.

2. Transiit mare vitreum praeclare,
Semper ad caelum cor habens anhelum,
Christum dilexit et prudens neglexit
Omne sinistrum.

3. Imperatorem, Dei zelatorem,
Adeunt sancti, qui congratulanti
Corde concedit literas, quas credit
Plebs valituras.

4. Quibus concessis Christianae messis
Fructum fecerunt, namque studuerunt
Vellere sentes hominumque mentes
Reddere puras.

5. Ecclesiarum bis quinquagenarum
Facti structores destruunt errores,
Non dormierunt nec dormitaverunt
Corpore segni.

6. Hi gentes pridem docuere fidem
Et nomen Christi praedicantes isti,
Sic perfecerunt, quod promeruerunt
Praemia regni.

7. Miraculorum per hos rex coelorum
Virtutes fecit, daemones ejecit,
O simulator, opis denegator,
Morte terreris.

8. Salvus permansit, dum per aquas transit,
Cedunt serpentes huic obedientes,
Digito caeso veluti non laeso,
Sancte, mederis.

9. Tanti patroni pura mente proni
Festo laetemur huncque deprecemur,
Ut peccatorum det nobis nostrorum
Mite levamen.

10. Hinc trinitati moribus ornati
Laudes reddamus, ut perveniamus
Ad sedem caeli, quam cui fideli
Dat Deus. Amen.

Brev. ms. S. Clarae Neapolitanae saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5. add. saec. 15. — 3, 4 Populus valituras. — 5, 4 Corpori signi. — 8, 1 Saulus permansit. — 8, 3 cesso . . . . Iesso. — 9, 4 Mitre. — 10, 1 Huic.

182. De sancto Geminiano.

Ad Vesperas.

1. Felix de coelis gratia
Mundo refulget hodie,
Nunc ergo cum laetitia
Hymnum canamus gloriae.

2. Geminiani promicant
Gloriosa solemnia,
Quae colentibus indicant
Beata nobis gaudia.

3. Normam gessit apostoli
Coli Christum is inquiens,
Cultumque stravit idoli
Verbum supernum prodiens.

4. Martyris zonam tenuit
Hostis devincens funera
Et de triumpho meruit
Aeterna Christi munera.

5. Sed ut confessor colitur
A pia nunc ecclesia,
Nam tali choro fruitur
Aeterna coeli gloria.

6. Coronam continentiae
Fert ante lumen luminum
Tuae repletus gratiae,
Jesu, corona virginum.

7. Geminiani precibus
Culpas dimittis scelerum
Cunctis eum colentibus,
Conditor alme siderum.

Psalt. ms. Mutinense saec. 14. Cod. Capit. Mutinen. O II N 5 A. — Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 4. B. — Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 5. C. — Brev. ms. Mutinense anni 1476. Cod. Capit. Mutinen. O I N 1. D. — 3, 2 his BC.

183. De sancto Geminiano.

Ad Nocturnum.

1. Laude digna lux et signa
Geminiani redeunt,
Cujus festis jam coelestis
Vexilla regis prodeunt.

2. Nobis natus praesul datus
Ex Mutinensi gremio,
Quem honoras et decoras,
Jesu, nostra redemptio.

3. Hic a grata fugat nata
Joviani daemonium
Tuae digno crucis signo,
Jesu, redemptor omnium.

4. Attilani jam profani
Stravit furoris scelera,
More floris, quem dulcoris
Enixa est puerpera.

5. Aegris datis sospitatis
Dono cunctis in funere
Plebs laetatur, cum humatur
Jam lucis orto sidere.

6. Plebis luctus, amnis fluctus
Invadentis ecclesiam
Sedat, grati nos salvati
Laudemus Christi gratiam.

7. Post haec diram frangit iram
Hic Ungarorum coelitus,
Quo salvare nos dignare,
Veni, creator spiritus.

Psalt. ms. Mutinense saec. 14. Cod. Capit. Mutinen. O II N 5. A. Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 4. B. — Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 5. C. — Brev. ms. Mutinense anni 1476. Cod. Capit. Mutinen. O I N 1. D. — 3, 2 Jobiani AB.

184. De sancto Geminiano.

Ad Laudes.

1. Lux, ecce, surgit aurea,
Qua conscendit aetherea
Regna praesul divinitus
Geminianus inclitus.

2. Exsultet coelum laudibus
Novo suscepto milite,
Terra resultet cantibus
Hausto fructu de stipite.

3. Plaudant nobiscum maria,
Quorum novis prodigiis
Hic procellosa devia
Sedat pulsis daemoniis.

4. Laetetur simul aeris
Qua servatur fragilitas
Ruenti de turrigeris
Ripis infanti sospitas.

5. Ignis vorans incendium
Jam surgat ad tripudia.
Quod pannorum incendium
Hujus sprevit commercia.

6. Sic elementa singula
Fantur ejus clementiam,
Trinitatis per saecula
Sic nos laudemus gratiam.

Psalt. ms. Mutinense saec. 14. Cod. Capit. Mutinen. O II N 5. A. — Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 4. B. — Psalt. ms. Mutinense saec. 15. Cod. Capit. Mutinen. O III N 5. C. — Brev. ms. Mutinense anni 1476. Cod. Capit. Mutinen. O I N 1. D.

185. De sancto Georgio.

Ad Vesperas.

1. Insigne festum martyris
Pari voto Georgii
Mater psallat ecclesia
Prolis gaudens victoria.

2. Hic scutum tenens fidei,
Lorica tectus triplici,
Patri constans et filio
Decertat et paraclito.

3. Dum vetus serpens sibilat
Horumque fidem lacerat,
Magno vigore spiritus
His laudem laetus intonat.

4. Fremit princeps in principem,
Mundi pestis in Caesarem,
Excogitat crudelia
Repugnanti supplicia.

5. Martyr invictus patitur
Et mundi princeps vincitur,
Sicque victor Uranica
Gaudens intrat palatia.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

7. Gloria tibi, Domine.

Diurn. ms. Cong. S. Justinae saec. 15. Cod. Mutinen. XII D 17. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. B. — 1, 2 Georgi B. — 3, 1 ventus B. — 3, 4 Is laude A. — 4, 2 Caesare A. — 5, 3 victor in coelica B.

186. De sancto Georgio.

Ad Laudes.

1. Cui fidelis populus
Festis plaudit paschalibus,
Christe, redemptor Domine,
Sume laudes ecclesiae.

2. In tuo te Georgio
Certatore fortissimo
Colit, miratur, celebrat
Tibique laeta jubilat.

3. Tu tanti prece militis
Auge profectus gaudiis,
Culpa vel culpae merita
Ne pariant contraria.

4. Audi, tu martyr inclite,
Super astra clarissime,
Audi preces rogantium,
Quod velle nosti Dominum.

5. Semper ille vult parcere,
Salvare vult, non perdere,
Posce clemens, ut faciat,
Quod facere desiderat.

6. Cohaeres magni principis
Praeclarus factus meritis,
Nos impetra per gratiam
Mereri saltem veniam.

7. Quaesumus, auctor omnium.

Diurn. ms. Cong. S. Justinae saec. 15. Cod. Mutinen. XII. D 17.

187. De sancto Georgio.

1. Insigne festum militis
Et martyris Georgii
Colat praesens ecclesia
Gaudens triumpho filii.

2. Illum fides fortissima
Et spes et ardor impulit
Inire certamen grave
Pro trinitatis nomine.

3. Non Caesaris potentia
Terrere quivit martyrem.

Psalt. ms. S. Georgii Majoris Veneti D. saec. 15. — Das Weitere fehlt.

188. In Translatione s. Gratae.

Ad Vesperas.

1. Civitas alta supra montem posita,
Gaude tam sancta tibi data matrona,
Quae et nomine est et opere grata,
Dei filio vere est sociata.

2. O Grata, Dei ancilla, sponsa Christi,
Quae templum sancti spiritus exstitisti,
Amabilis es Deo facta et grata,
Nobis miseris succurre nunc, beata.

3. Protege, Grata, benedic, salvifica
Populum cunctum per tuum interventum,
Morbos averte corporis et animae,
Per Jesum salvi, per te simus liberi.

4. Concede, Christe, saeculorum Domine,
Nobis per sanctae Gratae cara merita,
Ut, quae te coram graviter peccavimus,
Hujus solvantur gloriosis precibus.

5. Salva, redemptor, plasma tuum nobile,
Signatum sancto vultus tui lumine,
Nec lacerari sinas fraude daemonum,
Propter quos mortem exsolvisti pretium.

6. Dole captivos esse tuos servulos,
Absolve reos, compeditos erige,
Et quos cruore redemisti proprio,
Rex bone, tecum fac gaudere perpetim.

7. Sit Deo patri laus in sponsa filii,
Sit coaequali laus sancto spiritui,
Civibus summis gaudium sit angelis,
Honor sit mundo Gratae sublimatio.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 2, 1 fehlen zwei Silben; sponsa ergänzt.

189. In Translatione s. Gratae.

Ad Matutinum.

1. Hymnum canamus gloriae
Illustri Christi filiae,
Quae vixit sine crimine
In hac valle miseriae.

2. In animo munditia,
In vultu pudicitia
Gratae relucet, bonitas,
Nobisque splendet sanctitas.

3. In ejus nunc praeconia
Linguam solvat ecclesia,
Gratae matronae gloriam
Promat sperando veniam.

4. Dies solemnis agitur,
Dies salutis colitur,
In quo spes repromittitur,
Hac attestante redditur.

5. Ergo, o Dei famula
Vere grata, per saecula
Christo conregnans, veniam
Nobis poscas et gratiam.

6. Nitamur totis viribus
Piis orationibus,
Ut sanctae Gratae meritis
Coeli fruamur gaudiis.

7. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi patrique gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{16}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup.

190. In Translatione s. Gratae.

Ad Laudes.

1. Gratae beatae gaudia
Mater colat ecclesia
Ejus mira praeconia
Depromens cum laetitia.

2. Regi conjuncta gloriae,
Flos nobilis prosapiae,
Vena misericordiae,
Vas mundum et vas gratiae.

3. Aurora temperantiae,
Aurum fuit prudentiae,
Argentum haec munditiae
Et columna constantiae.

4. Templum haec sancti spiritus,
Cujus beatus spiritus
Inter coelestes spiritus
Collocatur divinitus.

5. Altissimo sit gloria,
Propter beatae praemia
Nos ad coeli palatia
Christi perducat gratia.

Brev. ms. S. Gratae Pergamense saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup.

191. In Translatione s. Gratae.

In 2. Vesperis.

1. Grata, regina inclita,
Nobis succurrat hodie,
Nos ejus cara merita
Ducant ad thronum gloriae.

2. Grata, matrona nobilis,
Christo Jesu fuit grata,
Dei sponsa laudabilis,
Sanctis moribus ornata.

3. Regali orta germine,
Amatrix Pergamensium,
Vidua Grata nomine,
Ducissa, flos nobilium.

4. Regis aeterni filia,
Conservatrix munditiae,
Dilexit amabilia,
Mater misericordiae.

5. Argentum et divitias
Haec dispersit pauperibus,
Tres fundavit ecclesias
In Alexandri laudibus.

6. Amabilis Deo Grata
Mundi gloriam despexit,
Hospitale haec beata
Propter pauperes erexit.

7. Transit ad coeli gaudia,
Ad sceptrum de ergastulo,
Fragrat mira fragrantia
De suo sancto tumulo.

8. Transit mundi miseriam
Vadens ad regni solium,
Possidens veram gloriam,
Cedit luctus in gaudium.

9. Adesto nobis, Domine,
Qui Gratam hic gratificas
Et in sanctorum agmine
Sic in coelis magnificas.

10. Altissimo sit gloria,
Qui sanctae Gratae precibus
Nos in aeterna patria
Coeli conjungat civibus.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup.

192. De sancto Grato.

Ad Vesperas.

1. Confessorem et pastorem
Gratum Augustae concio
Veneretur et laetetur
Magno salutis gaudio.

2. Praesul Gratus cunctis gratus
Ecclesiae tuae matris
Sic praefuit, quod placuit
Tibi, Christe, splendor patris.

3. Compatiens, spe patiens,
Caritate largissimus,
Vir serenus fuit plenus
Dei fide, qua vivimus.

4. Dans mortuos vitae duos,
Lepram fugat et lumini
Reddit orbos, tollens morbos
Iste confessor Domini.

5. Qui finita carnis vita
Carnem ponens ad aethera
Scandit purus, adepturus
Aeterna Christi munera.

6. Pastor bone, Christum mone,
Ut det nobis, quod floridi
Te sequamur et ducamur
Ad coenam agni providi.

7. In communi detur uni
Trinoque Deo gloria,
Qui per Gratum det beatum
Beata nobis gaudia.

Offic. ms. S. Grati saec. 15. Codicill. Capit. Sedunen. 72. 16. A. — Brev. Augustense imp. 15**. B.

193. De sancto Grato.

Ad Nocturnum.

1. Celebri festo Grati confessoris
Cantu honesto, laudibus honoris
Sanctum laudemus, hunc hymnum cantemus
Orbis in oris.

2. Pontifex Gratus Augustae laudari
Vita beatus coelo, venerari
Terris meretur, hoc festo debetur
Plus celebrari.

3. Hic Thebaeorum corpora humavit,
Partem sanctorum secum deportavit,
Sacra in aede Augustensi, crede,
Plura locavit.

4. Caput Baptistae Gratus relevavit,
Sic tibi, Christe, placet, quem amavit,
Cui servivit, melius ut scivit,
Confessor iste.

5. Corpore castus fuit hic et mente,
Coelesti pastus scriptura decente
Pane hic fuit, sanctitate cluit
In evidente.

6. Sanctum Jucundum sanctus hic elegit
Illi secundum, illum praeelegit,
Uterque Deo placens est cum eo,
Qui cuncta regit.

7. Sit trinitati laus, honor, potestas,
Precibus Grati, divina majestas,
Veniam dona nobis da et dona,
Qui vera praestas.

Offic. ms. S. Grati saec. 15. Codicill. Capit. Sedunen. 72. 16. A. — Psalt. ms. Augustense saec. 15. Cod. Taurinen. E IV 27. B. — Brev. Augustense imp. 15**. C. — 3, 3 Aede Agganensi B. — 5, 2 docente C. — Nach Str. 3 Divisio B.

194. De sancto Grato.

Ad Laudes.

1. Collaudemus eximium
Gratum modulis cordium,
Qui germinans ut lilium
Palma florens fert bravium.

2. Hic stella fulgens radio
Nebularum in medio,
Luna in plenilunio,
Hunc decet jubilatio.

3. Praesul prudens, castus, pius,
Pudicus, justus, sobrius,
Prece cujus clementius
Nos regat Dei filius.

4. Ut sonant evangelia,
Mundi lux est eximia,
Gratus et Dei gratia,
Sal terrae pro prudentia.

5. Mirificantis actibus
Refulsit et virtutibus,
Cujus beatis precibus
Jungamur coeli civibus.

6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque numini
Virtus perennis flamini.

Offic. ms. S. Grati saec. 15. Codicill. Capit. Sedunen. 72. 16. A. — Brev. Augustense imp. 15**. B.

195. De sancto Gregorio.

1. Anglorum jam apostolus,
Nunc angelorum socius,
Ut tunc, Gregori, gentibus
Succurre jam credentibus.

2. Tu largas opum copias
Omnemque mundi gloriam
Spernis, ut inops inopem
Jesum sequaris principem.

3. Videtur egens naufragus,
Dum stipem petit, angelus,
Tu nummulam post geminam
Praebes et vas argenteum.

4. Ex hoc te Christus tempore
Suae praefert ecclesiae,
Sic Petri gradum percipis,
Cujus et normam sequeris.

5. O pontifex egregie,
Lux et decus ecclesiae,
Non sinas in periculis,
Quos tot mandatis instruis.

6. Mella cor obdulcantia
Tua distillant labia,
Fraglantum vim aromatum
Tuum vincit eloquium.

7. Scripturae sacrae mystico
Mire solvis aenigmata,
Theorica mysteria
Te docet ipsa veritas.

8. Tu nactus apostolicam
Vicem simul et gloriam,
Nos solve culpae nexibus.
Redde polorum sedibus.

9. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit honor ineffabili
Majestas summa flamini.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. B. — 2, 3 Spernis fehlt A. — 9, 3 Sit utriusque parili B. — Verfasser ist Petrus Damiani, in dessen Werken der Hymnus steht (Migne 145, 957).

196. De sancto Gregorio.

1. Gregori, doctor inclite
Tuo lustrata dogmate
Tota mater ecclesia
Plaudat ad haec solemnia.

2. Tu sidus micans fulgidum,
Jubar solare fervidum,
Illustras corda hominum,
Fers animae praesidium.

3. Celsas turres ecclesiae
Sedisque gubernacula
Tenes regens egregie,
Opponens propugnacula.

4. Terrenos vultus Anglicos
Romae videns ut angelos,
Motus misericordia
Fideles facis Anglia.

5. Hinc carceris ergastulo,
Carnis solutus vinculo,
Coeli locaris hodie
Comptus corona gloriae.

6. O sacrae apostolice
Dux fidei catholicae,
Nostris adauge mentibus
Fervorem sancti spiritus.

7. Praesta, beata trinitas,
Concede, simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85.

197. De s. Guidone Aquensi.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Novae laudis praeconio,
Quam nostri patris gloria
Solemni replet gaudio.

2. De mundo felix vehitur
Ad regni coeli solium,
Cujus vita dignoscitur
Forma virtutum omnium.

3. Fide purus, spe patiens
Et caritate fervidus,
Omni petenti largiens,
Pius, pudicus, providus.

4. Pro corona justitiae
Jam coronatus gloria,
Nostrae memor miseriae
Coeli procuret praemia.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos patris mirifici
Guidonis donet gratiam.

Legend. ms. S. Mariae Aquen. saec. 14. Cod. Capit. Aquen. s. n. Aus dieser Quelle geschöpft in J. B. Moriondos. Monumenta Aquensia Pars II, Taurini 1790, p. 104 (cfr. p. 19).

198. De s. Guidone Aquensi.

Ad Nocturnum.

1. Inclita gaudia pangamus, socii,
Gestaque fortia nostri pontificis,
Nam gliscit animus pro more canere
Tanti patris magnalia.

2. Nova lux oritur, nova laetitia,
Dum sidus panditur latens sub nebula,
De coetu florido dulcis flos redolet,
Coelum plaudit cum gaudio.

3. Plaudat Aquensium nobilis civitas,
Simul dioecesis laeta congaudeat,
Omnesque clerici vocibus jubilent
Novae laudis praeconio.

4. Hic est fons modicus crescens in flumina,
Sidus irradians, perlustrans omnia,
Flos amoenissimus candore rutilans
Offertur regi gloriae.

5. Stellato solio sedet in dextera,
Quem vallat laudibus coelestis curia,
Fulcitur omnium virtutum gloria
Pro sanctitatis culmine.

6. Te, summa deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abluas, noxia subtrahas,
Guidonis meritis pacem des omnibus
Festum hoc celebrantibus.

Legend. ms. S. Mariae Aquen. saec. 14. (Monumenta Aquensia II, 105.)

199. De s. Guidone Aquensi.

Ad Laudes.

1. Coeli cives assidue
Choros ducunt laetitiae,
Sed hac die jucundius
Vacant Guidonis laudibus.

2. In coelesti rosario
Flos odore mirifico
Regi offertur inclito
Vernans candore niveo.

3. Pastor gregis egregius,
Legis amator fervidus,
Exutus mole corporis
Vitae nutritur pascuis.

4. Angelicis agminibus
In hierarchiis superis
Nunc conjunctus dulcisonis
Perfruitur melodiis.

5. Plaudat polis Aquensium
Laudans patrem piissimum,
Qui cives sanctis precibus
Tuetur in angustiis.

6. Pater, proles, paraclitus,
Guidonis per suffragia
Defendant nos ab hostibus
Et ducant ad coelestia.

Legend ms. S. Mariae Aquen. saec. 14. (Monumenta Aquensia II, 107.)

200. De sancto Herculano.

Ad Vesp. et Noct.

1. Primo dierum omnium
Praesciveras tu inclitus
Perusinarum ovium
Pastorem hunc paraclitus.

2. Conditor almesiderum,
Herculanum, humilium
Participem, non scelerum,
Vehis thoro sublimium.

3. Verbum supernum prodiens
A patre istum radiat,
De Syria ut exiens
Mandata Dei faciat.

4. Vox clara, ecce, intonat
Perusinorum praesulis,
Quibus os suum resonat
Coeli pascendo epulis.

5. Enixa est puerpera
Te natum unigenitum,
Qui eruis a vipera
Et vincli tollis gemitum.

6. Hostis Herodes Totila,
Quem intulit rex pessimus,
Lictori dicens: mutila
Hunc, erat qui sanctissimus.

7. Christe, redemptor omnium,
A solis ortus cardine
Nobis da vitae praemium
Soluto carnis ordine.

Antiph. ms. S. Laurentii Perusini saec. 13. Cod. Capit. Perusini 30. add. saec. $^{14}/_{15}$.

201. De sancto Herculano.

Ad Laudes.

1. Herculanus Dei ductu
Pervenit in provinciam
Tusciae bono conductu
Relinquens suam Syriam.

2. Perusinis pastor praeest,
Quos nunquam non deseruit,
In hac vita dum is adest,
Semen bonum inseruit.

3. Bona temporis non optat,
Nisi ut nudis tribuat,
Quem feliciter adoptat
Noster Deus, ut imbuat.

4. Quos praecedit pastor bonus,
Ut ad ovile veniant,
Subeuntes leve onus
Hostem procul abjiciant.

5. Amputatur ejus caput,
Lupum enim non aufugit,
Ut adforet oves apud
More boni, qui non fugit.

6. Jnvenitur readjunctum,
Quod corpori totaliter
Fuerat ante disjunctum,
Nam vixit integraliter.

7. Ut sequamur tantum patrem,
Det pater nobis gratiam,
Invocemus Dei matrem,
Ut habeamus gloriam.

Antiph. ms. S. Laurentii Perusini saec. 13. Cod. Capit. Perusini 30. add. saec. $^{14}/_{15}$. — 7, 1 sequantur.

202. De ss. Hermagora et Fortunato.

Ad Vesperas.

1. Omnes ad haec, Christicolae,
Sacra festa concurrite,
Hodie jubar fidei
Finibus his emicuit.

2. Laudantes ergo jugiter
Natum superni numinis
Hermagorae sanctissimi
Triumphum cuncti pangite.

3. Quia fluenta janitor
Auxit polique gurgite,
A quo vates imbutus est
Leonis typum conferens.

4. Aquilejensi populo
Hic praesulem instituit
Hermagoram egregium,
Fide clarum et moribus.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Tarvisinum saec. 15. Cod. Capit. Tarvis. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B.

203. De ss. Hermagora et Fortunato.

Ad Nocturnum.

1. Postquam culmen hoc ordine
Adeptus est ecclesiae,
Sancto plenus spiramine
Multis fulsit miraculis.

2. Demens Sebastus audiens
Tunc famam tanti praesulis,
Captum caesumque equuleo
Suspensum scindit ungulis.

3. Laetus post haec in carcerem
Martyr Christi retruditur,
Fulsisse videns tenebras,
Vinctorum custos credidit.

4. Antiquum hostem unico
Pulsum cernens a filio,
Gregorius cum omnibus
Suis in fronte tingitur.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Tarvisinum saec. 15 Cod. Capit. Tarvis. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B. — 2, 1 Sevastus B. — 3, 4 Vinculorum custos AB. — 4, 3 Gregorio B.

204. De ss. Hermagora et Fortunato.

Ad Laudes.

1. Visum petens oculis
Tibi venit Alexandria,
Cordis simul et corporis
Lumen habere meruit.

2. Glorioso huic martyri
Socius fuit in vinculis
Levitarum praecipuus,
Fortunatus eximius.

3. Jussu tunc saevi praesidis
Ambo truncantur capite,
Parvo necis commercio
Christi mercantur praemium.

4. Summe sacerdos Domini,
Te levitaque petimus,
Nos in adversis omnibus
Vestris juvate precibus.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Tarvisinum saec. 15. Cod. Capit. Tarvis. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B. — 1, 1 Jisum B; pentens optulis AB; es fehlt eine Silbe — 1, 2 Eine Silbe zu viel; lies Alexandra? — 2, 2 fuit einsilbig; oder lies fit. — 2, 3 fehlt B. — 3, 3 Lies Pari necis? — 4, 3 Nos fehlt B, in fehlt AB. — 4, 4 Nos vestris B. — Dieser Hymnus bildet ursprünglich mit den beiden vorhergehenden nur einen.

205. De sancto Hieronymo.

Ad Vesperas.

1. Hymnum novum decantemus
Modulatis vocibus,
Jeronymum imploremus
Pium patrem, omnibus
Ut adsistat, occurramus
Sinceris affectibus.

2. Mundum vanum contemnentem
Ex Stridonis oppido
Eremumque sitientem
Ex patre Eusebio
Nobili ex stirpe natum
Confini Pannonio.

3. Verum lumen nostrae vitae
Petentem Hebraicam,
Simul Graecam et Latinam
Linguam et grammaticam
Victorinum oratorem,
A quo et rhetoricam.

4. Sacrosanctum scripturarum
Abyssale fluvium
Intuentem quam praeclare
Auxit et praeconium
Effundendo nobis planum,
Quod erat tam asperum.

5. Decus, honor Deo patri
Sit et ejus filio,
Spiritui sancto pari,
Doctori eximio
Et Jeronymo beato
sempiterna saecula

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 5, 3 sancto patri.

206. De sancto Hieronymo.

Ad Nocturnum.

1. Chorus fidelium, coetus angelici
Pangant praeconium sancti Jeronymi,
Cultoris eremi, fidelis Domini
Et doctoris eximii.

2. Totum se praebuit Dei obsequio,
Cum mundum renuit in monasterio,
Quod sibi condidit et suis posteris
Juxta praesepe Domini.

3. Ornatus meritis, dives virtutibus,
Cum suis monachis in die obitus
Colloquens monuit, ne moestidudinem,
Sed verum gerant gaudium.

4. Regnis coelestibus, mundi miseriam
Cum meis actibus relinquens, veniam
In summa gaudia, aeterna praemia
Per infinita saecula.

5. Ex hoc sit gloria patri et filio,
Laus sit et latria sancto paraclito,
Ut cum Jeronymo ducat ad patriam
Et lucem, quam inhabitat.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 3, 3 ut non moestitudinem. — 5, 2 et ergänzt.

207. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Sanctorum decus praesulum et doctor,
Lumen refulgens in obscuro, auctor
Noster salutis, veritatis cultor,
Eremi pastor.

2. Tibi est datum regimen fidele,
Haereses omnes deprimens adhaeres
Sacrae doctrinae, malleus es vere
Haereticorum.

3. Augendo fidem contra infideles
Tu semper idem satagis docere,
Vitae perennis, ais, permanere
Fruitionem.

4. Gloriam mundi spernis contemnendo,
Carnem lascivam pius jejunando
Et nudam humum amplectens cubando
Semper in vita.

5. Utque ad astra traheris a summis
Coelicis viris diceris jucundis
Artubus sacris sociatus puris
Gaudiis vitae.

6. Tibi sit patri filioque vero
Gloria laudis, spiritui tuo,
Qui cum utroque sempiterno Deo
Manet aequalis.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 1, 1 Sanctorum deus. — 4, 3 nudam humo amplectus.

208. De sancto Hieronymo.

In 2 Vesperis.

1. Novum sidus verae lucis
Ex alto divinitus
Refulsit in cunctis locis,
Jeronymus coelitus,
Enodando sonum vocis
Aeternorum ambitus.

2. Ex abysso veritatis
Divini consilii
Hausit lumen claritatis
Et coronam lilii
Stolamque jucunditatis
Aureola praemii.

3. Sol illuminans obscura
Per omnia prospicit,
Expellendoque non pura
Haeresesque abjicit,
Indagando, quae sunt clara,
Veram fidem conficit.

4. Alveum eremitarum
Ampliavit pariter
Et illuxit quam praeclarum
Sic amara dulciter,
Quando mundum sibi carum
Contempsit celeriter.

5. Nudam humum amplexando
Ad praesepe Domini
Festinavit relaxando,
Quae nociva homini,
Bonisque communicando
Conformia lumini.

6. Deo patri laus et honor
Sit et ejus filio,
Spiritui sancto pari,
Doctori eximio,
Qui Jeronymum dotavit
In perenni gaudio.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 2, 3 Auxit lumen. — 3, 4 que ergänzt.

209. De sancto Hieronymo.

Ad Nocturnum.

1. Digni patris et doctoris,
Incliti Jeronymi
Concinamus cunctis horis
Claritatem animi,
Melodias laetis choris
Dantes servo Domini.

2. In Hebraeo primum scripta
Fuit sacra biblia,
Dat Latinis ejus dicta
Resoluta nebula,
Huic ergo circumscripta
Referatur gloria.

3. Cardinalem dignitatem
Pede calcans tenuit,
Ad deserti vastitatem
Contemplator abiit,
Monachorum honestatem
Habitumque induit.

4. Construentem loca plura
Coetus fratrum sequitur
Sub vivendi norma dura,
Nam nil coctum editur,
Potum dabat aqua pura,
Sicque corpus teritur.

5. Mira res et inaudita
Leo laesus accubat,
Mansuescit ferus, ita
Cum hic sanctus imperat,
Signo crucis mox levita
Plaga tumens solidat.

6. Restituta sanitate
Fit asello socius,
Leonina feritate
Spreta nulli noxius,
Parens absque tarditate
Pascit illum cautius.

7. Tres a morte suscitavit
Sacco vestis propriae,
Quorum dictis adprobavit
Veritatem gloriae,
Ut Cyrillus commendavit
Perpeti memoriae.

8. Suntque testes voces horum,
Quod est locus inferis,
Seductores populorum
Flammis dentur igneis,
Nam si sedes est bonorum,
Ergo carcer miseris.

9. Hic in coelo laureatus
Fert coronam triplicem,
Confessorum choro datus,
Virgo, doctor invicem,
Omnis error confutatus
Fuit per hunc obicem.

10. Decus, honor trinitati
Ministranti fercula
Menti servi praelibati,
Degustantis pocula,
Cui simus commendati
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patavini B 56. add. saec. $^{14}/_{15}$. — 4, 1 Construente. — 5, 2 Leo lexus accubebat. — 5, 3 Mansuescat. — 8, 4 Flammis edentur. — 9, 3 Confexorum.

210. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Jam pallet vultus siderum,
Currus septeni comitis
Ad alium migrat numerum,
Ab oriente cernitis
Lucoris adventum rerum
Visum clarere limitis.

2. Ferveat ergo animus
Face ignitus decora,
Et doctor ille maximus
Hac glorificetur hora,
Presbyter Hieronymus,
Spes nostra atque aurora.

3. Cujus vitae sancti mores
Notati fulgent saeculo,
Qui praecellit seniores
Adstantes coeli speculo,
Laureatus inter flores
Fruitur agno sedulo.

4. Virgo, virginum sacrarum,
Simul angelorum chori
Te honorant, prophetarum
Confessoresque decori,
Coetus et patriarcharum,
Martyres columnae pori.

5. Coram Deo tu es tantus,
Precamur, etsi non digni
Nostros exaudiri cantus,
Ne damnemur saevo igni,
Sed qui est sanctorum sanctus,
Regno mereamur jungi.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patav. B 56 add. saec. 14/15. — 3, 4 Adstans coeli. — 3, 6 Fluitur agno. — 4, 6 columnae po. —

211. De sancto Hieronymo.

Ad Vesperas.

1. Collaudemus venerantes
Inclitum Jeronymum,
Diem festum celebrantes,
Summi regis thalamum
In quo scandit degustando
Deum fontem optimum.

2. Omnis ejus velut vita
Sic refulget transitus,
Cujus caro tot attrita
Plagis hora exitus
Fragrat, micat, insignita
Luce fusa coelitus.

3. Nostri dextra redemptoris
Conscendens agiliter
Scalam lucis et splendoris,
Comitatus jugiter
Angelorum binis choris
Visus est veraciter.

4. Fratri sibi describenti
De beatitudine,
Augustino, cum ingenti
Lucis plenitudine
Revelavit se, stupenti
Mira pulchritudine.

5. Aether fulgens, melodiam
Quidam cernunt, audiunt,
Omnem coeli hierarchiam
Accurrisse sentiunt
Almo viro, cujus piam
Mortem tunc comperiunt.

6. Se declarat idem iste
Cum poli familia
Praecursoris et baptistae
Coaequalem patria,
Cujus verbis tua, Christe,
Lustratur ecclesia.

7. Sentiamus hujus prece
Dominum placabilem,
Qui Silvanum bis de nece
Salvavit amabilem
Et nundatum omni face
Fecit admirabilem.

8. Omnes cujus ante thronum
Refoventur ulcera
Et malignis oppressorum
Relevantur onera,
Patent oculi caecorum,
Surgunt et cadavera.

9. Regi regum, Deo patri
Et nato laus gloriae,
Modo Deo atque fratri,
Spiritalem gratiae
Qui doctorem sponsae matri
Dedit hunc ecclesiae.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolan. 10. — 4, 3 Augustina dum ingenti. — 5, 6 comperta. — 6, 4 Coaequale. — 6, 5 verbi. — 8, 5 oculis. — 9, 1 Regis. — 9, 3 atque patri.

212. De sancto Hieronymo.

Ad Nocturnum.

1. Novum sidus apparuit
Lucens coelesti lumine,
Repletum sacro numine,
Doctor summus ecclesiae.

2. Jeronymus virtutibus
Irradians coelestibus
Coeli thronis extollitur,
Dum toto mundo premitur.

3. Fons pietatis lucidus,
Virtute summa praeditus,
Dilucidans aenigmata,
Corde gestabat stigmata.

4. Qui vasta solitudine
Exustus solis lumine
Vixit sine crimine
Christi fultus munimine.

5. Novus miles accingitur
Cum dure fune cingitur,
Nec coctum quidquam sumitur,
Aqua sitis exstinguitur.

6. O fons dulcis clementiae
Ac grandis eloquentiae,
Decus magnae scientiae
Nobis succurre miseris.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 10. — 2, 4 prenitur. — 3, 1 Hic fons pietatis lucidum. — 4, 2 exusto. — 5, 1 Novum miles. — 5, 2 fehlen zwei Silben; fune ergänzt.

213. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Gaude, coelestis curia,
Cum sanctorum collegio,
Ac angelorum legio,
Patre ditata regio.

2. Occinite sonantibus
Choris hymnis et canticis,
Exsultent omnes protinus
In sanctorum penatibus.

3. Jeronymus progreditur,
Sursum sublimis vehitur,
Summus doctor ingreditur,
De terris lumen tollitur.

4. Hic est athleta nobilis,
Imbribus semper flebilis,
Heliae totus similis
Nec baptistae dissimilis.

5. Apud praesepe Domini
Summo subsidens numini,
Corpus sancti Jeronymi
Nunquam deerat limini.

6. Te, quem caverna artissima
Lustravit Jesus intima,
Oramus, ut foedissima
Propulses nostra crimina.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 10. — 1, 4 Patre dictan regio. — 2, 4 penantibus. — 4, 1 Hic athaleta nobilis. — 4, 2 ib'r semper flebilis. — 4, 4 Nec baptistae toto similis. — 6, 2 Lustrata Jesus infima. — 6, 3 Oremus.

214. De sancto Hieronymo.

1. Haec dies sacra fidei
Optata parit gaudia,
Dum luce tanti radii
Errorum cessant devia.

2. Summum jubar docentium,
Salve, decus et gloria,
In Christo lux credentium,
Falsitatis victoria.

3. Haereticorum malleus,
Errorum frangis fortia,
Cibus doctrinae melleus,
Vitae parans convivia.

4. Officiorum serie
Ditas cleri consortia,
Omni morum manerie
Per te fulget ecclesia.

5. Lux vitae eremicolis
Exempla das egregia,
Translator fers christicolis
Verae scripturae omnia.

6. Baptistae te dant similem
Vitae sanctae sublimia,
Transcendis pene hominem
Ob gratiarum gaudia.

7. Jeronyme, muneribus
In coeli magnus curia,
Sequi te da fidelibus,
Qui tua petunt munia.

8. In sanctorum splendoribus
Uni Deo sit gloria,
Qui Jeronymi precibus
Det nobis coeli gaudia.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — 7, 4 migris curia.

215. De ss. Hilario et Valentino.

Ad Vesperas.

1. Inclitas Christi martyrum
Celebremus victorias,
Novis pangamus canticis
Coelestiaque praemia.

2. Vos carnis acres impetus
Blandimentaque noxia,
Mundi fallaces glorias
Contempsistis alacriter.

3. Flamine sancto zabulum,
Hostem crudelem hominum,
Suis cum satellitibus
Longe fugastis omnibus.

4. Jussa spernentes impii
Proconsulis Demetrii
Graviaque supplicia
Morte vicistis aspera.

5. Alta coelorum limina
Scandentibus aligeri
Vobis coronas deferunt
Dignas cum palmis angeli.

6. Sacratus coetus omnium
Simul cum Christo martyrum
Vobis procedit obviam
Jucundis coeli hospitibus.

7. Aeterno patri gloria
Detur honor et filio,
Spiritui paraclito,
Cum quo vivunt in saecula.

Cod. Vallicellan. G. 77. saec. 17. mit der Bemerkung: Die tertia Februarii ibidem (d. h. in der Riten-Congregation) exhibitum. Die 2. Martii ibidem Congregatio ss. Rituum ad relationem Illmi. et. Rmi. Card. Bellarmini respondit, non esse concedendum (nämlich der Gebrauch des Officiums, von dem diese Hymnen ein Teil). Dieser Hymnus ist augenscheinlich jung, beziehungsweise stark überarbeitet.

216. De ss. Hilario et Valentino.

Ad Vesperas.

1. Pangamus laudes gaudii
Pro martyrum victoria
Valentini, Hilarii,
Quorum haec est memoria.

2. Venerunt in Italiam
Ab oriente gemini,
Perambulantes Tusciam
Castrum intrant Viterbii.

3. In quo erat Demetrius
Sanctis parans supplicia,
Proconsul iniquissimus
Iniqua fert officia.

4. Hos sanctos necti funibus
Jubet cum saxi pondere,
Tiberis mergi fluctibus,
Quos nequit aqua laedere.

5. Mox redeunt Viterbium
Sancto repleti flamine,
Verbis torquent Demetrium
Sacro loquentes famine.

6. In ponte Camillario
Mutilantur capitibus
In coelesti palatio
Sanctis junguntur coetibus.

7. Mulier Eudoxia
Sacrata membra sepelit,
Sanctorum actus conscia,
Propter quod mortem pertulit.

8. Post haec consul Demetrius
Dolore quassus ilii
Concutitur divinitus,
Palmam sumpsit martyrii.

9. Sic pugnavere martyres,
Sic devicere proelia,
Sic simus horum memores,
Ut nobis captent praemia.

10. Pro triumpho tam inclito,
Pro tam magna victoria,
Patri, nato, paraclito
Sit sempiterna gloria.

Cod. Bruxellen. 8067—74. (apogr.) saec. 17. A.

217. De ss. Hilario et Valentino.

Ad Nocturnum.

1. Pangamus laudes gaudii
Pro martyrum victoria,
Valentini, Hilarii,
Quorum haec est memoria.

2. Venerunt in Italiam
Ab Oriente gemini,
Perambulantes Tusciam
Intrant urbem Viterbii.

3. Degebat hic Demetrius
Sanctis parans supplicia,
Proconsul iniquissimus
Iniqua fert judicia.

4. Illos vinciri funibus
Saxique magni pondere
Jubet submergi fluctibus,
Sed nequit unda laedere.

5. Mox redeunt Viterbium
Sancto repleti flamine,
Verbis torquent Demetrium
Sancto loquentes famine.

6. In ponte Camillario
Mutilantur capitibus,
In coelesti palatio
Sanctis junguntur coetibus.

7. Pro triumpho tam inclito,
Pro tam magna victoria
Patri, nato, paraclito
Sit sempiterna gloria.

Cod. Vallicellan. G 77. saec. 17. — Bearbeitung sed vorigen.

218. De ss. Hilario et Valentino.

Ad Laudes.

1. Jubar gemelli sideris
Diem festum congeminat,
Sanguis fusus eliminat
Noctem tepentis aeris.

2. Profudit luminaria
Solis ortus occiduis
Carnis calcatis arduis
Fide firma viventia.

3. Jesse radix in surculos
Surgit, in germen glorium,
Valentinum, Hilarium,
Quos petit mucro jugulos.

4. Tellus cruore madida
Sacro ditat Viterbium,
Ut corda trepidantium
Reddat exemplo fervida.

5. Causa, tempus, martyrium,
Judex pares efficiunt
Sanctos, qui Christo serviunt
Per dispar ministerium.

6. Trinitati laudatio
Detur perpes cum gloria,
Qui dat suprema gaudia
Valentino, Hilario.

Cod. Bruxellen. 8067—74 (apogr.) saec. 17. A. — Cod. Vallicellan. G 77. (apogr.) saec. 17. B. — Str. 2 und 3 fehlen B. — 4, 4 Reddit A.

219. In Translatione ss. Hilarii et Valentini.

Ad Laudes.

1. Turba canora jubilo
Laudes exsolvat sedule,
Lucernae tectae nubilo
Clarent sub Christo praesule.

2. Terra fidelis texerat
Valentinum, Hilarium,
Later scriptus expresserat,
Nullum esse ludibrium.

3. Later crebro percutitur
A viris fodientibus,
Nutu Dei non rumpitur,
Qui testis est martyribus.

4. In Viterbi campestribus
Rosarum est plantatio,
Nostris vernans adspectibus
Rubricata floritio.

5. Comat stola dignifica
Praecelsa dextra filios,
Sacerdotis, levitica,
Jussus spernunt Demetrios.

6. Anno Christo millesimo
Trecenteno cum tertio
Laudes dantur altissimo,
Quo sanctis est translatio.

Cod. Bruxellen. 8067—74 (apogr.) saec. 17. — Str. 6 giebt das Alter des Hymnus an, eine Angabe die Rhythmik und Reim nur bestätigen.

220. In Translatione ss. Hilarii et Valentini.

In 2. Vesperis.

1. Praefulget orbis siderum
Pleno duorum lumine,
Quo plena Christi numine
Gaudet corona martyrum.

2. Pro viris claris genere,
Quos signant nobis sidera
Evectos super aethera,
Decet nos cantus promere.

3. Perfusi rore gratiae
Coelestis hic Hilarius,
Cui Valentinus praevius,
Tendunt ad partes Tusciae.

4. Dum fidem Christi praedicant,
Pagana gens convertitur,
Perversus ritus premitur,
Nam veritatem indicant.

5. Castri consul Viterbii
Exponit hos suppliciis,
Ut credant idolatriis,
Jussa spernunt Demetrii.

6. Quos mola gravis funditus
Demergit undis Tiberis,
Sed his ab aquis liberis
Adest juvamen coelitus.

7. Aulicos ursus necuit,
Sed praeses instat fortius,
Ut Hercli credant ocius,
Tunc mirum templum corruit.

8. Ensis exegit jugulos
Gloriosorum martyrum,
Qui scandunt sedes superum
Mundi contemnunt stimulos.

9. Pro quibus mira gaudia
Monstravit Christus latius,
Conversus est Demetrius,
Quo martyr est Eudoxia.

10. Deus nobis retribuat,
Cui referamus gratias,
Demus precum primitias,
Nos donis suis imbuat.

Cod. Bruxellen. 8067—74 (apogr.) saec. 17. — Vgl. die Bemerkung zur vorigen Nummer.

221. In Translatione ss. Hilario et Valentini.

1. Quibus jam Christi militum
Fidem pangamus canticis
Examinatam plurimum
Tormentorum periculis?

2. Quibus temnentem fortiter
Terrena spem coelestibus
Inhiantemque jugiter
Prosequamur honoribus?

3. Quibus plectendi corporis
Objicientem hostibus
Membra nudata perfidis
Ardorem sanctum laudibus?

4. Quibus virtutum culmina
Ceterarum praestantia,
Cuncta bellorum genera
Invicte superantia?

5. Sit ergo patri Domino
Ejusque nato gloria,
Spiritui paraclito,
Per quos vicerunt omnia.

Cod. Vallicellan. G 77. (apogr.) saec. 17.

222. De sancto Jacobo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Gloriosa dies ista
praesentat laetitiam
Et illustrat sua luce
praesentem familiam
Gaudiorum et salutis
ministrans materiam.

2. Hac piscator ille magnus
a captura piscium
Linquens patrem, linquens rete,
sed ditans officium,
Ad coeleste de terreno
transit mercimonium.

3. Jam non hospes nec colonus,
sed confessor curiae,
Quam venustat et delectat
lux paternae gloriae,
Sit adjutor et protector
adstantis familiae.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 1, 1 O gloriosa dies ista.

223. De sancto Jacobo.

Ad Laudes.

1. Solemne nobis gaudium
Reducit ordo temporum,
Quo per beatum Jacobum
Lustratur plebs fidelium.

2. Hic evocante gratia
Liquit patrem et retia
Et est secutus Dominum
Piscator factus hominum.

3. Hunc claritatis visio,
Sancta transfiguratio,
Cum se tribus exhibuit,
De tribus unum habuit.

4. Hunc et testem agoniae
Fons assumpsit clementiae,
Quando filius virginis
Sudavit guttas sanguinis.

5. Hic per Herodis gladium
Vitae percurrit stadium
Et muneratus bravio
Coeli laetatur solio.

6. Regi supremo gloria,
Qui verbo fecit omnia,
Quem videre in gloria
Mereamur per saecula.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 1, 3 Quae per. — 5, 4 fehlen drei Silben; laetatur ergänzt. — 6, 3 in fehlt.

224. De sancto Januario.

Ad Vesp. et Noct.

1. Martyrum princeps, decus et honestas,
Da tui testis varios agones
Atque sublimes famulis triumphos
Pangere nobis.

2. Quando poenarum stimulis cruentis
Pessimus Caesar jugulabat omnes,
Quos fidem Christi retinere toto
Comperit orbe,

3. Janitor vitae, comes angelorum,
Tu per ignitum graderis caminum,
Voce jucunda Domino sacrasti
Celsa trophaea.

4. O virum magnis meritis micantem,
Nempe flammarum medio progressus
Sospite crine simul atque salvos
Gessit amictus.

5. Ceteros sanctos pius ut magister
Admonet, secum validos minarum
Esse victores penitusque saevas
Temnere poenas.

6. Non tibi mordax rabies ferarum
Vulnus inflixit, salubris sacerdos,
Sed tuis belluae tribuere mites
Oscula plantis.

7. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Neapolitan. VI G 29. A. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. B. — 1, 2 Da tuis tectos varios B. — 3, 2 gradiens B. — 4, 1 Qui tuum magnis meritis A. — 5, 4 Tenere B. — 6, 2 Vultus A.

225. De sancto Januario.

Ad Laudes.

1. Pastor insignis faciendo signa
Ad Dei cultum fideique lucem
Traxit omnino tenebris subactos
Milia quinque.

2. Qui nimis caesus feritate nervos
Collum praecisus digitumque felix
Munus antistes habitus sacrati
Tradit egeno.

3. Cum suis tandem sociis perennem
Deferens palmam super aethra scandit,
Nunc ibi regnant polici fruentes
Lumine regis.

4. Inde virtutum radiis refulgens
Hinc triumphator cumulos volantes
Ignis exstinxit patriam gubernans
Scilicet istam.

5. Et tibi, mater, miserando prolem,
Ejus assurgens precibus, revinxit
Et tibi clemens laqueos resolvit
Mortis acerbae.

6. Noxios casus populi secundat,
Virus expellit colubri veterni,
Diluens culpas recreat salutem
Coelitus aegri.

7. Parthenopensis rogitemus urbis
Esto protector, celebrande martyr,
Pacis aeternae, petimus, refunde
Commoda nobis.

8. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Neapolitan. VI G 29. — 2, 1 Qui nica caesus feritate nerbos. — 4, 2 triumphatos. — 5, 1 proles. — 6, 1 Noxias.

226. De sancto Januario.

Ad Vesperas.

1. Justi hymnum laude dignum
Januario canere
Procuretis, ut debetis,
Jam lucis orto sidere.

2. Amor ingens in te vigens,
Mirum sequi martyrium
Digne fecit et perfecit
Te lucis ante terminum.

3. Nimis felix, vir infelix
Subjecit te sententiae,
Dum orabas, dum clamabas:
Summe Deus clementiae.

4. Vim ardoris, non candoris,
Amisit coram civibus
Ignis densus et accensus,
Exsultet coelum laudibus.

5. Ante pedes ut haeredes
Currunt, ut lingant vulnera,
Dirae ferae, possidere
Aeterna Christi munera

6. Rite rei Timothei
Punitur jam crudelitas,
Qua terretur et torquetur,
O lux beata trinitas.

7. Iter bonum, Dei donum,
Procura nobis coelitus
Exspectando, decantando:
Veni, creator spiritus.

8. Vale, princeps, nos deinceps
Passus sub diro praeside,
Sibi jungat et conjungat
Splendor paternae gloriae.

9. Sancte pastor, legis factor,
Dona nobis remedia,
Habeamus, ut optamus,
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. S. Clarae Neapolitan. saec. 14. Cod. Casanaten. B. III 5 (407). add. saec. 15. A. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. B. — 3, 1 felix vie infelix A. — 5, 1 Inte pedes quia debes A. — 5, 2 ut liga A, ligant B. — 7, 1 Inter bonum A.

227. De sancto Januario.

Ad Nocturnum.

1. Psallat cantum Deo sanctum
Semper in bonis actibus
Mens humana non profana
Somno refectis artubus.

2. Christo decus addat coetus
Januarii carmine,
Quem creavit et dotavit
A solus ortus cardine.

3. Sanctum morem et honorem
Dedisti tu Florentio,
Prece patris magnum satis,
Jesu, nostra redemptio.

4. Gens vicina prae ruina,
Cum globi ignis defluunt,
Praegravatur et sanatur,
Vexilla regis prodeunt.

5. Suscitatum matri natum
Donavit clementissime
Pastor dignus et benignus,
Aeterne rex altissime.

6. Mente tota et devota
Cantemus almo praesuli
In hoc tono Dei dono,
Jesu, salvator saeculi.

7. Summe bonam da coronam,
Vitae beatae praemium,
In aeterno nobis regno
Christe, redemptor omnium.

Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). A. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. B.

228. De sancto Januario.

Ad Laudes.

1. Laudes chorus tam decorus
Januario jubilat,
Cum in mane satis plane
Aurora lucis rutilat.

2. Qui bellavit, superavit,
Habet exinde meritum,
Hostem vanum et insanum,
Deus, tuorum militum.

3. Vir tribunus orat pronus:
Mihi salutem obtine,
Sanctus venit et nvenit,
Lucis creator optime.

4. Per defunctum vita multum
Patet perfecti hominis,
Cum surrexit et perrexit,
Consors paterni luminis.

5. Quos salutem et virtutem
Pressit antiquus proditor,
Ut oravit, impetravit,
Audi, benigne conditor.

6. Approbata et beata
Stantes in fide solidi,
Si velimus, vere imus
Ad coenam agni providi.

7. Pro peccatis jam purgatis
Prius concessa venia
Nobis detur et donetur
Aeterna coeli gloria.

Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). add. saec. 15. A. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. B. — 1, 1 tam fehlt A. — 2, 1 Quia bellavit. B. — 3, 2 optime A. — 4, 1 vitam B. — 5, 3 Et oravit A. — 6, 3 Sive linus vere himnus A.

229. De sancto Januario.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Neapolis,
Laudem dans Dei filio,
Qui tot fulget miraculis
In tuo Januario.

2. Vincla, nervos, incendium
Ferasque praesul superat,
Ut consummet martyrium,
Hoste furente properat.

3. Sacro plectendus capite
Ut mitis agnus ducitur,
Christus in suo milite
Hostis scelus ulciscitur.

4. Tyrannum privat lumine
Turbis coram adstantibus,
Nec restitit a crimine
Sancti sanatus precibus.

5. Certam miser saevitiam
Caecus inde prosequitur,
Et post latam sententiam
Caput sacrum abscinditur.

6. Scandit martyr ad aethera,
Ut mater ante viderat,
Raptus miser in tartara
Descendit, quo meruerat.

7. Gloria tibi, Domine.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

230. De sancto Januario.

Ad Nocturnum.

1. In sua laude janua
Nobis sit Januarius,
Cujus dies haec annua
Celebretur devotius.

2. Fide rectus et opere,
Hostis spernens imperium,
Tactro servatur carcere
Jactandus in incendium.

3. Crucis fultus praesidio
Flammas constans ingreditur,
Sed in fornacis medio
In nullo prorsus laeditur.

4. Timotheus haec audiens
Educi sanctum praecipit,
Sed flamma mox exsiliens
Paganos plures perimit.

5. Torturus nervis praesulem,
Ut vel sic eum superet,
Sed verum Christi pugilem
Nunquam terrere praevalet.

6. Hinc tyranni saevitia
Crescit et feras praeparat,
Quas ex Christi clementia
Pastor insignis superat.

7. Gloria tibi, Domine.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525.

231. De sancto Januario.

Ad Laudes.

1. Adest dies laetitiae,
Dulci dignus memoria,
Quo praesul innocentiae
Triumphat cum victoria.

2. Christum gerens in pectore
Fide nunquam confunditur,
Pro qua in sacro corpore
Dura tormenta patitur.

3. Hunc Timotheus victimat
Non cedentem erroribus,
Sed hunc sanctus exterminat
Immensis cruciatibus.

4. Suo tinctus in sanguine
Ut agnus absque macula
Offertur sine crimine
Coruscans per miracula.

5. Viduae matris filium
Resuscitat ab inferis,
Defunctum quoque alium
Contactu sacri pulveris.

6. Flammam montis Vesuvii
Spargebat vis incendii,
Sed in terroris medio
Sanctus adest praesidio.

7. Gloria tibi, Domine.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — 6, 1 mons Vesuvii.

232. In Decollatione s. Johannis.

1. Propheta, martyr inclitus
Silet, triumphat hodie,
Lucernam missam coelitus
Manus texit perfidiae.

2. Zelo fervens justitiae
Regis incestum horruit,
Johannes, vir constantiae,
Scelerum virum arguit.

3. Saltavit nata viperae
Choros ducens lasciviae,
Matri portat adulterae
Caput prophetae gratiae.

4. Inter cruenta fercula
Caput in disco traditur,
Inter vesana pocula
Sanguis prophetae funditur.

5. Accedentes discipuli
Corpus cum reverentili
In loco ponunt tumua
Pia dantes suspiria.

6. Laudis solvatur debitum,
Christo decus et gloria,
Qui per Johannis meritum
Nos ducat ad coelestia.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85. A. — Brev. Aquilejense imp. Venetiis 1481. B. — 6, 1 solvitur B. — 6, 2 Christe A.

233. De s. Johanne Episcopo.

Ad Vesperas.

1. Gaude, fidelis concio,
In sancti natalitio,
Cujus praestant solemnia
Beata nobis gaudia.

2. Cujus sacratis precibus
Turba pressum in pluribus
Matri restauras puerum,
Conditor alme siderum.

3. Cedens turbarum turbini
Se jungit solitudini,
Ubi dum vivit coelitus,
Veni, creator spiritus.

4. Celso dictante nuntio
Insudat aedificio,
Tibi dans laudes debitas,
O lux beata trinitas.

5. In vanum dum aedificat,
Columba locum indicat,
Quam sequi studet propere
Jam lucis orto sidere.

6. Loca petens incognita
Invenit diu perdita,
Te laudans cum tripudio,
Jesu, nostra redemptio.

7. Montem vident comburere
Et oleum defluere,
Laudes ferunt ad Dominum
Te lucis ante terminum.

8. Ampulae vinum bibitur,
Dum bibunt, non consumitur,
Plures reficit gratia
Aeterna coeli gloria.

9. Constructa tandem cellula
Membra domat paupercula,
Nunc regnat in coelestibus,
Exsultet coelum laudibus.

10. Per hujus sancti merita
Nos, Jesu bone, visita,
Ut mereamur ingredi
Ad coenam agni providi.

11. Sit laus, decus, potentia,
Honor, virtus et gloria
Patri, nato cum flamine
A solis ortus cardine.

Brev. ms. Clusense saec. 14. Cod. Taurinen. D VI 11.

234. De s. Johanne Episcopo.

Ad Nocturnum.

1. Iste confessor, consors angelorum,
Regni possessor haeresque polorum,
Sit intercessor pro vita suorum,
Sanctus Johannes.

2. Qui pius, prudens, dulcis et benignus,
Sobrius, castus, omni laude dignus,
Vita dum praesens vegetavit ejus
Corporis artus.

3. Ad sacrum cujus festum concurrentes
Ipsum rogemus flentes ac gementes,
Ut piis ejus meritis juvemur
Omne per aevum.

4. Unde nunc noster chorus, Jesu bone,
Te deprecamur, ut nos in agone
Serves et regas, ut vitae coronae
Restituamur.

Brev. ms. Clusense saec. 14. Cod. Taurinen. D VI 11. — 1, 2 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — 4, 2 ebenso; nos ergänzt. — Am Schlusse noch der Anfang der Doxologie: Sit salus illi.

235. De s. Johanne Episcopo.

Ad Laudes.

1. Ave, fulgens stella,
Gemma claritatis,
Caritatis cella,
Rosa venustatis.

2. Solve vincla reis
Interventu precum,
Ut solutis eis
Gloriemur tecum.

3. Profer lumen caecis
Tu, qui meruisti
In splendore lucis
Haeres esse Christi.

4. Vitam praesta puram,
O vas puritatis,
Mentem flecte duram
Precibus beatis.

5. Monstra te esse patrem,
Ut per te ducamur
Ad supernam matrem
Ipsique jungamur.

6. Sit laus Deo soli
Tempore perenni,
Qui coeleste regnum
Contulit Johanni.

Brev. ms. Clusense saec. 14. Cod. Taurinen. D VI 11.

236. De s. Johanne Evangelista.

Ad Vesperas.

1. Orbis exsultet, populi laetentur,
Civium coeli sacri coetus ovent,
Tua, Johannes, ceteris amate,
Festa colentes.

2. Tuque tuorum, trabeate, mutam
Resera linguam modo famulorum,
Ut tui miras placide queamus
Pangere laudes.

3. Te quidem Jesus saeculi redemptor,
Nescium sordis nivei pudoris,
Nuptiis mundi dotibus amoris
Sibi elegit.

4. Ac sacra sacri pectoris in sui
Fonte fluenta unicus potasti,
Hinc et aeterni reserasti verbum
Patris in aevo.

5. O mire volans aquila, sublimes
Oculis plena penetrasti coelos
Et sola solem intueri fixe
Convaluisti.

6. Virginem caro sui genitricem
Tibi reliquit Dominus in cruce
Ac pro se pie filium te sibi
Atque solamen.

7. Mysteriorum coelitus sacrorum
Te novit omnis terra relatorem,
Quae tibi gratis revelata sistunt,
Inclite princeps.

8. Tu sicut carnis alius a labe,
Ita dolore necis alienus,
Christi dilecte, ceterisque felix
Quippe fuisti.

9. Non fuit sacrum digna corpus humus
Sumere tuum, ceterum in coelis
Gloriae stola creditur aeternae
Fore vestitum.

10. O mundi lampas, tenebras expellens,
Puer electe, gratiarum plene,
Templi columna, paradisi flumen,
Ager odoris.

11. Quae vox, quae lingua gratias opimas
Tuas et opes promere valeret,
Cum te creatus major in Olympo
Nullus exsistat?

12. Praepotens ergo tuos, exoramus,
Famulos audi, releva cadentes
Mentes et visco terrae laqueatos
Solve clementer.

13. Gloria, virtus, honor et potestas
Sit tibi, simplex Deus atque trine,
Qui rite facis, ordinas et regis
Entia cuncta.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B. — 1, 2 ovant B. — 3, 1 Tu quidem A. — 11, 1 optimas B. — 12, 2 revela.

237. De s. Johanne Evangelista.

Ad Laudes.

1. Solemnizemus hodie
Per omnem orbis cardinem
In festo beatissimo,
Johannes virgo, principem.

2. Cum angelis exercitus
Omnes coelorum civium
Exaltant in discipulum
Dilectione Dominum.

3. Congratulantur invicem,
Cum clara matre virgine
Johannem, amor unice,
Cernunt in carne vivere.

4. Tam speciosо puero
Reliquisti convivio
In nuptiis miraculum.
Secutus fuit Dominum.

5. Ubi tua praesentia
Refulget individua
In angelorum agmina
Et sanctorum militia.

6. A morte factum extraneum
Impollutum non dubito,
Carnis amore cogito
Virginitatis lilio.

7. Praerogativae praemium
Suscepit privilegium
De matre Christi filius
Recommendatus a Domino.

8. Johannes, Dei gratia
Imbutus affluentia,
De pectore dominico
Fonte potasti rivulo.

9. Assumpta tibi aquila
Qui penetrasti sidera,
Positus in exsilio
Sublimatus a Domino.

10. Johannes, amor mentium,
Inflamma cor clamantium,
Ut serviamus Domino
Succensi desiderio.

11. Laus sit patri cum filio,
Verbo incarnato genito,
Posito in praesepio,
Pro infinito imperio.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — 1, 4 Johanne. — 3, 3 Johannes. — 6, 1 facto extraneo. — 7, 1 Praerogativo. — 7, 3 filio. — 7, 4 Recommentatum. — 9, 2 Quae penetrasti. — 9, 4 Sublimato. — 10, 1 amor ardentium. — 11, 1 sit fehlt. — 11, 3 Positum. — 11, 4 Per infinito. — Der ursprünglich dunkle Text wird noch dunkler durch die augenscheinlich schlechte Überlieferung.

238. De s. Johanne Gualberto.

Ad Vesperas.

1. O summa deitas et immutabilis,
O crux mirifica et amplexabilis,
Se flectit servulo, o res mirabilis,
Deus pro rei venia.

2. Tantum mysterium crucis vir coelicus
Cernens cum pluribus, actus mirificus
Relinquit omnia et fit theoricus,
Quaerens divinam gloriam.

3. Tale prodigium nusquam inspicitur,
Pro beneficio regnum vim patitur,
Curramus singuli, coelum promittitur
Et datur summa gloria.

4. Ordo monasticus patris vestigia
Sequatur moribus, fugat et vitia,
Credat et patribus praxin, principia
Intendens post theoricus.

5. Te, trina deitas, unaque poscimus,
Sic tu nos visitas, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 547.

239. De s. Johanne Gualberto.

Ad Nocturnum.

1. Cives exsultant coelici,
Apostolique martyres
Et prophetarum cunei
Cum coetibus angelicis.

2. Solemnizantes jugiter
Pro patris almi gloria,
Johannis, qui adeptus est
Aeterna coeli gaudia.

3. Cujus morum insignia,
Sacrata fides celebrans,
Novellae prolis nos fetum
Perducat ad coelestia.

4. Hic namque pater genitus
In partibus Etruriae
Florentiae nobilibus
Et moribus et genere.

5. Religionis ambitum,
Quae viguit in patribus,
Renovavit in pristinum
Cum signis et virtutibus.

6. Tu, pater alme, protege
Religionis gremium,
Quae floreat cum fructibus
Ut lilium convallium.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 547.

240. De s. Johanne Gualberto.

Ad Laudes.

1. Hic coruscans miraculis
Novellam in convallibus
Instituit et plantulam
Opacis charismatibus.

2. Felicitatis cumulum
Princeps in aula regia
Adeptus est in partibus,
Orat pro nostra venia.

3. Cum hymnis ergo mysticis
Et jubilis coelestium
Jungat choris seraphicis
Nos regnans in perpetuum.

4. Gloria patri Domino,
Nato atque paraclito,
Nos hujus sancti merito
Coeli fruamur gaudio.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 547. — 2, 4 Ora pro nostra venia.

241. De s. Johanne Gualberto.

Ad Vesperas.

1. Johannes, gratiae ortus natalibus,
Flos pudicitae, praeclarus moribus,
Fons sapientiae, plenus virtutibus,
Fit norma poenitentiae.

2. O res mirabilis, amore nimio
Crucis amabilis ignoscit odio
Vir venerabilis, pro summo praemio
Fit servus Dei humilis.

3. Huic divinitus crux tota flectitur,
Qui sancto spiritu totus imbuitur,
Crucem intuitus reflexam sequitur
Mire spiratus coelitus.

4. Actu angelicus Johannes cernitur,
Totus propheticus verbis ostenditur,
Vir apostolicus vita praenoscitur,
Miles Dei catholicus.

5. Notum fit gentibus sancti praeconium
Pro mirabilibus, unde collegium
Fit ejus precibus, primus hic omnium
Pater fuit in omnibus.

6. Non ardet famulus in ignis medio
Humilis, sedulus patris suffragio,
Et quidam servulus evasit fluvio
Hujus patris discipulus.

7. Eminus conspicit suum hic obitum,
Filiis adjicit salutis monitum,
Angelum respicit virtute praeditum
Tunc, cum migrare perficit.

8. Sua prodigia quis posset promere
Ac beneficia quis recognoscere?
Stat pro familia divino munere
Princeps in aula regia.

9. Pater hic coelicus regnans in patria
Totus deificus Deo det gaudia
Trino, qui unicus est in substantia,
Deus verus, mirificus.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec.. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. B. — Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. C. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 215. D. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. E.

242. De s. Johanne Gualberto.

Ad Nocturnum.

1. Plandat chorus angelorum
In coelesti curia,
Omnis ordo clericorum
Psallat in laetitia,
Dum Johannes beatorum
Sequitur vestigia.

2. Sapientia doctorum
Cherubim est mysticus,
Flammam obtinens amoris
Verus fit Seraphicus,
Candens lilium decoris
Dicitur angelicus.

3. Ut Elias praedicebat
Futura complicibus,
Ut Elisaeus pollebat
Duplex prophetalibus,
Par prophetis exsistebat
Cunctis in virtutibus.

4. Firmamentum iste ornat
Mundi totam sphaerulam,
Coelum totum readornat
Manu tenens citharam,
Stellas suas se reformat
Pugnans contra Sisaram.

5. Crucifixus inclinatus
Huic jam humiliter
Dat, ut famulus beatus
Johannes hilariter
Stet in igne inflammatus
Et illaesus pariter.

6. Pluit imbres, dum oravit,
Sibi et discipulis,
Angelus panem portavit,
Quem divisit singulis,
Atque daemonem fugavit
Cum crucis signaculis.

7. Deo erat supernali
Totus vere deditus,
Coetui coenobitali
Lumen dat divinitus,
Solio coelestiali
Stat defuncti spiritus.

8. Quod sic signa dominantur
In hujus vestigiis,
Mors et vita admirantur
Excelsis praeconiis,
Atque coeli gratulantur
De tantis prodigiis.

9. Trinitati, unitati
Mirum sit imperium,
Nomini patris beati
Magnum sit praeconium,
Qui amore divinati
Nobis det praesidium.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. B. — Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15 Cod. Riccardian. 372. C. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. D. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. E.

243. De s. Johanne Gualberto.

Ad Laudes.

1. Johannes, clarus genere,
Pudicus mundo claruit,
Quem suo Christus munere
Salutis iter docuit.

2. Vitae Johannes studuit
In umbra solitariae,
Spem suam nunquam posuit
Mundiali laetitiae.

3. Quanti sanctus sit nominis,
Testetur ille mortuus,
Nexu solutus criminis
Qui coelo est continuus.

4. Patri Johanni fabrica
Domorumque displicuit
Terrae, statim fit ruica,
Si parvus rivus influit.

5. Pater perfectus gratia,
Decus Christi ecclesiae,
Angelica praesentia
Spiritum reddit gloriae.

6. Ad patris sancti tumulum
Qui populus convenerat,
Sumit abundans ferculum,
Quod modicum invenerat.

7. Febre vexata nimia,
Quae tumulo prosternitur,
Stat sana Christi gratia,
Johannes dum requiritur.

8. Detentos a daemonibus
Ejus sacratum brachium
Sanat et confert omnibus
Magnum salutis gaudium.

9. Sit trinitati gloria,
Honor, decus, imperium,
Sint nobis coeli gaudia
Per Johannis suffragium.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. B. — Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. C. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. D. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. E.

244. In Translatione s. Johannis Gualberti.

Ad Vesperas.

1. Gaudet nunc in coelestibus
Johannes, Dei famulus,
Qui quondam velut lilium
Odorem dedit optimum.

2. Nam reo data venia
Cum fuit in ecclesia,
Crux grates egit capite
Inclinans se pro munere.

3. Quo patre cunctis opibus
Relictis tactus coelitus,
Vestem cepit quantocius,
Affectans esse monachus.

4. Sed cum Giezi apparuit,
Leprosus, iste timuit
Subesse Simoniaco
Abbati vel episcopo.

5. Camaldulas tunc adiit,
Sed tamen inde rediit,
Nolens esse sub modio,
Sed lucens in candelabro.

6. Sic tandem monasterium
Ipse construxit optimum
In Vallumbrosa, cetera
Posthabuit coenobia.

7. Quantis ditatus praemiis
Quantisve fuit meritis
Impletus sancto flamine,
Non possumus exprimere.

8. Rogemus ergo monachi
Christum simul et clerici,
Ut ejus sancti precibus
Laetemur in coelestibus.

9. Concedat rex piisimus
Ejus et unigenitus,
Sanctus simul paraclitus,
Trinus et unus Dominus.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B.

245. In Translatione s. Johannis Gualberti.

Ad Nocturnum.

1. Gratia Dei meritisque Johannes
Monachos quondam panem non habentes
Carnibus vesci voluit pro fame,
Licitum putans.

2. Sed cito Christus suos non relinquens
Nuntium misit panes afferentem,
Ut saturaret sui laudatores,
Qui cibat omnes.

3. Simili modo famulus insanus
Passus maniam, cum iret sanandus,
Se tradens Arno mediis illaesus
Stetit in undis.

4. Postea Deus daemonem ejecit
Ante sepulchrum meritis ipsius
Atque sanavit brachium jam siccum
In muliere.

5. Itaque, fratres, debitas agamus
Sancto Johanni gratias immensas,
Ut maneamus in dilectione,
Quam praedicavit.

6. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati spiritusque sanctus,
Qui ab utroque pariter procedens
Cuncta gubernat.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. — 1, 2 Monachis A. — 3, 2 Passi manum A.

246. In Translatione s. Johannis Gualberti.

Ad Laudes.

1. Pangamus mente sedula,
Quae fecerit miracula
Johannes Christi nomine
Et auctor nostri ordinis.

2. Nam arbor fagus nomine
Hoc signum monstrat hodie,
Quod foliis et floribus
Prius vestitur omnibus.

3. Lacus, qui sine piscibus
Multis fuit temporibus,
De novo duos protulit,
Quos ipse papae contulit.

4. Ad suam precem intimam
Que coelum dedit pluviam,
Et ignis et rigambulus
Implere jussa protinus.

5. Ejus matrona precibus
Dimissa est a febribus,
Et alter suo nomine
Cadens evasit flumine.

Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Trivulzian. 265. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B. — 2, 1 Jam arbor A. — 4, 3 rigambolus B. — Am Schlusse noch der Anfang einer Doxologie: Gloria tibi Domine, Gloria unigenite.

247. De s. Johanne Matherensi.

1. Coeli celant gloriosam
Supernorum curiam,
Vitam atque penetrale
secretorum omnium,
Ubi fantur, quod non fatur
Apud ullum hominum.

2. Sed aeternus ac immensus
rex insuperabilis
Terram, coelum, ima, celsa
uti ineffabilis
Facit, quibus sanctis suis
exstat admirabilis.

3. Qui abbatis Pulsanensis
implevit praecordia
Vivo fonte, quo potaret
subditorum agmina,
Quibus novam musto plenus
promulgaret regulam.

4. Angelorum nactus vitam,
ut mortales angelos
Faceret et veri solis
propalaret radios
Et supernae civitati
restauraret perditos.

5. Gravi mole premebantur
in Aegypto saeculi,
Quos Pharao, rex Aegypti,
sub lege servitii
Detinebat ad perennis
jugum exterminii.

6. Hic proposuit magistros
luti atque lateris,
Ut terrenis premerentur
corda nostra paleis,
Nec in nostro mari mares
ullus esse voluit.

7. Et Johannes Pulsanensis
sumpta virga Moysi
Tenebris de peccatorum
traxit populum Dei,
Parsimonia legali
strinxit fluxum saeculi.

8. Nutrit masculos virtutum
atque findit impetum,
Poenitentiae baptisma
enecat Aegyptium,
Et divinum contra hostes
praeparat exercitum.

9. Per desertum vitae hujus
gregem sibi subditum
Manna pavit ac lymphavit,
quo paravit aditum
Ad ingressum sanctae terrae,
qua pars est viventium.

10. Rex aeternus ac tremendus,
incomprehensibilis,
Hujus meritis Johannis
adsit exorabilis
Et peccata nobis cuncta
tollat ineffabilis.

11. Sit laus patri filioque
atque sancto pneumati,
Qui Johannem Pulsanensem
magnis vitae meritis
Decoravit et aeternis
mancipavit praemiis.

Hymn. ms. Pulsanensis saec. 12. Cod. Vat. Palatin. 30. — Es existierten auf Johannes de Mathera ein Reimofficium und eine Sequenz; Trümmer davon sehe man Acta SS. Junii IV, 39 (alter Edition), nach Jordanus, Chronicon Montis Virginis 1649. Die Bollandisten bezeichnen l. c p. 38 obigen Hymnus als „Sequenz". Dies ist irrtümlich; der Schlufs der Sequenz steht p. 39. Als Quelle wird angegeben: Sequentia ex Ms. Palatino Bibl. Vaticanae. Unsere Quelle ist ein Palatinus, ist aber augenscheinlich nur durch Irrtum in die Sammlung der Palatini hineingeraten.

248. De sancto Joseph.

Ad Vesperas.

1. Stirpis Davidicae tendit ad aethera
Joseph de conjuge, cujus in dextera
Natus mirifice patris in tempora
Sedet, congaudent coelici.

2. Hic caelebs, humilis, sanctus ac sobrius,
Superni flaminis instinctu providus,
Mariae nubilis dicitur socius
Nucis florente virgula.

3. Cum jam dimittere tumentem uterum
Vellet, decernere jubetur iterum,
Plenam traducere, per sanctum spiritum
Est, quod in ea natum est.

4. Non in propatulo cogitat tremulus,
Sed magis clanculo mandatis sedulus,
Dei oraculo somno praemonitus,
Mariam ducit conjugem.

5. Inquit praenuntius: hac coeli janua
Procedit filius, qui tollit omnia
Peccata coelitus de mundi machina,
Deus homo, de luce lux.

6. Sed cum a Caesare edictum proditur,
Joseph protendere Bethlehem cogitur,
Et partum edere herilem promitur
Castis virgo visceribus.

7. O pater optime, Joseph amabilis,
Vitia comprime catervae labilis
Tuisque tribue vitae laudabilis
Certamen ac victoriam.

8. Festiva canimus tua solemnia
Totis visceribus, tu coeli praemia
Repende plebibus sanctaque numina,
Regno reddas incolumes.

9. O summe genitor ac fili genite,
Cunctorum conditor, spirans paraclite,
Bonorum praęstitor, veni de sidere,
Nobis esto propitius.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B.

249. De sancto Joseph.

Ad Nocturnum.

1. Patriarcha quam laudandus,
Joseph vir justissime,
Cui traditur servandus
Filius altissimae
Majestatis, nuncupandus
Virginis mundissimae.

2. Quis fidelior vocari
Potest inter homines,
Cui dantur conservari
Tam thesauri nobiles,
Per quos habent reparari
Coeli regni exsules.

3. O Joseph, noli timere
Mariam accipere,
Sic te voluit monere
Nuntius a sidere,
Gaudet filium habere
Dei casto viscere.

4. Cum jam puer educatur,
Magis adventantibus
Ferus Herodes turbatur
Minitans infantibus,
Sed te monens sic affatur
Magis remeantibus:

5. Nocte surgens tolle Christum
Matremque velociter,
Pergens fuge in Aegyptum,
Ibi siste jugiter,
Nec reducas, sed edictum
Praestolare firmiter.

6. Cum destinatis ad caedem
Innocentum milibus
Mortem sumit in mercedem
Rex Herodes invidus,
Iterumque Gabrielem
Mandat pater coelicus.

7. Tolle puerum et matrem,
Sic te monet Gabriel,
Herodes recepit acrem
Necem, terram Israel
Tene, dat securitatem
Universi arbiter.

8. Quam fideliter servare
Matrem atque filium
Studens paves repedare
Pristinum ad solium,
Sed Nazareth habitare
Moneris per angelum.

9. Tua festa collaudantes,
Pater Joseph, visita,
In te Christum adorantes
Placa prece sincera,
Ne nos jugiter peccantes
Mergat in tartarea.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B.

250. De s. Jucunda Rhegiensi.

1. Jucunda, virgo nobilis
Deoque acceptabilis,
Vitam beatae virginis
Secuta a cunabulis.

2. Carnem sacris jejuniis
Macerans et vigiliis,
Lacrimas et suspiria
Effundens coram angelis.

3. Juncta beato Prospero,
Non carnali commercio,
A spiritu Paraclito
Erecta cum tripudio.

4. Ad hanc ille sanctissimus
Modulatis carminibus
Et spretis curis omnibus
Sacris scribit apicibus.

Tamayo, Martyrol. Hispan. VI, 265 sq. ex „vetusto Breviario Rhegiensi“. — 1, 4 ab incunabulis.

251. De sancto Jucundo.

1. Augusta nunc Praetoria,
Novo gaude praeconio,
Te nam Jucundi gloria
Solemni replet gaudio.

2. Vita Jucundus optima
De te nascendo prodiit,
Rite detestans infima,
Coeleste regnum petiit.

3. Monstrant quoque miracula,
Quantus sit in coelestibus,
Diversa cum pericula
Suis repellat precibus.

4. Caput beati praesulis
Bis fertur versus Duriam,
Et unda quam terribilis
Suam sedat saevitiam.

5. Edent beatos feminae
Partus sancti suffragio,
Qui polleant acumine,
Si deprecentur serio.

6. Sedabit ipse turbinem,
Aestum, gelu, tonitrua,
Fulmen, nives et grandinem
Tolletque terrae noxia.

7. Jucunde, fac nos scandere
Tuo favore gaudia,
Quae tu docebas quaerere
Spernendo transitoria.

F. P. Duc, Culte de Saint Grat, Turin s. a. p. 8. ohne Angabe der Quelle. Da der Hymnus ausweise des Reimes ein alter zu sein scheint, habe ich ihn aus Duc herübergenommen.

252. De sancto Juliano.

1. Laus sanctorum martyrum,
Aulae coelestis militum,
Deo ministros advocans,
De morte vitam conferens.

2. Hic Julianus athleta
Animatus fide coelitus
Coacta fide illustribus
Christi triumphum graditur.

3. Puellam quoque nobilem,
Clari prolatam sanguinis,
Huic Basilissam nomine
Numero socias virginum.

4. Septemque fratres pueri,
Christi vocati nomine,
Plebsque digna adhaeret,
Secta parentum graditur.

5. Viginti namque milites,
Fide armati mentibus,
Opus additur martyrum,
Ipsi effecti martyres.

6. Filius quoque praesidis
Ad fidem matrem advocans,
Christi quod scholas reficit,
Draconum cultum evitat.

7. Sacerdos hic mirabilis,
Antonius, lucerna militum,
Orando terit idola,
Templa diversa corruunt.

8. Dum multas poenas saeviens
Fecit truncari gladio,
Cruorem fundunt sanguinis
Coeloque tradunt spiritum.

9. Adeptae sanctorum animae
Caeca demonstrans corporis
Cito sepulti funeris
Hostis triumphum evitans.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 1, 1 Laus zweisilbig — 3, 2 perlatam. — 3, 3 Huic pro Basalissa nomine. — 4, 2 votasti. — 7, 3 terret idola. — 8, 2 Ferri trunicari. — 8, 3 fundens. — 9, 1 Adepta. — Das Lied enthält augenscheinlich noch zahlreiche andere Fehler, die aber ohne weitere Quellen nicht zu entfernen sind.

253. De sancto Juliano.

Ad Laudes.

1. Urbs provecta Caenomannis
Juliani meritis,
Tanti patris nunc praeclara
Suscipe solemnia.

2. Ut quo duce veritatis
Sumpsisti praeconia,
Ejus ope sempiterna
Merearis praemia.

3. Cujus vera te perduxit
Ad fidem assertio,
Ejus semper tueatur
Ubique intercessio.

4. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Laus sit sancto spiritui,
Trino Deo et simplici.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

254. De sancto Julio.

Ad Laudes.

1. Sublimem Deum laudibus
Extollamus felicibus,
Qui natus sacra virgine
Spem nobis dedit veniae.

2. Confessoris egregii
Solemne festum Julii
Devota Deo pectora
Celebrantes ovantia.

3. Hic sanctus in infantia
Divina tactus gratia
Contempsit mundi prospera,
Anhelus ad coelestia.

4. Amore flagrans Domini
Suo cum fratre unico,
Juliano diacono,
Accola fuit saeculo.

5. Clarus sophiae dogmate
Terrae partes Italiae
Credentium per pectora
Verbi diffundit semina.

6. Adhaerens viti unicae
Ut palmes fructu ubere
Produxit vitae pocula,
Debrians corda intima.

7. Laetatur nunc per saecula
In aula coeli regia,
Unde devoti poscimus,
Fer opem nobis omnibus.

Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5. (470). add. saec. 15. — 2, 4 Celebravit ovantio. — 3, 4 Anellus ad; lies Anhelans? — 6, 1 Adoherens veri unice. — 6, 4 Debuam sibi corda. — 7, 1 Laetamur. — 7, 3 fehlen drei Silben; devoti ergänzt. — 7, 4 Per opem. — Am Schlufs noch Anfang der Doxologie: Deo patri.

255. De sancta Justina.

1. Annalis, ecce, orbita
Nobis reduxit gaudia,
In qua Justinae virginis
Festa clarent et martyris.

2. Quae Christo sponsa dedita
Florebat in ecclesia,
Die noctuque Dominum
Deposcens ad auxilium.

3. Hinc ille serpens lividus,
Mortis veneno perfidus,
Hanc pollicetur tradere
Malefico in scelere.

4. Aggreditur insidiis
Castum cubile virginis,
Quo pelliceret fraudibus,
Quam protegebat Dominus.

5. At virgo fortis brachio
Crucis munita clipeo
Hoste prostrato impio
Lucrato gaudet aemulo.

6. Adscivit sibi socium,
Quem prius sensit aemulum,
Qui juncti simul validi
Praedam tulerunt barathri.

7. Post praesul Christi Domini
Et mater monasterii,
Pari corona incliti
Effulsere martyrii.

8. Regnant in coelis aurei,
Qui hic vicere ferrei,
Agnum sequuntur praevium,
Quem coluere Dominum.

9. Precemur ergo singuli,
Omnes clamemus subditi,
Quo sacrae matris merito
Christo vivamus Domino.

10. Gloria sit altissimo,
Celso qui sedet solio,
Qui sanctis auget praemia
Optata post victoriam.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placentini 18. A. — Brev. ms. Placentinum saec. 14/15. Cod. Capit. Placent. 21. B. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit Placent. 19. C. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit. Placent. 20. D. — Psalt. ms. Placentinum anni 1514. Cod. Capit. Placent. 49. E. — Psalt. ms. Placentinum anni 1515. Cod. Capit. Placent. 48. F. — Mel.: Veni creator spiritus EF. — Nach Str. 4 Divisio.

256. De ss. Justo et Clemente.

1. O confessoris lucidi,
Justus et Clemens incliti,
Nos promimus christicolas
Vos usque ab infantia.

2. Liquistis terram Africam
Innando multa maria,
Quae profecto ut transita
Adivistis vos Tusciam.

3. Germani vos cum Regulo
Venistis archiepiscopo,
Per vos fecit prodigia
Dominus in Italia.

4. Civitatem Antoniam
Circumdederunt agmina
Guandalorum cum clippeis,
Arcubus atque lanceis.

5. Satis dolebat populus
Obsessus valde nimius,
Tanto namque dedecore.
Periculo inopiae.

6. Deerat alimonia
Populis in Antonia,
Supplices orant Dominum,
Ut ferat adjutorium.

7. Audite nam consilium,
Justus et Clemens inquiunt,
Praebete panes optimos,
Projicite ad Guandalos.

8. Arridet omnis populus
Sanctorum de consilio,
Pro petris panes jaciunt,
Ad bella quando veniunt.

9. Hostis erat famelicus,
Jacturam prompte commedunt,
Ut tangunt ora panibus,
Lapsi sunt ab hoc saeculo.

10. Praesta, beata trinitas,
Ut per ipsorum merita
Intrare aulam principis
Nos valeamus Domini.

Hymn. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 14. Cod. Vatican. 7599. A. — Brev. ms. Monachorum Angelorum (Florentiae) saec. 15. Cod. Vatican. Urbin. 599. B. — Brev. ms. S. Michaelis de Burgo (Pisis) anni 1457. Cod. Ravennat. 139. 1. Z. C. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Taurinen. J I 41. D. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 542. E. — Brev. Camaldulense imp. Venetiis 1484. F. — 2, 2 Minando multa A, In nando F. — Nach Str. 6 Divisio ad Laudes.

257. De sancto Justo.

1. Summa rectorum gloria,
Disponens Deus omnia,
Tui te laudant militis
Triumphum Justi martyris.

2. Cujus intenti laudibus
Laetis canamus mentibus,
Festum ejus in omnibus
Recolendum temporibus.

3. Qui lenitate placidus,
Christi miles intrepidus,
Mundi contemptis dapibus
Coeli ditatur opibus.

4. Lucerna Christi fulgida
Mundi vitat praeconia,
Sed cluens ejus praedio
Non latuit sub modio.

5. Ad ejus unde languidi
Tumbam sanantur plurimi,
Immundo pressi spiritu
Solo solvuntur aditu.

Cod. Ambrosian. S 17. sup. add. saec. 11.

258. In Sancti Juvenalis.

Ad Vesp. et Laud.

1. Gaudet sanctorum coetus supernorum,
Annua venit pretiosa, redit
Qua Christi miles Juvenalis, dies,
Aethera petit.

2. Unde natalem ipsius jam diem
Mente devota celebret plebs tota,
Cum quibus chorus noster et canorus
Personet odas.

3. Cujus, o dives Benevente, vides
Surdis auditum meritisque visum
Caecis, infirma sanitati membra
Reddere semper.

4. Te, Juvenalis, veneratur orbis,
Miraculorum patrator multorum,
Quodcunque poscis, obtinere noscis,
Inclite martyr.

5. Nunc summo cultu supplices precamur,
Suscipe juges famulorum preces
Ac tua prece scelera repelle
Te venerantum.

6. Quod nobis praestet te patris orante
Deitas, nati spiritusque sancti,
Optatum munus, qui colitur summus,
Trinus et unus.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928.

259. De sancto Ivone.

Ad Nocturnum.

1. Exsultet pars catholica,
Laetetur plebs Britannica,
Deo depromens cantica,
Ivoni qui dat coelica.

2. Nemo posset concipere,
Nec vox posset exprimere,
Quantis sit dignus laudibus,
Quantis rogandus precibus.

3. Ab aetatis primordio
Dei se dans obsequio,
Mundi spernens divitias,
Honores et delicias.

4. Sed coelestia sitiens,
Vera gaudia ambiens,
Sancta frequentans opera
Translatus est ad supera.

5. Conemur bonis actibus,
Rogemus piis mentibus,
Ut suis sacris precibus,
Jungamur coeli civibus.

6. Quod nobis Christus annuat,
Nos a peccatis abluat,
Precum hujus instantia
Dei fruamur gloria.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. — 1, 1 Exaltet pars.

260. De sancto Ivone.

Ad Laudes.

1. Jesu, redemptor saeculi,
Peccatis parce populi,
Ivonis sacris precibus
Nostris faveto fletibus.

2. Monstrant ejus austeritas
Et illibata puritas,
Quod sperabat de praemio,
Non gaudens transitorio.

3. Nullus posset per singula
Ejus crebra miracula
Narrare, quae per saecula
Lucent et clarent sedula.

4. Mortuos vitae reparat,
Aegros a morbis liberat,
Coelum precibus reserat
Et daemonibus imperat.

5. Cui testes sunt Anglici,
Aquitani et Gallici,
Quod ad hoc nequit objici
Quid, sed quod sunt veridici.

6. Ergo nos, pater inclite,
Vultu respice cernuo,
Nos majestati deicae
Cives dones perpetuo.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. -- 3, 4 clarent cedula. — 5, 1 Qui testes. — 5, 4 veradici.

261. De sancta Katharina.

1. Omnium factor, hominum redemptor,
Virginum sponsus, Deus alme, nobis
[Virgin]is dignae celebrare festum
[Da Ka]tharinae.

2. Haec parentela sata praenitenti,
Germen eluxit speciale regum,
Incliti regis veneranda proles
Unica Costi.

3. Respuit regnum socianda Christo,
Pauperes fovit, sibi parca vixit,
Obtulit sponso capitale magnum
Virginitatem.

4. Affluens verbi sale literati,
Eloquens virgo, senibus resistens,
Convocatorum superavit agmen
Philosophorum.

5. Lacte profluxit [jugu]ata cervix,
Bis decem metas subito dierum
Vexit in Sina chorus angelo[rum]
Virginis artus.

6. Laus Deo patri genitaeque proli,
Laus, sacrum flamen, tibi sit per[enne]
Laudis et nostrae com[es inremota]
Sit Katharina.

Cod. Vatican. Reg. 1351. add. saec. 12.

262. De sancta Katharina.

1. Pange sanctae Katharinae
gloriosa proelia,
Imitatrix Christi matris
moribusque fulgida,

2. Et cum ipsa regno poli
sociata virgine,
Quae resplendet super solem
gloriosa lumine.

3. Regi regum desponsata
magno censu sanguinis
Et honore circumdata
laudibus virgineis.

4. Haec tyranni jussa regis
despicit cum idolis
Amplexando verba vatum,
Christi cum apostolis.

5. Haec coelesti plena rore,
docta linguis omnium,
Vicit vires vitiorum,
regem cum rhetoribus.

6. Cum augusta multos duxit
ad regna coelestia,
Regi Christo praemittendo
duplicata munera.

7. Angelorum Dominique
visitata famine
Minas, ensem, spernit rotas,
verbera cum carcere.

8. Cujus caput cum truncatur,
lac fudit pro sanguine,
Et in monte deportatur
Sinai ab angelis.

9. Et pro nobis preces fundit
caritate fervida,
Ut Deus eam colendo
nostra demat crimina.

10. Trinitati summae laudes
referamus debitas,
Ut devotis, quas rogavit,
nobis donet gratias.

Brev. ms. Ambrosianum saec. 14/15. Cod. Trivulzian. A 102. A. — Psalt. ms. Ambrosianum saec. 14/15. Cod. Basil. Ambrosian. s. n. B. — 6, 3 promittendo A. — Str. 8. fehlt A. — Mel. B.

263. De sancta Katharina Bononiensi.

Ad Vesperas.

1. O Katharina nobilis,
Sancti Francisci filia,
Quae vitae semper labilis
Falsa sprevisti gaudia.

2. Ad sponsi Jesu nuptias
Exemplo, verbis, opere
Plures traxisti filias,
Devotas sacro foedere.

3. Vicisti carnis lubricum,
Figuram mundi labilem
Et daemonem falsidicum
Ob zelum Jesu stabilem.

4. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Antiph. ms. Franciscan. saec. 16/17. Cod. Lucen. 2674.

264. De sancta Katharina Bononiensi.

Ad Nocturnum.

1. Virgo Christi juvencula
Sanctae Clarae discipula
Efficitur et filia
Ejus sequens vestigia.

2. Dire suum corpusculum
Domans vicit diabolum,
Mundum sprevit vertibilem
Et florem ejus fragilem.

3. Nocte, die vigiliis
Intenta et jejunis,
Orationi dedita
Dabat salutis monita.

4. Deo canamus gloriam,
Qui virgini victoriam
Carnis, Satan cum saeculo
Dedit in hoc corpusculo.

Antiph. ms. Franciscan. saec. 16/17. Cod. Lucen. 2674.

265. De s. Katharina Bononiensi.

Ad Laudes.

1. Os nequit tuum promere,
O Katharina, gaudium,
Nec potest cor concipere,
Quod agis nunc, tripudium.

2. Nam Dei non in speculo,
Sed facie ad faciem
Mundato cordis oculo
Divinam cernis speciem.

3. Cum fide spes et caritas
Crescant in nobis omnibus
Et illibata castitas
Cum ceteris virtutibus.

4. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Antiph. ms. Franciscan. saec. 16/17. Cod. Lucen. 2674.

266. De sancto Laurentio.

Ad Vesperas.

1. Laurenti, merito flammis vitalibus uste,
   Qui fervente fide victor ab igne redis.
2. Vir dilecte Deo terreno in corpore quondam,
   Tunc quoque sidereus jam tibi sensus erat.
3. Qui potuisti oculos tactu revocare sepultos,
   Rursus et in vacua fronte referre diem.
4. Luminis exstinctis iterum accendisse lucernis,
   Credimus haec, signa te faciente crucis.
5. Addita nunc etiam populis miracula praestas,
   Ut fidei tribuas indubitanter opem.
6. Dum tua templa novant breviore robore plebes,
   Creveruntque trabes, crevit et alma fides.
7. Stipite contracto sua se mercede tetendit,
   Quantum parva prius, postea tensa fuit.
8. Crescere plus meruit succisa securibus arbor
   Et didicit sicca longior esse coma.
9. Unde recisa fuit, populus fert inde salutem,
   Si venit intrepidus, lumina caecus habet.
10. Tu, levita sacer, poena purgate, fidelis,
    Unde prius flammas, hinc modo lumen habes.
11. Visaque temporibus venerandi antistitis acta,
    Sed tamen aeterno sunt memoranda die.
12. Gloria sit summo patri prolique per aevum,
    Sancto et spiritui in saeculum saeculi.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Angelicus B III 18. A. — Brev. ms. S. Laurentii in Verano saec. 11. Cod. Vatican. 7018. B. — Hymn. ms. saec. 12. Cod. Lucen. 1463. C. — 4, 1 exstinctus AB. — 5, 1 dum breviori robore A, dum brevi oriorior B. — 9, 2 Sic venit AB. — 10, 1 pene purgate A. — 10, 2 hic modo.

267. De sancto Laurentio.

Ad Vesperas.

1. Sacra dies recolitur
   Passionis Laurentii,
   Contra quem nimis nititur
   Furor Caesaris Decii.
2. Pro thesauris ecclesiae
   Martyr trusus ergastulo,
   Caecis visum bifarie
   Dedit crucis signaculo.
3. Thesauros post inducias
   Distribuit pauperibus,
   Vitans hostis versutias
   Torquetur scorpionibus.
4. Romanus dixit: pereo,
   Tergentem tua vulnera
   Angelum in te video,
   Baptizare me accelera.

5. Laus, decus et imperium
Supremo sit artifici,
Roboranti Laurentium
In agone multiplici.

Brev. ms. S. Laurentii Ulciensis saec. 15. Cod. Taurinen. Palat. 11.

268. De sancto Laurentio.

Ad Nocturnum.

1. Diri tortores feriunt
Levitam jussi graviter
Fustibus, nec sufficiunt,
Quos arguit alacriter.

2. Laminas ferri capiunt
Igne candentes fortiter,
Lateribus adjiciunt,
Mergunt, ardent atrociter.

3. Qui dixit: in me respice,
Domine, te confessus sum,
Refert impius magicae:
Ab isto mago victus sum.

4. Plumbatis Christi militis
Renes et latus lacerant,
Saxis ad hoc expolitis
Os eidem dilacerant.

Laus, decus et imperium.

Brev. ms. Ulciense saec. 15. Cod. Taurinen. Palat. 11.

269. De sancto Laurentio.

Ad Laudes.

1. Ut mente fiat pavidus,
Ducitur cratis ferrea,
Nec facinoris avidus
Stramenta differt ignea.

2. In crate sternunt martyrem
Impio jussu praesidis,
Subtus perflantes celerem
Flammam ignis non desidis.

3. Gyra, si vis comedere,
In me complens martyria,
Dixit repleto scelere
Effectus Christi hostia.

4. Laus, decus et imperium
Supremo sit artifici,
Roboranti Laurentium
In agone multiplici.

Brev. ms. Ulciense saec. 15. Cod. Taurinen. Palat. 11.

270. De s. Laurentio Presbytero et Martyre.

Ad Vesperas.

1. A partibus occidius
Sanctus venit Laurentius,
Docere Dei gratiam
Habitantes Novariam.

2. Ibique delens idola,
Baptismo lavans corpora,
Mentes rigabat fluctibus
Divinis et coelestibus.

3. Certabat plebs incredula,
Antiqua peste saucia,
Malebat esse perditam,
Quam esse Christo redditam.

4. Instabat sacer strenue
Vellens virus ab homine,
Sectator vir justitiae,
Volens eos acquirere.

5. Sed post ista certamina,
Dignus captare praemia,
Necatur a crudelibus
Mausolei cultoribus.

6. Sit iste nobis precibus
Suffragator praecipuus,
Quo mereamur coetibus
Jungi tandem coelestibus.

7. Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

Propr. ms. Novariense saec. 17. Cod. Casanaten. XX II 31 (1859). — Da der Hymnus den Eindruck eines älteren Liedes macht, habe ich ihn unerachtet der späten Quelle aufgenommen.

271. De sancto Leodegario.

Ad Nocturnum.

1. Hic vir vere sanctissimus,
Qui fide Christi praeditus
Colla submisit manui
Gladiatoris impii.

2. Hunc deprecantes quaesumus,
Nos tueatur precibus,
Qui sanguinem pro ovibus
Pastor dedit egregius.

3. Exoret ipse precibus,
Christus intendat fletibus,
Nostrum reatum diluens
Et nos ab hoste muniens.

4. Te, martyr Christi, poscimus,
Leodegari, petimus,
Ut veniam poscentibus
Tuis implores precibus.

5. Ut qui sanctorum meritis
Unitus esse nosceris,
Vitae perennis gaudia
Nobis precando conferas.

6. Et qui conjunctis laudibus
Te recolendo canimus,
Tuis sacratis precibus
Nos jungas in coelestibus.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 2, 3 fehlen drei Silben; sanguinem ergänzt.

272. De s. Leone Catanensi.

Ad Vesperas.

1. Mentibus laetis hodie canamus
Praesulis divi Catinae Leonis
Festa, quae nostri coluere patres
Laudibus almis.

2. Qui sacer primis venerandus annis
Patriam linquens merito replevit
Italas urbes, simul et Sicanas
Nomine sacro.

3. Praesul electus, pietate clarus,
Legibus sacris cupide vacavit,
Verbo et exemplo populum refovit
Mitis ad omnes.

4. Hic magum vicit populo stupente,
Cum crucis signo simulacra vertit,
Quae prius nemo potuit sacrorum
Frangere patrum.

5. Hujus excelsis meritis precemur,
Christus ut nobis tribuat salutem,
Arceat pestem simul et iniqui
Semina belli.

6. Gloriam trino Domino perennem,
Tum patri et nato simul utriusque
Flamini sancto supplici canamus
Corde per aevum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

273. De s. Leone Catanensi.

Ad Laudes.

1. En, dies venit celebranda cunctis
Italis, nobis simul et Sicanis,
Qua Leo praesul patriam petivit
Jure supernam.

2. Hic dies toto celebratus orbi,
Turba sacratis precibus recantet
Debitas laudes meritis opimis
Praesulis almi.

3. Hujus oremus precibus supernum
Numen, ut pellat miseros ab hoste,
Arceat pestem, tribuat Sicanis
Pabula terris.

4. Ergo nunc laeti veneremur omnes
Praesulem sacrum Catinae Leonem,
Utque post vitae miserae labores
Astra petamus.

5. Da, pater, qui nos manibus creasti
Quosque per natum miseros replesti
Spiritu sancto, celebrare festum
Rite quotannis.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

274. De sancto Leonhardo.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, confessoris
Leonhardi merita,
Cor concordet voci oris,
Ejus festa inclita
Augent laudes salvatoris
Et relaxant debita.

2. Bonus iste servus Dei
Ortus fuit Francia,
Praesentatur Chlodovaei
Manu in ecclesia,
Crevit puer, sed non ei
Haeserunt inania.

3. Traditur hic a parente
Claro magisterio,
Discit dogma pura mente
Sub sancto Remigio,
Petit eremum repente
Cordis desiderio.

4. Partu angitur regina,
Medicus exquiritur,
Leonhardi medicina
Aegra sana redditur,
Fons erumpit vi divina,
Sanctus sanctis jungitur.

5. Glorioso regi Deo
Laus, honor, victoria,
Leonhardum qui trophaeo
Ornavit et gloria,
Gloriemur nos cum eo
Spreta mundi scoria.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavinae 734. A. — Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. B. — 1, 6 Et fehlt A. — 4, 5 in divina B. — 5, 5 nos fehlt B.

275. De sancto Leonhardo.

Ad Nocturnum.

1. Laxis resultant vocibus
Supernae matris filii,
Nam orbis in climatibus
Odor adspirat lilii.

2. Ecce, justus ut lilium
Florens per Dei filium,
Plantatus domo Domini,
Lumen adsistit lumini.

3. O Leonharde nobilis,
Columna es immobilis,
Coeli sita palatio,
Fruens omni solatio.

4. Natus Francorum genere
Puer nutritur tenere,
Chlodovaeus baptismate
Levat plenum charismate.

5. Adolescens spectabilis
Mundi pompas instabilis
Spernens Alvernam properat
Et Maximinum visitat.

6. Responso sumpto coelitus
Mox pergit Aquitaniam,
Reginae flenti anxius
Stillat salutis copiam.

7. De fonte gaudet fluido,
Nobis de fonte vivido
Ut Leonhardus hauriat,
Qui cor salire faciat.

8. Vivens Christo inhaeserat,
Ad quem post mortem properat,
Adornat Sion thalamum,
Dilectum carpens filium.

9. Sit trinitati gloria,
Ut Leonhardus docuit,
Nobis detur victoria,
Quae nullum hostem metuit.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. A. — Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. B. — 2, 3 in domo A. — 3, 2—4 fehlen B. — 4, 3 fehlt B. — 4, 4 plenus A, chrismate AB. — 5, 2 pompis A. — 5, 3 Spernens alumnam B. — 6, 2 pergi equitaniam A. — 7, 3 Ut fehlt B. — 8, 1 Unus Christus B. — 8, 3 Sion fehlt B. — 8, 4 lies carpens lilium?

276. De sancto Leonhardo.

Ad Laudes.

1. Altipotenti debitas
Cuncti agamus gratias,
Qui Leonhardum contulit
Nostrae salutis vindicem.

2. Qui natus stirpe maxima
Relinquens solum proprium,
Militans in ecclesia
Mercatus est coelestia.

3. Illic pro nobis praevius
Sit precator continuus,
Preces fundens multimodas
Pro nostris criminibus.

4. Ut Deus sua gratia
Dimittat nostra crimina
Et pacem nobis conferat,
Simul coelestem patriam.

5. Sic lustrans mundi maria
Peregit mirabilia,
Solvens vinctos a carcere
Eosque reddens liberos.

6. Dehinc reginam, conjugem
Regis, fere jam mortuam
Reddens saluti pristinae
Sua cum prole regia.

7. Basilicam aedificat,
Sanctum simul coenobium,
In quo vivens viriliter
Dat vitae formam posteris.

8. Post cujus sanctum obitum
Fiunt ibi magnalia,
Ingentia miracula,
Deo canamus gratias.

9. Gloria patri Domino
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. — 1, 2 Cuncti peragamus. — 1, 4 indicem (judicem). — 3, 4 fehlt eine Silbe.

277. De sancto Leonhardo.

Ad Nocturnum.

1. Creator rerum omnium
Plasmator atque hominum,
Exaudi preces supplicum
Pia voce clamantium.

2. Concede nobis gaudia
Coelestia, terrestria,
Qui concessisti gratiam
Leonhardo continuam.

3. Qui gaudebat relinquere
Terrena cu m magnopere
Et ad coelica scandere
Contistente in nemore.

4. Ibi sacrae ecclesiam
Virginisque basilicam
Consecrari praeceperat,
Ad quam cuncti convenerant.

5. In qua ejus corpusculum
Mirifice reconditum
Moratur, ferens omnibus
Sospitatem petentibus.

6. Deo patri ac filio
Lausque pio paraclito,
Dominanti in solio
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Angelicus D V 10. — 4, 3 Consecrasti praeceperat.

278. De sancto Leonhardo.

Ad Laudes.

1. Pande magna Leonhardi
urbibus miracula,
Praeco, multa sospitati
dedita corpuscula
Omni morbo conterenti
jugiter languentia.

2. Ad quae facta et fienda
tanta plebs accesserit,
Unquam porro nemo illam
calculare potuit,
Atque templum nec eandem
tunc amplecti valuit.

3. Hoc respiciente Deo
agitur presbyteris
Mira visio in somno
sancto templo stantibus,
Construatur ut extemplo
templum majus gentibus.

4. Et in illud transportarent
sanctum ejus vasculum
Atque idem collaudarent
sacro loco positum,
Qui surgentes divulgarunt
plebibus oraculum.

5. Affligebant triduano
populi jejunio
Se praestantes magno Deo
holocausta optimo,
Ut pandetur locus suo
palam oratorio.

6. Sacrificiis peractis
et orationibus
Solum albet universis
niveis coloribus
Omne visibus exceptis
sacri templi partibus.

7. Spatioso sacro templo
quadratis lapidibus
Notabilibus perfecto
translatum hominibus
Sanctum ejus vasque nardo
comptum aromatibus.

8. Quod dum magna et majori
positum ecclesia,
Tam profunda dat languori
omnino miracula,
Quod audiri neque fari
poterit per tempora.

9. Deo orbis creatori
laus, decus, sit gloria
Ac ejusdem redemptori
pleno sapientia,
Ab utroque procedenti
per aeterna saecula.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Angelicus D V 10. — 1, 3 morbo compterenti. — 7, 4 translatur. — 7, 5 naxque nardo.

279. De ss. Liberata et Faustina.

1. Sanctorum diem virginum
Liberatae et Faustinae
Ex alto coeli cardine,
Christe, colentes suscipe.

2. Hae sorores unanimes
Nobili ortae genere
Sub paterno regimine
Fide fuerunt splendidae.

3. Una cum essent in domo,
Ex diverso praesagio
Portato viro mortuo,
Dei punguntur jaculo.

4. Jam videntes exsequias
Et mulieris lacrimas
Mundi recusant nuptias,
Ubi vana sunt gaudia.

5. Noctu surgentes virgines
Cumas venerunt citime,
Spreto terreno conjuge
Christo ducuntur principe.

6. Huc Genesina curia
Sancta transmisit corpora,
Supra portarum moenia
Fundaverunt ecclesiam.

7. Sed ob vulgi frequentiam
Intraverunt coenobia,
Locantes mansiunculam
Juxta fluvium Cosiam.

8. Hanc armillarum munere
Egerunt aquam currere
Ad monasterium utile
Dotes rogantes jugiter.

9. Donec vixerunt saeculo,
Auctae fuerunt Domino,
Verbo usae angelico
Regno gaudent aethereo.

10. O margarita inclita,
Liberata et Faustina,
Vestra summa virginitas
Nostra tergat facinora.

11. Vestra beata corpora
Faciendo miracula
Sunt atque jacent hodie
In Cumana ecclesia.

12. Laus, virtus, Deo gloria,
Qui haec sacravit corpora,
Sit benedicta trinitas
Per cuncta pie saecula.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bonon. Mezzof. 339. — 4, 3 recusantis nuptias. — 5, 2 lies Cumas eunt citissime?

280. De ss. Liberata et Faustina.

1. Filiae Tyri, Deo dedicatae
Sponso, Faustinae atque Liberatae
Celebri sub ista solemnitate
Pangite laudes.

2. Hodie namque regi offeruntur,
A quo sponsali stola induuntur,
Thalamo coelesti sic imponuntur
Regem amplexae.

3. Species quarum sponsus concupivit,
Genas pudicas sanguine minivit,
Corpori suo corpus inunivit
Casto amore.

4. Christi secutae gloriosa dicta
Nobilitate, moribus et vita,
Opibus spretis, patria relicta
Cumas feruntur.

5. Ibi divinis laudibus vacantes,
Templo fundato Deum venerantes,
Vitam praesentem finiunt orantes,
Pace sepultae.

6. Virginum ergo meritis istarum,
Christe, salutem confer animarum,
Scandere possimus ut in praeclarum
Aetheris regnum.

7. Gloria Deo sit aeterno patri,
Filio quoque sibi sempiterno,
Flamini sancto simul utriusque
Omne per aevum.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — 3, 1 sponsus ergänzt. — 3, 2 sanguine nimium. — 7, 2 lies sibi coaeterno?

281. De sancta Lucia.

Ad Vesp. et Noct.

1. Flos rutilans de hortulo
Virenti sugit virginum,
Quem agnus suavissimo
Irrigat rore plurimum.

2. Haec est Lucia lucida,
Alba columba pulchrior,
Quae Christi exstat famula
Suaque sponsa carior.

3. Haec virgo sacratissima,
Syracusana nobilis,
Cum matre Eutitia,
Languente fluxu sanguinis,

4. Rogabant sanctam Agatham
Ad ejus gressae tumulum
Medelam salutiferam,
Dormitque virgo paulum.

5. Et vidit ipsam Agatham
Dicentem: o carissima,
Quid petis illam gratiam,
Quam dare potes sedula.

6. En, tua parens libera
Tunc excitata tremuit,
Quae mox egenis omnia
Exhortans matrem tribuit.

7. Pro nobis ora sedula,
Lucia, per quam Domino
Decus sit atque gloria,
Nato quoque paraclito.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. A. — Brev. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. B. — 6, 4 Haec ortans AB, mater A.

282. De sancta Lucia.

Ad Laudes.

1. Ab hac vitatus audiens
Hoc sponsus eam detulit,
Quod Christum colat respuens,
Quod lex majorum praecipit.

2. Delatam tunc Paschasius
Compellit hanc, ut immolet,
Quae Deo, non daemonibus,
Respondit, quod sacrificet.

3. Ab hac ut tollat spiritum
Sacrum, hanc duci praecipit
Tyrannus ad prostibulum,
Quae nec moveri potuit.

4. In ignem missa additis
Resina, pice, oleo,
Illaesa stans immobilis,
Tunc caeditur cum gladio.

5. Quae dicens pacem redditam
Ecclesiae, sic animam
Dat Domino, mysteriis
Praesumptis a presbyteris.

6. Pro nobis ora sedula,
Lucia, per quam Domino
Decus sit atque gloria,
Nato quoque paraclito.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 547. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 546. B. — 1, 1 Ab hanc B. — 4, 1 missa abditis AB.

283. De sancta Lucia.

Ad Vesperas.

1. Laudes dulcis harmoniae
Matris vox ecclesiae,
Coeli concors hierarchiae,
Pangat regi gloriae,
Alma virginis Luciae
Festa colens hodie.

2. Urbe nata Syracusa
Properans Cataniam,
Virgo flagitat effusa
Virginalem sociam,
Ut salute curet fusa
Parentem Eutitiam.

3. Choro conspicit vallatam
Tum coelestis agminis,
Gemmis Agathem ornatam,
Qua de fluxu sanguinis
Matrem didicit sanatam
Sui fide virginis.

4. Illa vices mox rependit
Christo grata muneris,
Prolis voci dum intendit,
Nam in turbae pauperis
Opem opes cunctas pendit
Ante diem funeris.

5. Audit sponsus et turbatur,
Consulem Paschasium
Interpellans criminatur,
Quod in Dei filium
Sponsa credit, ut trahatur
Martyr ad supplicium.

6. Gloria cordis et oris
Persolvatur numini,
Gratiarum et honoris,
Patri, verbo, flamini,
Qui coronam huic decoris
Dedit sponsae virgini.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Capit. Patavini B 60. C. — 2, 3 affusa ABC. — 3, 4 Quo C; ne fluxu ABC. — 4, 3 Pro sis A, prosis BC. — 4, 5 fehlen zwei Silben; Opem ergänzt. — 5, 1 turbatum ABC.

284. De sancta Lucia.

Ad Nocturnum.

1. Magnus Deus, invocantis
Voto complacabilis,
Gloriosus et in sanctis
Suis admirabilis,
Qui Luciae signis tantis
Factus est laudabilis.

2. Ad tribunal evocavit
Judex illam concitus,
Sed hunc virgo superavit
Christo docta coelitus,
Cum pudicam se probavit
Templum sancti spiritus.

3. Rubet ille puellari
Devictus eloquio
Virginemque lupanari
Lenonum officio
Tractam jubet copulari
Infami consortio.

4. Tanto tamen rex coelorum
Fecit illam pondere,
Quod nec junctis jumentorum
Jugis illam trahere
Valent funes peccatorum,
Manus nec impellere.

5. Judex stupet et terretur
Menteque consternitur,
Mandat, martyr ut cremetur,
Ignis mox accenditur,
Utque cito consummetur,
Oleo perfunditur.

6. Rogus virgini nil nocet,
Sed inusta penitus
Inter flammas turbas docet
Servata divinitus,
Ut, quae Christum Deum vocet,
Exsultet medullitus.

7. Gloria cordis et oris.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Capit. Patavini B 60. C. — 2, 5 se fehlt ABC. — 3, 1 Jubet ille ABC. — 3, 6 In fama consortio ABC. — 4, 4 detrahere ABC. — 5, 2 Mentemque ABC.

285. De sancta Lucia.

Ad Laudes.

1. Voce consona laudantes
Christum regem pariter,
Diem festum celebrantes
Concinamus dulciter,
Expugnavit impugnantes
Quo Lucia fortiter.

2 Ignis virtus superatur
Virginis miraculo,
Utque maga reputatur
Inclamante populo,
Consularis sed placatur,
Dum litatur jugulo.

3. Romam vinctum cujus ante
Oculos Paschasium
Ducunt fama laborante,
Quem reatu noxium
Perimerunt judicante
Senatu per gladium.

4. Gloriosa sed Lucia
Nec percussa moritur,
Donec caro Christi pia
Morienti traditur,
Purpurata sic de via
In regno suscipitur.

5. Opem cujus imploremus
Et alma suffragia,
Nos qui corpus possidemus
Ejus hac in patria,
Ut regnanti conregnemus
Summi regis curia.

6. Gloria cordis et oris
Persolvatur numini,
Gratiarum et honoris,
Patri, verbo, flamini,
Qui coronam huic decoris
Dedit sponsae virgini.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160 B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Capit. Patavini B 60. C. — 3, 1 junctum A, vinctam B.

286. In Translatione s. Ludovici Episcopi.

Ad Vesp. et Laud.

1. Prolem inclitam Franciae
Produxit genus floridum,
Partem traxit Hungariae
Coelitum sidus fulgidum.

2. Minores, ut foret minor,
Dati sunt in obsequium,
Doctrinae ut esset ductor
Per mundi viae devium.

3. Obses hosti exhibetur
Jam inglorius glorians
Et pro patre detinetur
Pectoris pacem intimans.

4. Ore horis Deum orans
Psallebat mente jugiter,
Libro lecto pergens, morans,
Legens, lex et lux pariter.

5. Clarus clero se conjunxit,
Id inde palam profitens,
Militaria exclusit,
Sic Dei partem confitens.

6. Ludovicus ludos, vicos
Vitans zelans otia,
Habebat vinctos amicos
Diva colentes studia.

7. Gloria sit Deo patri
Per infinita saecula,
Paraclito, summae proli
Aeterna danti pabula.

Brev. ms. Franciscanum anni 1332. Cod. Casinen. 193.

287. In Translatione s. Ludovici Episcopi.

Ad Laudes.

1. Opera clementiae
Jam vir innocentiae
Virtuose egit,
Praesul sapientiae,
Vas incontinentiae
Curiose fregit.

2. Vas quod fuit gratiae,
Virtutis, modestiae,
Fructuose degit
In urbe Marsiliae,
Quod vas elegantiae
Pretiose tegit.

3. Hic invictus Hercules,
Quem reges et praesules
Venerantur proni,
Duces, plebes, consules,
Quo juncti et exsules
Condonantur laeti.

4. Tristes, moesti, flebiles,
Aegri, sicci, debiles
Restaurantur sani,
Defuncti examines
Ac e vita labiles
Vitae dantur multi.

5. Rector rectus et pius,
Simplex, castus, praescius,
Fruturorum fator,
Doctor verbo gladius,
Correptor propitius
Atque morum sator.

6. Pro miseris anxius
Et deliris praevius,
Indigorum pastor
Fuit et felicius
Beatorum socius,
Meritorum lator.

Brev. ms. Franciscanum anni 1332. Cod. Casinen. 193.

288. De sancto Lupo.

Ad Laudes.

1. Ad gloriosi praesulis
Odas pangamus modulis,
Omnes vos posco, socii,
Festa Lupi sanctissimi.

2. Cui superna gratia
Poli cessit palatia,
Cujus fuerunt merita
Miraculis clarissima.

3. Est qui nam ortus Gallia,
Transvectus in Italiam,
De quo resultat Samnia
Sacra complectens pignora.

4. Nunc te, praesul egregie,
Lupe, rogamus strenue,
Ut nos feras in aethera
Prece tua sanctissima.

5. Hoc donet sancta trinitas,
Trina quae fulget monade,
Cui sit laus et gloria
Per infinita saecula.

Lect. ms. S. Lupi Beneventan. saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Caven. memb. 5. — Aus dieser Quelle auch mitgeteilt in Codex diplomaticus Cavensis VI, 28 sq.

289. De sancto Lupo.

Ad Processionem.

1. Praesulis, ecce, Lupi reboant praeconia sancti,
Alma dies colitur praesulis, ecce, Lupi.

2. Candida turba sonat coelorum regna per alta,
Christicolae jubilant, candida turba sonat.

3. Euge, beate nimis arcem qui scandis Olympi,
Regna tenens superum, euge, beate nimis.

4. Urbs redimita satis, germen quae nobile prodis,
Tullo, diu gaude, urbs redimita satis.

5. Funera ne dubites, cum sis puer ipse parentis,
Christus adest genitor, funera ne dubites.

6. Excipe discipulum supplex quem spiritus almus
Doctor Alistichi, excipe discipulum.

7. Corda benigna rigat, cernit quae Christus honesta,
Nectare mellifluo corda benigna rigat.

8. O venerande puer, socios qui praevenis omnes,
Coelitus instructus, o venerande puer.

9. Piminiola tibi policis stat compta lapillis
Intemerata manet Piminiola tibi.

10. Spernis amore Dei, mundus quod mandat honoris,
Cuncta caduca, pater, spernis amore Dei.

11. Fratribus adde Lupum, monachum de milite factum,
Dulcis Amande pater, fratribus adde Lupum.

12. Culmen ad egregium refugis cur scandere, pater,
Plebs te cuncta petit culmen ad egregium.

13. Contulit alma fides varios sufferre labores
Ire per alta freta contulit alma fides.

14. Indue, sponsa Dei, sacro velamine Christi,
Gausape virgineo indue, sponsa Dei.

15. Aequora, arva silent, pelagi depelle timorem,
Imperio Christi aequora, arva silent.

16. Evome pestiferum verbi de corpore virus,
Eloquio victus evome pestiferum.

17. Lumina caeca diu radiarunt fronte puellae,
Sermo patris reserat lumina caeca diu.

18. Ardua castra movent Saxones moenia circum,
Invicti populi ardua castra movent.

19. Viribus imparibus bellum cavere Britones,
Diffidunt acie viribus imparibus.

20. Undique turba fluens pueri juvenesque senesque,
Moesta petit sanctos undique turba fluens.

21. Admonuit populos sanctus baptismatis undam,
Credere quippe Deum, admonuit populos.

22. Vocibus altisonis patrum nemus omne remugit,
Prosequitur populus vocibus altisonis.

23. Gens inimica ruit caeca formidine mentis,
Gurgitis ima taetri gens inimica ruit.

24. Cantica mox resonant lyricis permixta choreis,
Sidera pulsantur, cantica mox resonant.

25. Turba sonora sui conscendit limina tecti,
Culminis alta petit turba sonora sui.

26. Fulgidus auricomis mox intonat angelus astris,
Nuntius arva legit fulgidus auricomis.

27. Solve metum, patria, nulli datur urere flamma,
Tuta manes precibus, solve metum, patria.

28. Turba ferit gladio sanctorum dira catervas,
Corpora tironum turba ferit gladio.

29. Te via Tartarei, te fert Acherontis in undas
Suscipit hos Christus, te via Tartarei.

30. Frigus abesse dedit, calor immensusque recessit,
Saucia membra fovens frigus abesse dedit.

31. Viscera clara patent, taetris infecta venenis,
Lingua reformatur, viscera clara patent.

32. Liniamenta suis animantur languida nervis,
Officiis dantur liniamenta suis.

33. Sospes adest genitus patris virtute redemptus,
Congaudet genitor, sospes adest genitus.

34. Laeta suis mulier gaudet concurrere plantis,
Gressibus assurgit laeta suis mulier.

35. Quis tua signa, pater, doctorum promere callet?
Pangere rite queat quis tua signa, pater?

36. Nullus in orbe tuis signorum maximus actis,
Praefulsit meritis nullus in orbe tuis.

37. Mortis acerba tuo subiisti viscere fracto,
Plura refers animo mortis acerba tuo.

38. O venerande pater, retines qui sideris arcem,
Da veniam famulis, o venerande pater!

39. Esto tuis gregibus verus pastorque benignus,
Arma, salus, requies esto tuis gregibus.

40. Sit procul hostis atrox, manibus simul ore cruentus,
Ne discerprat oves, sit procul hostis atrox.

41. Cantibus harmonicis fratrum te concio promit,
En, cuncti recinunt cantibus harmonicis.

Lect. ms. S. Lupi Beneventani saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Caven. memb. 12. an zwei Stellen (A und B), das zweite Mal mit Neumen. Aus derselben Quelle auch in Codex Diplomaticus Cavensis VI, 12 (C) sqq. Faksimile p. 45. — 4, 2 Tullo AB. — 6, 2 Altistichie ursprünglich AB, an beiden Stellen ist e radiert. — 8, 2 instruens ABC; lies instituens? oder wie im Text? — 9, 1 sq. Piminióla (mit diesem Accent) A. — 27, 2 manet AB.

290. De sancta Marcellina.

1. Nunc Marcellinae virginis
Ovantes, omnes populi,
Hymnum Christo concinite
Agentes diem celebrem.

2. In quo plane sanctissima,
Felix et beatissima
Devicto mundi principe
Migravit ad coelestia.

3. Quae rite membra subigens
Jejuniis et precibus,
Instanter mente egerat,
Ut fide coelum scanderet.

4. Haec quondam saeclo nobilis,
Sed nunc coelo sublimior,
Tunc proxima senatui,
Nunc angelorum socia.

5. Cujus mores instituit
Germanus et episcopus,
Toto orbe notissimus,
Orthodoxus Ambrosius.

6. Haud minus hanc perdocuit
Servire Christo Domino
Illustris fráter Satyrus,
Vir Christo devotissimus.

7. Ultra citraque latera
Sic fulta penis exstitit
Sublimis, imperterrita,
Muro vallata duplici.

8. Hanc ergo senes, hanc anus,
Hanc deprecemur juvenes,
Ut nobis apud Dominum
Auxilietur jugiter.

9. Gloria sit Deo patri
Et laus unigenito,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. S. Ambrosii Mediolanen. saec. 14/15. Cod. Ambrosian. H 159 inf. — 1, 1 Tunc Marcellinae.

291. In sancti Marciani.

1. Marciani meritum
Pietate praeditum
Ad salutis reditum
Nulli sit indebitum.
2. Jesu Christi gratia
Fultus et constantia
Cuncta tollit anxia
Miseros vexantia.
3. Hoc in Dei famulo
Fuit in propatulo,
Quod talenti calculo
Non est usus clanculo.
4. Opus est exhibitum
Ratione typicum,
Quod conservis triticum
Nullis est inhibitum.
5. Hujus ad praeconium
Vota surgant hominum,
Cujus sanctimonium
Votis favet omnium.
6. Sancta Deus trinitas,
Fac, sit haec celebritas
Temporum sinceritas
Mentis et integritas.
7. Gloria ingenito,
Laus sit unigenito,
Honor almo flamini
Semper sit laudabili.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29. — 2, 1 gratiam. — 2, 2 constantiam. — 5, 4 Votis facit; lies Vota facit?

292. De sancto Marco.

Ad Vesp. et Noct.

1. Athleta Christi belliger,
Evangelista praepotens,
Nunc tua dies renitet,
Qua, Marce, alme pontifex,
2. Vicisti hic carnifices
Fatendo poli principem,
Qui te agonis merito
Beavit parto praemio.
3. Te canones catholici
Evangelistam clamitant,
Quod Lybiam, Marmaricam
Phoenicisque pentapolim
4. Primus ad fidem traxeras,
Adorsus evangelica
His pandere mysteria,
Quod Jesus exstat Dominus.
5. Hinc fabricantes delubra,
Immunda diverticula,
Colentesque simulacra
Sacra piasti undula.
6. Et Cyrenen pentapolim
Sermone sacro sublevans,
Leprosos ibi plurimos
Curasti atque languidos.

7. Sutoris manum subula
Perfossam sputo recreans,
Conversum cum familia
Fecisti ovem candidam.

8. Nos ergo beatissime
Precamur Marce supplices,
Obtentu castos perfice
Et a peccatis ablue.

9. Procul a nobis subdolus,
Te obsecrantes quaesumus,
Abscedat atque lubricus
Bonorum anguis invidus.

10. Summe sacerdos inclite,
Martyrio qui passus es,
Adversis nos ab omnibus
Tuis juvare precibus.

11. Ut beatorum gaudiis
Tuis nosmet suffragiis
Conjungat una deitas,
Qui regit cuncta saecula.

Hymn. ms. Benedictin. Brixien. saec. 13. Cod. Univ. Bononien. 2493. A. — Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93. B. — 2, 3 agoni praevio B. — 2, 4 parto merito B. — 3, 3 Libia B, Marmarice AB. — 4, 4 Quo B. — 5, 2 Immundi B. — 9, 3 Acedut atque B. — 9, 4 Bonorum agni B. — In A ist der Hymnus so geteilt, dafs die Str. 1, 2, 3 und 9 mit der Strophe Quaesumus auctor omnium und der österlichen Doxologie, den Hymnus zur Vesper, die andern Strophen, wieder mit Quaesumus auctor omnium und Doxologie, den ad Noct. et Laudes bilden.

293. De sancto Marco.

Ad Laudes.

1. Festum sancti apostoli,
Marci beati martyris,
Odis colamus consonis
Et laudibus innumeris.

2. Quem superna clementia
Magna misericordia
In orbem misit provida
Per Jesu Christi gratiam.

3. Hunc in quaternis vultibus
Propheta quondam praescius
Vidit leonis inclita
Mystica artis formula.

4. Missus superno munere
Terram in Alexandriae,
Indoctis fulsit incolis
Evangelista nobilis.

5. Spargendo plebi lucida
Verbi salutis semina,
Pro regis alti nomine
Fit laureatus sanguine.

6. Quem sacratis cum artubus
Salutis auctor omnium
Christus moderno tempore
Fecit decus Venetiae.

7. Laetare, felix civitas,
Decore tanto praedita,
Tuum foventem solium
Habes praeconem maximum.

8. Te, Marce, voce supplici
Culpis rogamus perditi,
Tuis benigne servulis
Dimitte noxam criminis.

9. Sit trinitati gloria
Et laus honoris maxima,
Qui dat coronas testibus
Et sempiternum praemium.

Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93. — 6, 4 Fecit deus. — 7, 4 praeconum.

294. In Apparitione s. Marci.

Ad Vesp. et Noct.

1. Hodie festum pie celebremus
Diem . . . . . .
. . . quoque digne honoremus
Ritu solemni.

2. Quo sanctum Marcum chorus angelorum
Vehens ad summa gaudia coelorum
Adsociavit coetibus sanctorum
Laude perenni.

3. Quem praedixerunt scripta prophetarum,
Et plebs, ut ferunt, Israelitarum
Edidit atque tribus levitarum
Ortu beato.

4. Sacerdotali praeditum honore,
Typicum legis veteris ex more
Et sacrae fultum paginae decore
Coelitus dato.

5. Hunc sancti Petri filium dilectum
Post sacri fontis lavacrum susceptum
Ad tantum Dei gratia provectum
Duxit perfecte,

6. Ut a devotis fratribus exactus,
Evangelista quoque Christi factus,
Verba ipsius pariter et actus
Scriberet recte.

7. Sit Deo decus, nostro creatori,
Sit quoque Christo, nostro redemptori,
Spirituique sit consolatori
Gloria pari.

Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93. A. — Cod. Arch. S. Marci s. n. anni 1672. B. — B enthält nur die geraden Strophen. — 3, 2 ut ferret A. — 6, 1 Et devotis A. — 6, 4 Scribere A. — 7, 4 Gloria patri.

295. In Apparatione s. Marci.

Ad Laudes.

1. Praestita fuit gratia divina
Et sancti Marci signis et doctrina
Aquilegensi plebi medicina
Verae salutis.

2. Populos quoque Domini diversos
Marcus beatus obtulit conversos
Et ab Aegypti idolis aversos
Voce virtutis.

3. Quibus refertis veris alimentis
Et roboratis piis documentis
Atque signorum variis fomentis
Ope potentis.

4. Victoriaque nobili patrata,
Migrans ad coeli gaudia beata
Praemia sumpsit dextera parata
Omnipotentis.

5. Ubi pro nostris jugiter peccatis
Supplicet Christo precibus beatis,
Nobis et regnum summae claritatis
Impetret dari.

6. Sit Deo decus, nostro creatori,
Sit quoque Christo, nostro redemptori
Spirituique sit consolatori
Gloria pari.

Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93. — 3, 1 Lies refectis. — Str. 4 u. 5 umgestellt, gegen Sinn und Reim. — 6, 4 Gloria patri gegen den Reim. — Scheint im Grunde nur Divisio des vorigen.

296. In Translatione s. Marci.

Ad Vesp. et Noct.

1. Natos recolens pristinos
Invictos cogit nauticos,
Via relicta propria
Pergunt ad Alexandriam.

2. Quo pergentes comperiunt,
Quod petras tollunt omnium
Ecclesiarum operis
Jussu nefandi principis.

3. Ibi custos cum clericis
Verberibus sunt additi,
Quos adloquentes Veneti
Sanctum sunt corpus adepti.

4. Postquam ad navem deferunt,
Congaudent mirabilius,
Et transeuntes Istriam
Marcus intrat Venetiam.

5. Quem dux, praesul et principes
Suscipiunt alacriter
Et clericorum agmina
Cum laudibus et gloria.

6. Marce, pater piissime,
Conserva nos et protege,
Ut tuis fulti precibus
Coeli jungamur civibus.

7. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Ut per Marci suffragia
Conserves nos in saecula.

Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93.

297. In Translatione s. Marci.

Ad Laudes.

1. Geom fluens ut coelica
Marcus profert insignia.
Terra quibus peccamina
Lavatur Christi gratia.

2. Hinc quondam Aquilegiam
Lustrans destruxit idola
Et Hermagoram praetulit
Sanctumque dogma docuit.

3. Post optans Petrum visere
Romam requirit pontifex,
Electum secum deferens,
Sacratum ut remitteret.

4. Adit ipse pentapolim
Summaque data principis
Memphiticis et Lybiae
Normam tradit justitiae.

5. Ut gens impia comperit,
Illuc quod Marcus venerit,
Eum demissis funibus
Evellunt ab altaribus.

6. Discipuli quem colligunt
Et aromate condiunt
Et in sepulchro collocant
Christo ferentes gratias.

7. Praesta, pater, per filium.

Offic. ms. S. Marci saec. 16. Cod. Marcian. L II 93. — 4, 1 Odit ipse. — 4, 3 Mentificis. — 5, 1 Et gens. — 5, 2 Illuc qui.

298. De sancto Marco.

Ad Vesperas.

1. Sancti Marci confessoris
Hymnum Deo referimus,
Qui contempsit saeculum
Mercatus Christi praemium
Et ab adolescentia
Dei praecepta tenuit.

2. Stipem largam erogavit
Jugiter pauperibus,
Christi doctrina claruit
Digna sortitus praemia,
Pastor verus in populis
Summus sacerdos rutilans.

3. Crebris quoque jejuniis
Repulit carnis vitia,
Saepe docendo populum
Destruxit mundi idola,
Magnus exstitit medicus
Infirma sanans corpora.

4. Salvat animas devotas
Possessas a diabolo,
Tanta repletus gratia
Obvius Christo abiit
Et nobis semper maxima
Ostendit miracula.

5. Ergo, populi, rogemus
Confessorem altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam,
Qui peccatis sumus gravati,
Dissolvat suffragiis.

6. Gloriam canamus patri
Filioque parili,
Spirituique sancto simul
Gloria paraclito,
Qui Deus trinus et unus
Exstat ante saecula.

Brev. ms. Montis Amiatini saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Casanaten. B II 1. — 1, 4 Mercatus est. — 2, 5 Pastorque verus. — 4, 6 Lies: mirabilia.

299. De sancto Marco.

Ad Laudes.

1. Marci praeclarum resonemus hymnum,
Praesulis almi, animo devoto,
Qui nefas saecli respuens abegit
Cordis ab imo.

2. Quique complexus Domini praeceptum
Sat pius servus fore vult, qui heros
Possidens tantae ministrabat fessis
Moenia Romae.

3. Quem sibi Christus esse nimis dignum
Praesuli sancto scire Athanasio
Dedit regenti seu patienti
Dira Canopum.

4. Corporis quoque eruens a vinclo
Tiara comptum refovet in choro
Praesulum sacro, regnat ubi semper
Cum patre Christus.

5. Ecce, nunc cunctus celebrat te mundus,
Credulus tuis precibus juvari,
Reddis aegrotos sospitati quosque,
Marce beate.

6. Annue piis populorum votis,
Nostris quin immo, famulamur sacris
Ossibus sacris laetabundi quique
Nocte dieque.

7. Laus, honor, virtus simul atque decus
Sit patri summo filioque pio,
Spiritui sancto, trino Deo uno
Omne per aevum.

Brev. ms. Montis Amiatini saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Casanaten. B II 1.

300. De sancto Marco.

1. Plaude, turba fidelium,
Marci poscens suffragium,
Cujus praestant solemnia
Beata nobis gaudia.

2. Sub leonina specie
Illum designat proprie,
Qui fracto mortis carcere
Victor surgit de funere.

3. Sacro docente flamine
Cum praeclaro dictamine
Descripsit evangelium,
Christe, redemptor omnium.

4. Tuam adeptus gratiam
Processit Alexandriam,
Ut vocarentur perfidi
Ad coenam agni providi.

5. Divina spargens semina,
Hostis dispergens agmina,
Tuo fultus eloquio,
Jesu, nostra redemptio.

6. Tandem ligatus trahitur,
In carcere recluditur,
Recepturus post verbera
Aeterna Christi munera.

7. Eductus fune figitur
Et sic pro Christo moritur,
Nunc regnat in coelestibus,
Exsultet coelum laudibus.

8. Cujus sacratis precibus
Caecis, claudis, languentibus
Confer medelam vulnerum.
Conditor alme siderum.

9. Sit laus, decus, potentia,
Virtus, honor et gloria
Patri, nato cum flamine
A solis ortus cardine.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339.

301. De sancto Marco.

Ad Laudes.

1. Haeres aeterni luminis,
Marce, virtutis speculum,
Quem degustas, dulcedinis
Nobis propina poculum.

2. Hic est Marcus, qui meruit
Esse praeco justitiae,
Quem rex coelestis induit
Stolam perennis gloriae.

3. Recepturus aureolam
Conscendit post certamina,
Laudat tellus agricolam,
Inde reportans semina.

4. Dum pro te, Christe, moritur,
Vicem pro vice reddidit,
Tibi passo compatitur,
Vitam pro sese tradidit.

5. Sit regi trino gloria
Laus, decus, imperium,
Qui Marcum ad coelestia
Perduxit post martyrium.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — 1, 3 degustans. — 3, 2 fehlt eine Silbe; post ergänzt.

302. De s. Marco de Bivino.

In 1. Vesperis.

1. In coeli viridario
Novella planta nascitur,
Quae summo desiderio
Visu divino fruitur.

2. Fonte rigatur intimo,
Crescit ut arbor fertilis,
Cujus fructu dulcissimo
Fit gustus delectabilis.

3. Arbor ornata floribus,
Poma gerens in trunculo,
Asylum viatoribus.
Quos tegit sub umbraculo.

4. Haec medicinam dederat
In morbo laborantibus,
Quam medicus sic conderat
Suis dandam temporibus.

5. Inde caecis impenditur
Luminis beneficium,
Claudis gressus dirigitur,
Membris datur officium.

6. De vita gaudent mortui,
Tabes leprosi fugiunt,
Votum reportant singuli,
Ad Marcum qui confugiunt.

7. Paralysim salubriter
Curat crucis signaculo,
Daemon fugatur pariter
Ab hominis ergastulo.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — Am Schlusse noch der Anfang der Doxologie: Deo patri sit gloria.

303. De s. Marco de Bivino.

Ad Nocturnum.

1. Teana plaude civitas,
Illustri cive inclita,
In qua viget felicitas
Per sancti Marci merita.

2. Quasi lapis in annulo
Pretiosus emicuit,
Caritatis in vinculo
Inter concives claruit.

3. Post accipit Luceria
Pastorem hunc piissimum,
Quem tellus, coelum, maria
Laude dicunt dignissimum.

4. Corda laetantur hominum
De tam praeclaro praesule,
Marco consensu omnium
Honor donatur infulae.

5. Corpus Bivinum continet,
Situm montis in culmine,
Hic Marci templum eminet,
Alta tectum testudine.

6. In quo pulsatus laudibus
Marcus lucet miraculis,
Hoc vere patet omnibus
Clare multorum oculis.

7. Coeli locatus sedibus,
Laetus Christi praesentia,
In terra postulantibus
Largitur beneficia.

Brev. ms. Trojanum. saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 1, 1 Eana plaude. — 1, 2 cives. — 3, 3 Que tenus coelum. — 5, 4 Alta dictum. — Am Schlusse noch Anfang der Doxologie: Deo patri.

304. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Urgent festiva gaudia
Nos laeta voce psallere,
Margaritae praeconia
Devota mente promere.

2. Instat furens Olybrius
Captus amore virginis,
Pulsans eam ut ebrius,
Tradi suis illecebris.

3. Hanc hostis draco nititur
Terrore, dolo fallere,
Qui signo crucis scinditur
Pede subactus feminae.

4. Horret virgo connubium
Idolorumque facinus,
Ferrum, ignes et gladium
Vicit suffulta coelitus.

5. Gloria sit cum laudibus
Aeterno regi Domino,
Qui Margaritae precibus
Nobis adsit suffragio.

Offic. ms. Florentin. saec. 16. Cod. Florent. Magliabec. XXXVI. 75.

305. De sancta Margareta.

Ad Nocturnum.

1. Aeternus sol resplenduit
In Margarita virgine,
Cujus invicta claruit
Virtus in orbis cardine.

2. Tamquam vas auri solidum
Gemmis distinctum variis
Sponsum secuta virginum
Miris refulsit gratiis.

3. In Christi fide solida
Minis, flagris non flectitur
Falsaque spernens idola
Fortis in bello redditur.

4. Tandem devictis hostibus
Lictoris caesa gladio,
Supernis juncta civibus
Regis dotatur pallio.

5. Gloria sit cum laudibus.

Offic. ms. Florentin. saec. 16. Cod. Florent. Magliabec. XXXVI. 75. — 2, 2 districtum variis.

306. De sancta Margareta.

1. Coeli cives, applaudite
Mundi jucundo lumini,
Quo illustratur coelitus
Hujus diei gratia.

2. Praecelsa fides martyris
Margaritaeque virginis,
Quae nata multum nobilis
Hodie palmam suscepit.

3. Mundi pompam cum principe
Spernebat mirabiliter,
Haec sacra virgo non cessat
Deo referre gratias.

4. Interim ferocissimae
Traditur alma bestiae,
Quae deglutivit puellam
Confestim devotissimam.

5. Quae virginum suspiria
Rogant Dei clementiam,
Margaritae succurrere,
Virgini sacratissimae.

6. Per crucis sanctae virginem
Ducit signum de corpore,
Dividens pectus tumidum
Draconis et saevissimum.

7. Ope guberna fragiles
In mundi hujus pelago
Atque erutos corpore
Pie benignus suscipe.

8. Quo sine fine gloriam
Deo patri cum filio
Una cum sancto spiritu
Tecum canamus perpetim.

Brev. ms. Cistercien. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. — 2, 1 martyres. — 4, 2 Tradatur. — 5, 4 virginis.

307. De s. Maria Magdalena.

1. Coelorum regi psallite,
Sancti, jucundo carmine,
Qui peccatores non cessat
Convocare, ne pereant.

2. Maria, soror Lazari,
Multis gravata vitiis,
Ad pedes ejus corruit,
Est facta miserabilis.

3. Accessit devotissima
Ingenti cum fiducia,
Magna mittens suspiria,
Repleta Dei gratia.

4. Lavabat pedes lacrimis
Et extergebat capillis,
Unguenta fundens optima
Plurima dabat oscula.

5. Quod cernens Simon invidus
Murmurabat interius:
Propheta, dicens, si foret,
Hujus acta cognosceret.

6. Sed qui de coelo venerat
Salvare, quod perierat,
Quaerere, quod corruerat,
Flenti se ipsum praeparat.

7. Cujus sensit Magdalena
Eloquia dulcissima:
Dimitto tibi omnia,
Quae commisisti, crimina.

8. Sic delinquentes faciant,
Si salvari desiderant,
In aeternum ne pereant,
Sed Christi regnum capiant.

9. In quo Martha sollicita,
Regis coelestis hospita,
Cum sorore piissima
Gaudet per acta saecula.

Man. ms. Ambrosianum saec. 13. Cod. Ambrosian. C. 23 inf. add. saec. 14. A. — Hymn. ms. Ambrosianus saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Trivulzian. A 102. B. — Psalt. ms. Basilicae Ambrosianae s. n. saec. $^{14}/_{15}$ C. — Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Ambrosian. Y 18 sup. D. — 5, 1 cernis B.

308. De s. Maria Magdalena.

1. Jucundare, plebs fidelis,
Coronatur nam in caelis
Magdalena, quae peccatrix
Dicebatur, advocatrix.

2. Pudens peccati primitus
Lumine sancti spiritus,
Recumbentem ut audivit
Jesum, domum introivit.

3. Retro secus pedes stabat,
Ante dignum non putabat,
Unxit, lavit coram illis
Lacrimis, tersit capillis.

4. Magdalenae sic compunctae
Remittuntur culpae cunctae,
Pharisaeus murmuravit,
Hanc salvator confortavit.

5. Optimam partem elegit,
Cum unguenti vas confregit
Pretiosi, redolentis
Super caput discumbentis.

6. Sequebatur patientem,
Primo vidit resurgentem,
Apostolis fit nuntia
Jesu amoris ebria.

7. Ut coelum Jesus adiit,
Eremum sola petiit,
Angelorum ubi cantus
Dulces audit: sanctus, sanctus.

8. Magdalena migratura,
Corpus terrae redditura
Instar solis radiabat,
Animum cum exhalabat.

9. Summae Deus pietatis,
Tuae dono bonitatis
Nobis largire gratiam
Merendi coeli patriam.

Cant. ms. S. Mariae Urani saec. 14. Cod. Ravennat. 129. 5. H. — Als Hymnus bezeichnet: nach Str. 4 Divisio.

309. De s. Maria Magdalena.

1. Lux magni fulget numinis
Ex Magdalenae gloria,
Quam de profundo criminis
Exhausit Christi gratia.

2. Nardi commixti unctio
Lacrimis dedit veniam,
Illi atque contritio
Salutis tulit gratiam.

3. Ei surgens de funere
Primo Christus apparuit,
Apostolisque propere
Surrexisse asseruit.

4. Postquam Christus ad sidera
Scandens mundum deseruit,
Mox haec deserti aspera
Ter denis annis coluit.

5. Postque ad coeli gaudia
Christo vocante ducitur
Ibique Christi gratia
Duodecim adjungitur.

6. Ubi Mariae precibus
Tua fruamur gratia,
Christe, qui in coelestibus
Semper regnas cum gloria.

Psalt. ms. Mutinense saec. 14. Cod. Capit. Mutinen. O II N. 5.

310. De sancta Maria Salome.

Ad Vesperas.

1. Lucis lucerna claruit,
Quae diu mundo latuit,
Soror beatae virginis,
Quae nefas lavit criminis.

2. Splendor supernae gloriae
Nobis concessit cernere
Thesaurum tam sanctissimum
Per principem apostolum.

3. Haec est Maria Jacobi,
Johannis et apostoli
Mater, et Annae filia,
Ex Salome progenita.

4. Haec ad Christi martyria
Longa trahens suspiria
Plorabat cum sororibus,
Quae crucis stabant foribus.

5. Ad sepulchrum dominicum
Vultum cernens angelicum
Resurgere audierat,
Quem unguento petierat.

6. Nos ergo talem dominam
Deprecemur, ut gloriam
Coelestem nobis impetret
Et omni malo liberet.

7. Trino laus sit per saeculum,
Qui corpus lucidissimum
Revelavit in vernulis
Pellendo vires daemonis.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — 5, 1 Vultu. — 7, 3 in verulis.

311. De s. Maria Salome.

Ad Nocturnum.

1. Jesu, salvator omnium
Et certa spes mortalium,
Nostra pellendo crimina
Nunc suscipe precamina.

2. Mariae namque, Jacobi
Et Johannis apostoli
Nos adjuvari petimus
Et sublevari precibus.

3. Unguento quoque optimo,
Quod detulit in vasculo,
Praebe, oramus, Domine,
Ut nos perungat optime.

4. Ut hinc sanentur vulnera,
Quae contra tua munia
Inflixit mundus blandiens,
Virtutes in nos perimens.

5. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Ut per Mariam coelitus
Donentur, quae nos petimus.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurent. Conv. sup. 512.

312. De s. Maria Salome.

In Laudibus.

1. Lux, ecce, surgit aurea,
Maria, Christi nuntia,
Quam veneramur hodie,
Melos canamus gloriae.

2. Est enim illa domina,
Quam stirps decorat regia,
Johannes sunt et Jacobus,
Quos advocavit Dominus.

3. Quae sic cum suis filiis
Sacris egit vestigiis,
Ut rebus spretis omnibus
Haereret Christo penitus.

4. Dum haec audivit Dominum
Dicentem suum transitum,
Pro suis sacris filiis
Regnum coeleste petiit.

5. Hi sunt duo apostoli
Quam Deo dilectissimi,
Jam nunc tenentes gloriam,
Ut mater postulaverat.

6. Mariam ergo pariter
Precemur omnes jugiter,
Ut nobis Christus veniam
Per eam det et gloriam.

Brev. ms S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. — 2, 2 Quam stirpit decora. — 6, 1 Maria.

313. De sancta Martha.

Ad Vesp. et Noct.

1. Jam suae Christus hospitae
Dule parat convivium,
Dum Marthae bene meritae
Coeleste confert gaudium.

2. Quam ubertim inebriat,
De se pascit et satiat,
Pro choro discumbentium
Sanctorum dans consortium.

3. Divinitatis glorias
Christi cernens, quem paverat,
Beatas agit gratias,
Quod eam sic remunerat.

4. O mira Dei largitas,
Quae centuplum repraemiat,
O ingens liberalitas,
Quae mercedem sic ampliat.

5. Christo Martha obsequitur
Intenta ministerio,
Sed hanc Christus prosequitur
Aeternitatis bravio.

6. Illi sit laus et gloria,
Qui est sanctorum praemium.
Qui Marthae per suffragium
Det nobis coeli solium.

Brev. ms. Franciscan. anni 1332. Cod. Casinen. 193. A. — Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. B. — 1, 1 Jam suae dulci hospitae A. — 2, 2 De te pascit A. — 3, 1 gloria B. — 6, 1 Ibi sit laus.

314. De sancta Martha.

1. Ad laudem Marthae virginis
Psallamus omnes pariter,
Quae Tarascam viriliter
Interfecit veraciter.

2. Exemplis et virtutibus
Martha fulget sideribus,
Ibi rogat pro omnibus
Suum supremum hospitem.

3. Puer mersus quidam Rhodano
Resurrexit miraculo
Et reddidit laudes Deo,
Qui talem fecit famulam.

4. Suis Tarrasco laudibus
Ditatur et muneribus
Et eminet in pluribus
Felicis Marthae precibus.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui Martham facis vivere
Exemplis et miraculis,
Et nunc regnat cum angelis.

Brev. ms. Romanum saec. 14. Cod. Vatican. Urbin. 603. — 3, 1 Auer Hs; falsche Initiale. Der Vers hat eine Silbe Überschufs.

315. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Martha, Christi hospitiva,
Fuit beata conviva,
Quae suum pavit Dominum
In aede sua propria.

2. Martha fuit sollicita
De hospitis familia,
Pavit eam egregie,
Sicut decet familiae.

3. Tali parat cibaria
Et dat in abundantia,
A quo recepit omnia
Et cuncta regit saecula.

4. Recto ivit itinere
Martha cum suo genere,
Et ideo cum flamine
Gaudebit sine fine.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Romanum saec. 14. Cod. Vatican. Urbin. 603. — 4. 4 Fehlt eine Silbe; lies Congaudebit?

316. De sancta Martha.

1. Nunc sancte nobis spiritus
Da et infunde coelitus
Lumen supernae gratiae,
Ut collaetemur hodie

2. In festo talis famulae,
Quae Christi jugo regulae
Se subdens, ejus manibus
Sepulta est cum laudibus.

3. Laudes ergo personemus
In festo Marthae et demus
Voces nostras ad Dominum,
Qui est creator omnium.

4. Ut in ejus solemnia
Det nobis patrocinia,
Marthae sectando semitam
Consequamur veram vitam

5. Praestet pater ingenitus,
Det et hoc unigenitus
Cum spiritu paraclito
In Marthae festo inclito.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85.

317. De sancta Martha.

Ad Nocturnum.

1. Christe, qui Marthae precibus
Et sororis obtutibus
Resuscitasti Lazarum,
Exaudi preces supplicum.

2. Noctis nostrae qui tenebris
Surgimus ab illecebris,
Hospitae tuae gloria
Celebrare solemnia.

3. Sororum qui tugurium
Elegisti hospitium,
Signans per has ecclesiam
Futuram fore typicam.

4. Nam hospita sollicita
Erga cibi negotia
Et soror pedes lacrimis
Rigavit stans in intimis.

5. Per has dignaris, Domine,
Duas vitas exprimere,
Tu nobis eas tribue
Tenere mente et corpore.

6. Taliter nunc terrestria
Tractentur et coelestia,
Nobis adsit in exitum
Promissum digne meritum.

7. Praesta, pater, per filium
Nobis tuum subsidium,
Per paraclitum spiritum
Angelorum consortium.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Vatican. 9217. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosianum I 197 inf. B. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. C. — 3, 1 Qui sororum BC. — 3, 4 Futura BC. — 4, 1 Jam hospita A. — 6, 2 Tractantur A. — 6, 3 adsint AC. — 6, 4 Pronisse A.

318. De s. Martino Papa.

1. Exsultet laudibus
Chorus fidelium,
Martini cantibus
Promens martyrium.

2. Martinus infula
Papali praeditus,
Christi miracula
Pandit divinitus.

3. Martinus instruit
In Roma recoli,
Quod Paulus destruit
Constantinopoli.

4. Fulget Italia
Martini moribus,
Tabet Byzantia
Pauli schismatibus.

5. Condemnat impium
Lex anathematis
Paulum et Sergium,
Fautores schismatis.

6. Necare nititur
Pium Olympius,
Ejus eximitur
Visu spatarius.

7. Demum proscribitur
Sanctus exsilio,
Felici clauditur
Vita martyrio.

8. Haec laudem concio
Decantet numini,
Patri cum filio
Sanctoque flamini.

Hymn. ms. Minorum saec. 13. Cod. Casanaten. A II 25. add. saec. 14.

319. In ss. Quadraginta Martyrum.

1. Deus aeterne, famulos clementer
Hymnum sanctorum respice canentes,
Quorum votiva celebramus festa
Nunc quadraginta.

2. Veniam praesta pietate sancta,
Martyrum prece crimina dimitte,
Nobis est iram mitiga, quam multum
Nos provocamus.

3. Christe, qui mundum morte redemisti,
Cujus exemplum martyres secuti,
Nunc sacrum quorum corpus sanctum jussit
Beneventum duci.

4. Aufer a nobis famem jam et pestem,
Quaesumus, gentem saevam atque mortem,
Pariter poenam pie, quam meremur,
Daque medelam.

5. Vos ergo, Christi martyres, rogamus,
Vestro precatu ut hoc meramur
Nunc adipisci, demum et vobiscum
Regna polorum.

6. Ecce, quam rite decorata manet
Samnium vestris reliquiis sacris,
Poscite semper pro nobis, oramus,
Dominum Christum.

7. Sit laus Deo sempiterno patri,
Sit Christo Jesu virtus, honor omnis,
Flamini sancto sit gloria perpes
Semper in aevum.

Brev. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. — 1, 2 speciem canentes. — 3, 4 Lies: Samnium duci? cfr. 6, 2. — 4, 1 et fehlt. — 5, 2 ut fehlt. — 6, 2 de vestris.

320. De sancto Materno.

1. Splendor magnus confessorum,
Gemma, lumen sacerdotum,
Est imitator martyrum,
Apostolorum particeps.

2. Divino nutu praelectus,
Cunctus clamabat populus:
Hic nobis est episcopus,
Sic Deo placet, Maternus.

3. Hic visitabat carceres,
Ferro ligatos milites
Hortabatur assidue,
Ne se darent blasphemiae.

4. Sanctorum dantur corpora,
Neque sepulchris condita,
Feris lupis laceranda,
Ut testantur regum jussa.

5. Quae pius pastor colligit
Et dignis mandat sepulturis,
Ut secum regnet in excelsis
Atque cum sanctis angelis.

6. Homo appellatus patriae,
Pater, custos ecclesiae
Ab omni cive hujus terrae
Sua pia sanctitate.

7. Hic est saepe verberatus
Et cum reliquis reclusus,
Nam plebi necessarius,
Deo dante liberatus.

8. Hunc deprecemur confessorem,
Pastorem tam mirabilem,
Nostram modo ferat precem
Apud venturum judicem.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 4, 3 Sed feris lupis. — 5, 4 Et cum sanctis.

321. In sancti Matthaei Apostoli.

1. Apostolorum nobili victoria
Et retributa pro labore gloria
Coeli solique laeta fit respublica,
Ut summa laudum conferant praeconia,
Quibus decora mater est ecclesia.

2. Hic est senatus, rege qui cum gloriae
Die supremo praesidebit arbiter
Ad judicandum omne semen Israel,
Cujus potestas novit altas claudere
Seras itemque clave linguae pandere.

3. In hoc beato principum collegio
Matthaeus almo gloriatur praemio,
Qui mox relicto merito negotio
Christum secutus ejus a primordio
Humanitatem scripsit omnibus prior.

4. Auriga currus primus est mirabilis,
Servat Phisonis et figuram fluminis
Evangelista, cui datur prae ceteris
Formam supremae ferre pulchritudinis,
Nam solus ex his est homo notabilis.

5. Trina refulget dignitate munerum,
Refert ut omne concinendo saeculum,
Evangelista, martyr et apostolus,
Quod tale nulli de suis consortibus
Videtur unquam contigisse praemium.

6. Gentes propinquo solis ustas climate
Intusque tinctas criminum fuligine,
Ne mortis atra vergerent caligine,
Nitere fecit mente dum fideliter
Signis et almo liberavit famine.

7. Matthaee, grates debitas, apostole,
Digne tuorum civium jam suscipe,
Quos fac ab omni esse tutos crimine,
Ut se futuro sentiant examine
Tali patrono paruisse strenuo.

8. Sit trinitati summa laus et gloria,
Salus honorque perpes et potentia,
Simplex et una gen . . . aeternitas,
Et quam creata confitentur omnia
Per cuncta semper saeculorum saecula.

Cod. Casien. 280 saec. 11. mit Neumen (Ughelli II 1089.). — 1, 4 conferunt. — 2, 4 iterumque. — 6, 1 — Lies caumate? — 8, 3 sqq. Nur die Worte: Simplex et sind noch lesbar, der Rest ist ausgelöscht; ich kann also den bei Ughelli hier lückenhaften Text nicht ergänzen. Verfasser ist Alphanus von Salerno.

322. De sancto Matthaeo.

1. Laetare, mater, parturis quae filios,
Fecunda virgo, semper et purissimos,
Quos lympha partus edit atque spiritus
Tibi per omnes motiones temporum.

2. Primum salutis tam sacro mysterio
Apostolorum fulges ex collegio
Nites et ejus inclito certamine,
Cui dat triumphos laudis mundus hac die.

3. Est haec Matthaei nobilis festivitas,
Modos sonantes dulces in ecclesia,
Lyras ut omnes, fistulas et tympana
Praecellat a te cantilena condita.

4. Utaris idem fac tuis, apostole,
Loco magistri, voxque si quid dissoni
Sonat canente plebe, claro dogmate,
Tibi decenter ut placet sic, corrige.

5. Tu prava quondam daemonum ludibria
Magis peracta clarius detexeras,
Qui damna mortis pertulere pessima,
Quibus latenter tot reos effecerant.

6. Utraque lapsum morte regis unicum
Oratione suscitasti filium,
Post haec tyrannum dum refutas Irtacum,
Hinc martyr astra scandis, hinc apostolus.

7. Evangelista gloriose, munerum
Acceptione dedita jam, quaesumus,
Coeleste regnum impetra fidelibus,
Quorum videris hospes esse sedulus.

8. Cum patre praestet hoc supernus filius
Sanctus simulque parilisque spiritus,
Quibus sit omnis laus honorque debitus,
Perpes potestas absque fine temporum.

Cod. Casien. 280 saec. 11. — 2, 2 fulgis; bei Ughelli sulgis. — 5, 1 bei Ughelli quorundam. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

323. De sancto Matthaeo.

1. Adesto, sancte Spiritus,
Nobis tuas canentibus
Laudes in hac apostoli
Festivitate nobili.

2. Quem pro lucri cupidine
Foro vacante sedule
Ex publicano protinus
Facis replens apostolum.

3. Hic languidis pectoribus
Perustione criminum
Verbis medelam praebuit
A te sibi jam creditis.

4. Lavit sacro baptismate
Regem simul cum conjuge,
Quorum potenter filium
Resuscitavit mortuum.

5. Sermone justo nuptias
Confuderat tyrannicas,
Pro quo decorus laurea
Martyr polum transcenderat.

6. Concede jam, paraclite,
Ut nos in isto tempore
Possimus omnes libere
Ejus triumpho vivere.

7. Tuae refertur gratiae,
Nostrae quod idem patriae
Civis paterque dicitur,
Quod et parenter creditur.

8. Summo parenti gloria
Et filio victoria
Tibique laus sit debita
Per saeculorum saecula.

Cod. Casien. 280 saec. 11. — 2, 4 apostolus. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

324. De sancto Matthaeo.

Ad Vesperas.

1. Plaude, mater ecclesia,
Ad Matthaei praeconia,
Cujus concors affectibus
Exsultet coelum laudibus.

2. Prius thelonearium
Et per culpam nefarium
Consortem fecit numinis
Consors paterni luminis.

3. Quem vocaras discipulum,
Trahis sequentem saeculum
Ad duodenum numerum,
Conditor alme siderum.

4. Dedit huic, quem coelicum
Fecit et evangelicum,
Id honoris eximii
Summi largitor praemii.

5. En, inter animalia
Homo scribitur alia,
Dum carmen promit oriens
Verbum supremum prodiens.

6. Quem laudas dignis titulis
Et approbas miraculis,
Ejus da per suffragia
Beata nobis gaudia.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui gratiam pro crimine
Condonasti piissime,
Aeterne rex altissime.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 2, 1 thelonarium A. — 4, 3 His honoris A, eximium B. — 6, 3 Cujus da.

325. De sancto Matthaeo.

Ad Matutinum.

1. Gaudeat Aethiopia,
Exsultet et Lucania,
Tanto ditata munere.
Jam lucis orto sidere.

2. Sed Salernum prae ceteris,
Thesaurum tenens muneris,
Tibi psallat quotidie
Jam, Christe, sol justitiae.

3. Hic hora coenae mittitur,
Excitare praecipitur
Affectum coetus avidi
Ad coenam agni providi.

4. Quem approbat miraculum,
Quem excitavit saeculum,
Dum mortuum resuscitat,
Vox clara, ecce, intonat.

5. Hic praecipit draconibus,
Nocerent ne hominibus,
Abirent, orans Dominum
Te lucis ante terminum.

6. Qui sprevit temporalia
Degustans spiritalia,
Per ipsum veni coelitus
Nunc sancte nobis spiritus.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui gratiam pro crimine
Condonasti piissime,
Aeterne rex altissime.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 4, 2 Et excitavit B.

326. De sancto Matthaeo.

Ad Laudes.

1. Laudet Dei clementiam
Matthaeus, Iphigeniam
Dum ei sponsam fecerat,
Jam Christus astra ascenderat.

2. Qui tandem per martyrium
Regni conscendit solium,
Fecisti, Christe, inclitum,
Deus tuorum militum.

3. Commendat Christus gratiam,
Dum donat post nequitiam
Et post saeculi scelera
Aeterna Christi munera.

4. Quisquis ad tuam gloriam
Coluerit memoriam
Matthaei, redde praemium,
Christe, redemptor omnium.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — 1, 2 Euphigeniam A.

327. In Translatione s. Matthaei.

Ad Vesperas.

1 Ad salutem fidelium,
Cleri simul et civium,
Venit corpus apostoli,
Sit laus divinae soboli.

2. Lauda, felix ecclesia,
Pange, Christi praeconia,
Claris vocibus intona,
Sint vox et corda consona.

3. Plaude divinae gratiae,
Quia conjunctus gloriae
Matthaeus nos non deserit,
Nos servat, hostes conterit.

4. Sumptum ex Aethiopia
Corpus cepit Britannia,
Post ex Lucanis finibus
Datur Salerni civibus.

5. Festo translati corporis
Sub novitate temporis
Novis laetemur mentibus,
Hymnis, rosis et floribus.

6. Christe, qui regis hominem,
Qui perire vis neminem,
Evangelistae gratia
Trahe nos ad sublimia.

7. O Matthaee, te poscimus,
Omnes qui tibi vivimus,
Ora, quod Dei filius
Fiat nobis propitius.

8. Quaesumus, auctor omnium,
Ut hoc paschale gaudium
Nos per reatus veniam
Laetos ducat ad patriam.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Venetiis 1594. B. — Brev. Elnense imp. Perpignani 1500 C.

328. In Translatione s. Matthaei.

Ad Matutinum.

1. In nocturna vigilia
Chorus absque desidia
Fraudes fugat diaboli
Prece fretus apostoli.

2. Surgat de somni requie,
Nocte, mane, meridie
Vacet virtutum actibus,
Instet Matthaei laudibus.

3. Laudet Matthaei Dominum,
Laudis humanae terminum,
Qui nos thesauro nobili
Ditat inaestimabili.

4. Quaesumus, auctor omnium,
Ut hoc paschale gaudium
Nos per reatus veniam
Laetos ducat ad patriam.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — Brev. Elnense imp. Perpigniani 1500. C. — 1, 4 Prece fletus A.

329. In Translatione s. Matthaei.

Ad Laudes.

1. Lux matutina rutilat,
Clerus Matthaeo jubilat,
Cujus corpus eximium
Nobis datur in praemium.

2. Jam venit arca foederis
Sub luce novi sideris,
Lucem salutis nuntiat,
Venit, ut nos custodiat.

3. Quaesumus, auctor omnium,
Ut hoc paschale gaudium
Nos per reatus veniam
Laetos ducat ad patriam.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernit. s. n. A. — Propr. ms. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — Brev. Elnense imp. Perpigniani 1500. C.

330. De sancto Matthaeo.

1. Depulso mentis nubilo
Christo canamus gloriam,
Cordis ovantes jubilo
Matthaei ob memoriam.

2. Ortus tribu levitica,
Sed publicanus opere,
Sorte sub apostolica
Pollet divino munere.

3. Hic primus evangelium
Scribens Judaeae civibus,
Jam nunc corda fidelium
Doctrinae rigat imbribus.

4. Conversis Macedonibus
Migrat ad Aethiopiam,
Sparsit vitae sermonibus,
Christo fert messis copiam.

5. Doctrinam signis approbat,
Viri credunt et heroes,
Fraudis commenta reprobat,
Cedunt Arphaxat, Cosroes.

6. Ludificatis populis
Magorum per praestigia
Figmenta prodit oculis
Tecta pandens vestigia.

7. Signo crucis eliminat
Morbos, auditum reserat,
Fascinatos illuminat,
Veneno ipsos liberat.

8. Angues magorum crimine
Flammam spirantes naribus
Christi soporat numine
Privans nocendi viribus.

9. Curans Eglippi filium
Sacravit Euphigeniam,
Turbas lavit gentilium
Baptismo donans veniam.

10. Dum certat pro justitia,
Transfixus ictu gladii
Regna scandit coelestia
Palma florens martyrii.

11. Patri, nato, paraclito
Laus, virtus, honor latriae,
Per quem Matthaeus inclito
Fructu potitur patriae.

Brev. ms. Cistercien. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. — Nach Str. 5 Divisio.

331. De sancto Matthia.

Ad Vesp. et Noct.

1. Aeterno regi gloriae
Dulce cantemus canticum,
Matthiam, virum gratiae,
Sorte fecit mirificum.

2. Sors eligendi mittitur,
Super Matthiam cecidit,
Honor Matthiae traditur,
Quem Judas latro perdidit.

3. Duodenum apostolum
Sanctus elegit spiritus,
Ut praedicaret symbolum,
Doctor elegit coelicus.

4. Transit per mundum praedicans,
Turbam convertens plurimam,
Tandem Deo sacrificans
Martyr seipsum hostiam.

5. Patri, nato, paraclito
Sit laus, virtus et gloria,
Qui nos Matthiae merito
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. A. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. B. — Propr. ms. S. Justinae Patav. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Univers. Patav. 702. C.

332. De sancto Matthia.

Ad Laudes.

1. In hac die laetitiae
Celebremus solemnia,
Quia Matthias hodie
Scandit ad coeli gaudia.

2. Sorte Matthias undecim
Sociatur consortio,
Super sedes duodecim
Sessurus in judicio.

3. Surgentem Christum praedicat
Evangelizans omnibus,
Miris et signis emicat
Et curat a languoribus.

4. Postquam fidem hic docuit,
Pro fide mortem patitur,
Pro morte, quam sustinuit,
Vita perenni fruitur.

5. Patri, nato, paraclito.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. A. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. B. — Propr. ms. S. Justinae saec. 15/16. Cod. Univers. Patav. 702. C. — 2, 4 Sanctissimus in judicio C.

333. De sancto Mauritio.

1. Emicat, ecce, dies lucida,
Quam sibi victor acer sociat,
Tincta salubris aquae dolio,
Ante cujusque necis seriem
Dogmate sic solidata pio.

2. Nobilis et fidei merito
Mauritio duce tunc properans,
Musius hinc solitum revehens,
Militibus sociata nequam
Cordeque dissimili fuerat.

3. Aestuat hinc coluber lividus,
Et quia Mauritii penitus
Cor quod erat ditione sua,
Ut sacra dis statuat fieri
Caesar in ordine fanatico.

4. Mox petit astrigeros tramites,
Tunc monito recitavit amens.
Thura diis adolere suis,
Quod sacer audierat populus,
Praeterit Octodori laqueum.

5. Viderat hoc truculentus heros,
Mitibus ut monitis redeant,
Pectoris eximii sophia
Mauritius diligens animam,
Caesaris hic quoque missus adest.

6. Vincere seu lubricos debeat
Seu opus exigat, ut superet,
Nunc validis opus est animis,
Nos quia chrisma salubre docet,
Unde, funeste satelles, abi.

7. Legio vult tua jussa sequi,
Trinus et unus ab hac colitur,
Filius a patre progrediens,
Sancta Maria, Dei genitrix,
Petrus apostolicique patres.

Cod. Vatican. Palat. 241. add. saec. 10. — 2, 3 Musius (oder Mufius?) et hinc. — 5, 4 Muritius. — 7, 1 Lies: Legio nult? — 7, 5 Das Weitere fehlt; nur noch die Worte: Caesar amande scires Dominum.

334. De sancto Mauritio.

1. Primum Deo sit gloria,
Post ejus ad obsequia
Thebaeis prece canticum
Pangamus diaconicum.
2. O Mauriti fortissime,
Coeli patricie curiae,
Subveni tuae famulae,
Succurre semimortuae.
3. Exsuperi, vir milite,
Signum vibra militiae,
Ut superemus vitia
Per virtutum insignia.
4. Quos sola deprecatio
Vix fovet in incendio,
Tu, Candide, incandidum
Excusa culpas omnium.
5. Innocenti piissime,
Quidquid nocet, tu ablue,
Bravia innocentiae
Et tua prece porrige.
6. Victor, vicisti saeculum
Non per te, sed per Dominum,
Cujus posce clementiam,
Ut det nobis victoriam.
7. Thebaea cohors reliqua,
Duc nos ad vera otia,
Geri continue rosulae,
In paradiso floridae.
8. Nostri peccati sarcinam
Sic levigate maximam,
Tollat quisque sarcinulam,
Post ducite ad patriam.
9. Vitae supernae incola,
Vitalis agonitheta,
Ne mortis laedat spiculum,
Oppone precum clipeum.
10. Trino personis Domino,
Usia individuo,
Sit laus, honor et gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. Abiaschae saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Ambrosian. X 22 sup. — 2, 3 Lies familiae? — 4, 2 Lies Nix fovet? — 6, 1 vincisti. — 6, 3 posse. — 7, 1 choros. — 7, 2 Duo nos ad jura otia. — 7, 3 Lies Veris continuae (continui) rosulae? oder Geri continue rosulas? — 8, 2 Sic levitare. — 9, 2 In talis agonizeta. — 9, 4 precium.

335. De sancto Mauritio.

1. O Christe, palma martyrum,
Audi preces canentium
Devotione maxima
Mauritii praeconia
2. Ipsius ac satellitum,
Quorum pium collegium
Tempsit minas vesaniae
Ferocitatis regiae.
3. A solis ortu venerant,
Hostes ut armis comprimant,
Sed deferunt auxilia
Crudelitatis nescia.
4. Vitant ob id nefarium
Maximiani proelium,
Nolunt fideles persequi,
Ut jussu cogunt perfidi.

5. Tyrannus hoc intelligens,
Ritu leonis saeviens,
Dat bis decenos funeri,
Apostatent ut ceteri.

6. Sed signifer Mauritius
Et ductor Exsuperius
Per castra currunt, clamitant,
Deum timendum praedicant.

7. Praecepit inde perfidus
Princeps suis cohortibus,
Ut conterant exercitum
Totaliter Thebaicum.

8. Qui sempiterno debitas
Se reddiderunt hostias
Flexis piis cervicibus
Furentium mucronibus.

9. Hinc sancta turba militum
Effecta consors martyrum
Dira ruens sententia
Migravit ad coelestia.

10. Quorum piis precatibus
Culpis piatis omnibus
Praestet superna gratia
Aeterna nobis gaudia.

11. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 3, 3 ancillia. — 4, 1 Mitant ob id.

336. De sancto Mauro.

1. Gaudere, fratres, nos hodie decet
Et quaeque cordis tristia spernere
Summa beati laetitia viri,
His cujus odas pangimus organis.

2. Haec illa lux est, qua subiit polum
Mauri solutus corpore spiritus,
Sic regis acta militia sui
Tantae quietis praemia pertulit.

3. Coelestis aulae factus oeconomus
Praestat benigne digna petentibus,
Qui nostra sumpto mox sibi munere
Illustret amplo pectora lumine.

4. Hic Arderadi membra miserrime
Collisa casu protinus integre
Sanavit olim, cum sua saeculi
Fulgebat omni mens simul et caro.

5. Fracto medelam de pede Sergio
Lumenque caeco praebuerat Lino,
Sensu carentem sustulit a nece,
Ejusque vixit mortuus ad precem.

6. O Maure felix, quaesumus, utere,
Quo jam solebas, et modo plenius,
Noscat Casini dulce solum tibi,
Quid tanta possit gloria, qua cluis.

7. Fac, quod rogatur nunc tua caritas,
Nam juris hoc dat legibus aequitas,
Debere quemquam pro patria mori,
Tu vive, sed nos vivere fac tibi.

Cod. Casinen. 208. saec. 11. — Am Schlusse ist noch Raum gelassen für eine Doxologie, deren Initiale H bereits vorhanden. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

337. De sancto Mauro.

1. Quid tuo nobis potius placere
In die debet, tibi quam decoris
Fortius niti precibus vel hymnis,
Optime Maure?

2. Tu sacris quondam puer institutis
Maximum vitae studium perennis,
Unde praeclaris rutilas triumphis,
Hic didicisti.

3. Es memor, quantae fidei fuisti,
Cum tuos mollis tulit unda gressus,
Excito cursu Placidum profundo
Fonte levasti.

4. Illud est inter tua signa valde
Dulcius nobis, quod et hac in arce
Languido gressum simul et loquelam
Restituisti.

5. Hic viam longe positus videbas
Pallibus stratam, facibus coruscam,
Qua pater coelum Benedictus olim
Noster adivit.

6. Quod tibi quondam fieri petebas,
Lege, sub qua nos modo, regulari
Graviter vivens, prece da perenne
Vivere nobis.

7. Ipse fundator placitae quietis
Hujus hoc tecum faciat, rogamus,
Nam, quod optamus, bene si velitis,
Ferre potestis.

8. Velle det vobis pietatis auctor,
Rex Deus, cum quo sine fine regnat
Filius compar sed et utriusque
Spiritus almus.

Cod. Casinen. 280 saec. 11. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

338. De sancto Mauro.

Ad Vesp. et Noct.

1. Enixa Maurum Lybia
Tyrannidis perfidia
Numeriani sedula
Tunc temporis est potita,

2. Et genitorum filium
Piorum per auxilium
Christi senile studium
Anno ter seno secutum.

3. Orbatusque parentibus
Cum sociis et monachus
Erogansque pauperibus
Paterna pro haeredibus.

4. Quem caelebs vita docuit,
Tonsura caput floruit,
Cum versus Romam praetendit,
Sanctorum limina lambit.

5. Afflatus almo spiritu
In urbe Roma monitus
Suisque coaetaneis
Ostendit iter gaudiis.

6. Ut vates brevi tempore
Transituris pro munere
Ab hoc notuit saeculo
Mansuris in perpetuo,

7. Amicis Christi per urbem
Pergentibus, a praeside
Celerinoque nomine
Rogitatis de semine.

8. Praefantur corde simplici
Fideles Christi famuli:
Orti sumus de Lybia
Fide Christi non dubia.

9. Arrectis praeses auribus
Captis jussit martyribus,
Ut immolarent idolis
Suis falsis praeconiis.

10. Hos linquens praeses timore
Et cruciatus fervore,
Credens reverti martyres
Ad excolendum daemones.

11. Surdis spretis nugacibus
A Christi tunc fidelibus
Una voce dicentibus:
Cum Christo jam regnabimus.

12 Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Offic. ms. S. Mauri Lanellensis saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI E 17. — 1, 2 Tirambilis perfidia. — 2, 3 sirnige studium. — 5, 2 monitum. — 6, 3 Lies notavit? — 7, 3 Celerimoque.

339 De sancto Mauro.

Ad Laudes.

1. Clarum sidus justitiae,
Phoebi jubar Italiae,
Via cunctorum praesulum,
Maure, decusque martyrum.

2. Clarissime prosapia,
Sanctitate lucifera
Consistens inter agmina
In astris super sidera.

3. Jam Romae summus pontifex
Abbatem te, ut exsules,
Promovit, ut ad patriam
Reducas firma venia.

4. Notis fide clarescis,
Lanellum quia tueris,
Maure, captam ab hostibus
Cristatis cum mucronibus.

5. Imbellis non interitus,
Praeter unum de civibus
Castrametatis omnibus
Securisque vulneribus.

6. Fugasti homines impios
Sequentes tuos famulos,
Parato mittis proelio
Tuo, Maure, imperio.

7. Nam vincitur, qui percutit,
Qui vapulat, interficit,
Dum patitur, si sustinet,
Coelorum regna possidet.

8. Pro nobis, Maure, obsecra
Ut mereamur gratiam
Amplecti in aethereo
Tecum semper palatio.

9. Gloria tibi, Domine.

Offic. ms. S. Mauri Lanellensis saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI E 17. — 1, 1 sidus judice. — 4, 1 fehlt eine Silbe; an clarescis ist radiert, vielleicht ursprünglich claresceris?

340. De sancto Mauro Martyre.

1. Regum rex, Deus, omnium,
Audi vota petentium,
Sancti Mauri digna prece
Nos peccati munda faece.

2. Hic ex Africae partibus
Ortus relictis omnibus
Ire post Deum cupivit
Et invenit, quem quaesivit.

3. In aetate puerili
Mente senex et virili,
Spe coelesti jam repletus,
Gazas aegris dedit laetus.

4. Nocte somno Maurus datus
Per angelum excitatus,
Se praenovit Romae pati,
Quod concordat veritati.

5. Regnabat Numerianus
Christum negans ut vesanus,
Ejus praeses Celerinus,
Qui sceleris erat sinus.

6. Jusserunt viri ignari
Sanctum Maurum verberari
Et tormentis saevis dari,
Post tormenta decollari.

7. Hic athleta Dei fortis
Non effugit ictus mortis,
Sed sanctorum se consortem
Fecit, libens tulit mortem.

8. Tota laetetur Istria
Et prae cunctis Parentia
Tanta munita patrono,
Huc advecto Dei dono.

9. Doxa sit coeli solio
Deo patri et filio,
Cum spiritus unitate
Qui regnat in trinitate.

Brev. ms. Parentinum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 446. — 1, 4 Nos peccata mundi faece. — 7, 4 fehlen zwei Silben; fecit ergänzt.

341. De ss. Maximo, Juliano, Felicitate et Innocentio.

1. Aurea luce rutilat
Hujus festi praeconium,
Quo gaudium multiplicas,
Christe, redemptor omnium.

2. Vexilla regis prodeunt,
Rubra sanctorum sanguine,
Quos Rachel vocat filios,
Hymnum canamus gloriae.

3. Lux et decus ecclesiae,
Nobis, beate Maxime,
Veniam fer peccaminum
A solis ortus cardine.

4. Pange, lingua, fidelium,
Funde preces ad aethera
Juliano, qui meruit
Aeterna Christi munera.

5. Jam lucis, ecce, claruit
Felicitatis lucidus
Dies, quo plus resplenduit
Phoebus astris cum omnibus.

6. Sanctorum dignis meritis
Nos in eorum agmine
Ponas dignisque precibus,
Aeterne rex altissime.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. A. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 441. B. — Propr. ms. S. Justinae saec. 15/16. Cod. Univ. Patav. 702. C.

342. De sancto Mercurio.

Ad Vesperas.

1. Mercuri, semper venerande martyr,
Qui geris sacrum merito coronam,
Mixte sanctorum niveis choreis
Arce polorum.

2. Nobiles vestros recinam triumphos
Deditos terris, tua gesta, sancte,
Concinat laetus chorus atque vires
Personet ore.

3. Ut tuas laudes mereamur omnes
Voce praecelsa celebrare sanctas,
Sume virtutum cumulos tuarum,
Splendide martyr.

4. Bella qui vincens Decii juvamen
Barbarum regem gladio vibranti
Proelio vincis caput et superbum
Ense repellis.

5. Impiae spernens sacra qui Dianae
Nobilis subdis caput et periclo,
Mixtus ut sanctis capias laborum
Praemia digna.

6. Ut tegas nosmet tibi concinentes
Nobiles laudum titulos, precamur,
Ut locis sanctis habitare coeli
Nos mereamur.

7. Sit tibi virtus, decus et potestas,
Lumen aeternum, maris et polorum
Atque terrarum tibimet sit ingens
Gloria, Christe.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. B. — 4, 4 rebellis A. — 5, 1 supernens A.

343. De sancto Mercurio.

Ad Nocturnum.

1. Ad martyris Mercurii
Festa venite supplices,
Gaudendo vota solvite,
Laudes vincenti reddite.

2. Conferto cui in proelio
Mandata praepes detulit,
Verbis firmans, ne ambigat,
Promittens et victoriam.

3. Hic comptus crucis tropheo
Parmam gestans et lanceam,
Pugnans fidelis fortiter,
Fisus armis coelestibus.

4. Principis caeso capite
Responsa dantur illico,
Tu prisca mente recole
Et fidem redde debitam.

5. Tinctus aquis salubribus
Et delibutus chrismate
Sprevit saecli militiam
Tiro deridens Decium.

6. Dum referuntur tyranno
Talia facta, concite
Fremens corde ingemuit,
Ense plectendum flagitat.

7. Adducunt vinctum martyrem,
Dictis vesanum superat
Et multa post supplicia
Flavo secatur vertice.

8. Tutus superno munere
Tormenta vicit omnia,
Deo vocante coelitus
Sumpsit palmam victoriae.

9. Hunc imploremus pariter
Nos omnes ejus famuli,
Ut nobis poscat praemia
Sacrique regni gaudia.

10. Deo perennis gloria
Et gratiarum copia,
Qui nos credentes refovet
Et regnat ante saecula.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. B. — 8, 1 Jutus superno A.

344. De sancto Mercurio.

In Laudibus.

1. Laudes Mercurii dicere martyris,
Virtutum titulis cogimur arduis,
Christi militiae belliger inclitus
Terris enituit quibus.

2. Bellator validus, providus hostium
Calcavit cuneos visibiles prius,
Mox invisibiles sustinuit globos,
Munitus stabili fide.

3. Nec flecti monitis nec potuit minis,
Nec poenis variis et cruciatibus,
Victor corporei spiritus aggeris
Liber sidera prospicit.

4. Poenae multiplicant multiplices bona,
Et tormenta parant plurima gaudia,
Servat propositum purus et integer,
Per quod sidera possidet.

5. Sectus non timuit, dum caro finditur,
Nec dum scissa cutis traditur ignibus,
Nec possunt lapidis claudere pondera
Christum labra vocantia.

6. Christum lingua sonat, mens bene conscia
Nil praeter Dominum postulat et rogat,
Defixis oculis aethera respicit,
Promissam requiem sitit.

7. Cervix carnifici lactea traditur
Et sanctum gladio subjicitur caput,
Miles signiferi dona capit sui
Nunquam deficientia.

8. Nunc coelo residens ad Dominum preces
Nostras cum lacrimis votaque conferat,
Ut commissa Deus crimina deleat,
Concedat sua gaudia.

9. Qui firmas animos, rex pie, martyrum
Et justis tribuis praemia largius,
Peccantum lacrimas respice, poscimus,
Clemens esto rogantibus.

10. Sit patri Domino gloria, laus, honor,
Semper sit Domino gloria filio,
Sancto spiritui gloria sit simul
Et laus saecla per omnia.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. B. — 1, 1 dicite A. — 5, 1 caro scinditur B.

345. In sancti Miniatis.

1. In laude sui militis
Adsit festive celebris
Agnus ille purpureus,
In quo vicit hic mineus.

2. Praesago quippe nomine
Suo tingendus sanguine
Minias ante proelium
Hoc meruit vocabulum.

3. Sub indecenti Decio
Gravi tortus supplicio,
Unitatis praeconia
Voce fatetur libera.

4. Cavantur ungues sudibus,
Carnes liquescunt ignibus,
Sed non sentit incendia
Simplex auri materia.

5. Hic agonista nobilis,
Tot decoratus titulis,
In congressu novissimo
Subdit cervices gladio.

6. Videres Christi puerum
Caput tollentem proprium
Hinc inde procedentibus
Angelorum cum coetibus.

7. O quam dulce spectaculum
Humanum et angelicum,
Jam immolata victima
Scandit montis cacumina.

8. Laus, honor et imperium
Benigno regi martyrum,
Quos post poenas aethereo
Sacro reddit palatio.

Brev. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. B. — 3, 1 indicenti A. — 4, 1 subdibus AB.

346. In sancti Miniatis.

Ad Laudes.

1. Pangamus modulo laudes dulcisono
Triumpho, socii, festoque nobili,
Nobis qui celebrem sanctiunt hunc diem,
Athletae Christi transitum.

2. Torquens quem Decius feris ac ignibus
Ferre sacrilegis jussit liba diis,
Amor expresserat, intus qui arserat,
Certantis viri pectore.

3. Hinc neci traditur, corpus perimitur,
Sanctorum coetibus jungitur spiritus,
Christus victoriae palmam ab aethere
Largitur suo militi.

4. Locum nunc sedula prece, quo pignora
Servantur corporis merito sublimis,
Defende, Minias, daemonum machinas
Repellens inde longius.

5. Ut quies temporum fugaque scelerum
Gregem monasticum faciant gavisum,
Grates praecipuas laudesque debitas
Ut solvant tibi jugiter.

6. Praesta hoc, trinitas fulgens et unitas,
Pater et genite pneuma tuque sancte,
Quibus est gloria lausque perpetua
Per cuncta semper saecula.

Offic. ms. Florentina saec. 16. Cod. Florent. Magliabecc. XXXVI. 75. — 2, 3 expreverat. — 5, 2 monachicum.

347. De sancta Monica.

Ad Laudes.

1. Laetetur plebs fidelium
Meritis sanctae Monicae,
Exsultet chorus praesulum
Ecclesiae catholicae,
Habemus ejus filium,
Ducem doctrinae coelicae.

2. Quem ex ventre parturivit
Illa beata Monica,
Renasci Christo quaesivit
In doctrina catholica,
Piis votis concupivit
In vita eremitica.

3. Felix fructus nuptialis
Honestatis et pudoris
Et affectus vidualis,
Dans odorem sui floris,
Nostrae vitae regularis
Nobis dant cibum dulcoris.

4. Te precamur, sancta mater,
Juvari tuis precibus,
Quam respexit Deus pater
In sacratis affectibus,
Funde preces bis et quater
Corroboratis vocibus.

5. Deo patri jubilemus
Cum solemni cantico
Filioque laudes demus
Cum sono mirifico,
Utriusque decantemus
Nexui sanctifico.

Brev. ms. Augustinian. saec. 14. Cod. Florentin. Conv. sup. D 8. 2781.

348. De sancto Nicolao.

1. Rex regum Deus omnium,
Sanctorum decus et gloria, qui duces
Sacrae militiae novis
Semper muneribus perspicuos facis

2. Ornas et diademate
Regni perpetuo, quo pariter frui
Tecum vis sine tempore,
Ante principii constitit ut diem.

3. Adsunt unde celebria
Horum festa piis laudibus annua,
Cum mundus sua praemia
Per dimensa sui climata praedicat.

4. Te poscentibus annue,
Uti dulcisonis cantibus hoc die,
Sertis quando micantibus
Nicolaus adit sidera fulgidus.

5. In quarta puer hic semel
Ex sexta feria suxerat ubera,
Quod mirabile prandium
Contractum minime te sine creditur.

6. Transactis puerilibus
Annis ecclesiae lumina saepius
Observans patrimonii
Haeredem fieri te voluit sui.

7. Auro non modico viri
Sedat pauperiem, quam patitur miser,
Stupro germine nobiles
Tres a se genitas tradere virgines

8. Hoc Myrea metropolis
Digna promeruit praesule perfrui,
Quem divina fidelibus
Vox audita suis signat episcopum.

9. Compulsus precibus maris
Compressit citius grande periculum
Et ponto prope subrutos
Tranquillo penitus restituit loco.

10. Nautis nil minuit datum
Angusto famis in tempore triticum,
Sed per juge biennium
Cunctis hoc fuerat copia civibus.

11. Hostis fraudibus obvians
Vetusti pelago vas oleum ferens
Effundi jubet ocius,
Quod combussit aquae materiem diu.

12. Post poena capitis reos
Tres a morte viros eripit impiger,
Cujus namque potentiae
Et clausae bifores sponte sua patent.

13. In somnis modo Caesarem
Exarchumque modo territat acriter
Et valde positus procul
Pellit parta trium funera principum.

14. Nicolae salutifer,
Et tutor famulis esto perenniter
Cunctis te celebrantibus
Hoc festo placidis cum tibi laudibus.

15. Te mirabiliter colit,
Laudat, magnificat Graecia nobilis,
Immo totius orbis haec
Gaudet meta tibi munera solvere.

16. Mundi Roma caput suis
Aequalem celebrat semper apostolis,
Cujus crebra juvamina
Non multis precibus quaerit et impetrat.

17. Quis non duceret hunc diem
Festum plus reliquis, cum genitoribus
Natos reddit ab hostibus
Raptos ad varii servitii jugum.

18. Ponti multiplices sinus
Observans facili cum prece posceris,
Tempestatibus horridis
Submersis miseros navibus eripis.

Cod. Casinen. 280 saec. 11. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

349. In sancti Nicolai.

1. Ecce, dies rediit jubili,
O Nicolae, dicate tibi,
Laus replet agmina cuncta poli
Cunctaque repleat ora soli.
2. Vir venerande, colende nimis,
Digneque laudibus omnigenis,
Digna Deo facias, petimus,
Carmina quae, pater, offerimus.
3. Quod, Deus, os, pater omnipotens,
Est dua dicere signa potens?
Mens manet omnis ad illa stupens,
Est ea cum meminisse studens.
4. Quis valet esse stupore carens
Est tua cui, Nicolae, patens
Actio, vita dicata Deo,
Mox proficisceris ex utero.
5. Lac gemina vice non recipis,
Solibus hebdomadae geminis,
Abstineamus ut ore cibis,
Da, pater, ac animo vitiis.
6. Nobilium stupra tu cohibes,
Naufragium miseris prohibes,
Mentibus et modo pelle stupra
Cuncta, pericula cuncta fuga.
7. Grana rates sua non minuunt,
Milia quae tibi contribuunt,
Unde sacri populi, petimus,
Multiplica numerum precibus.
8. Tu facis artis ut Ortygiae
Non lateat dolus insidiae,
Detege nunc quoque nequitias
Mentibus hostis et insidias.
9. Tu facis, ut recidat pugio,
Eripis et juvenes jugulo,
Hostibus et modo tela rape
Mortibus ac animos retrahe.

10. Terrificas nece dum meritos,
A nece retrahis immeritos,
Exsere te quoque vivificum
Mentibus, hostibus horrificum.

11. Gloria semper honorque patri,
Gloria patris honorque pari,
Gloria, spiritus alme, tibi,
Nec patre nec prole dissimili.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — 4, 2 Est cui tua. — 8, 1 artus ut hortigie. — Auch dies Lied steht weder in der Handschrift der Gedichte des Alphanus von Salerno noch in der Ausgabe Ughellis. Da es aber einer Quelle entnommen ist, die nachweislich viele seiner Hymnen enthält, ist man versucht, ihn als den Verfasser zu bezeichnen.

350. De sancto Nicolao.

1. Festa plebs sancto sua Nicolao
Consonet laudes celebrans et hymnos,
Cujus in cuncto sacra signa fulgent
Plurima mundo.

2. Hic in aetatis juvenilis annis
Praesul est factus populi coactus,
Vox eum coelis data praesulatum
Sumere jussit.

3. Claruit sanctis pietatis actis,
Caede plectendos capite redemit
Navitas ponti tumidis vocatus
Eruit undis.

4. Insciis fraudes miserans Dianae
Prodidit, monstrans nova monstra nautis,
Arsit injecto quoniam profundum
Aequor olivo.

5. Triticum crevit per eum minutum,
Talibus fulsit sua vita signis,
Talibus fulget super astra sanctis
Consociatus.

6. Pro suis ergo famulis precetur,
Comparem patris genitore natum
Et sacrum flamen, quibus est perennis
Una potestas.

Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. — 4, 2 nova monstrans nautis.

351. De sancto Nicolao.

1. Regis superni signifer,
O Nicolae pontifex,
Festum tui colentibus
Adjutor esto sedulis.

2. Terrena quondam pauperi
Flavi metalli munera
Ferens viro clandescere
Stupri fugasti crimina.

3. Divina nunc munimina
Ferens repellas invidum
Hostem, pudicas anxium
Violare mentes fraudibus.

4. Noctis quietis tempore
Terrens quietum Caesarem,
Pressos inique vinculis
Sic eruisti carceris.

5. Terre tyrannum, qui cupit
Vincire colla mentium,
Mentes ligatas liberet
A criminum connexibus.

6. Patri patrisque famini
Ac utriusque flamini
Laus jugis et potentia
Regnumque sit per saecula.

Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. — 2, 2 munere. — 4, 1 Nocti quieti. — 5, 1 Terret. — 5, 2 Vincere colla.

352. De sancto Nicolao.

1. Aurora fulget aurea,
Dies micat, quo laurea
Nicolaus donatus est
Postquam triumphus factus est.

2. Hac luce namque saeculum,
Hac vicit hostem pessimum,
Hac post triumphum gloriae
Palmam capit victoriae.

3. Sat mira Christi gratia,
Stupenda sat magnalia.
Escas hic et non noverat
Et abstinere noverat.

4. Nam feria, qua venditur
Et qua Deus suspenditur,
Puer tenens jejunia
Semel bibebat ubera.

5. Quam flagret hujus caritas
Exuberetque largitas,
Norunt puellae nobiles,
Dignos adeptae conjuges.

6. Fluctu ratis percellitur,
Et Nicolaus quaeritur,
Accurrit almus illico
Et eripit periculo.

7. Frumenta sanctus expetit
Corosque plures excipit,
Stupenda contributio,
Non dando fit minutio.

8. Temptat viros deludere
Ficto Diana munere,
Adest vir almus ocius
Dolosque pandit protinus.

9. Ensem lanista traxerat
Et in necem paraverat,
Nicolaus supervenit
Et innocentes eripit.

10. Nexu ligatis vinculi
Instat dies periculi,
Nicolaus deposcitur
Metusque cunctis solvitur.

11. Patri patrisque famini
Ac utriusque flamini
Salus ut ante saecula,
Salus sit et per saecula.

Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506 A. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. B. — 1, 4 triumphum B. — 11, 3 et ante AB.

353. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. Nicolae, vir Domini,
Tuo dicata nomini
Festa devote colimus
Opemque tuam poscimus.

2. Ipso vitae primordio
Miro clares prodigio,
Die de septem gemina
Mammas semel dat femina.

3. Tu propriam per copiam
Patris supples inopiam
Et natarum injurias
Justas vertis in nuptias.

4. Coeli factus oraculo
Dignus praesul in populo,
Coelestem viam propere
Verbo monstras et opere.

5. Naves frumenta tribuunt
Et numerum non minuunt,
Quam reddit sine vitio
Nautarum obeditio.

6. Jure per orbem coleris,
Velox adjutor nosceris,
Festinus in periculis
Cunctis succurre servulis.

7. Eripuisti mortibus
Terris plures et maribus,
Rex obedit ad omnia,
Quem territas per somnia.

8. Ut nos ergo velocia
Sentiamus auxilia,
Nos tuis, sancte, precibus
Polorum junge sedibus.

9. Patri decus ingenito
Honor et unigenito
Spiritui victoria,
Uni trinoque gloria.

Brev. ms. Coelestin. Bononien. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275. — 7, 1 Drupisti mortibus. — 7, 4 territus.

354. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Miles Christi egregie,
Nicolae sanctissime,
Qui tuis sacris meritis
Socius factus prophetis.

2. Jam in aeterna patria
Mansura tenes gaudia
Atque cum sanctis omnibus
Laetaris in cubilibus.

3. Nos tibi famulantibus
Tuis fove precatibus,
Ut expiatis sordibus
Jungamur cum coelestibus.

4. Praestet hoc nobis Dominus,
Pius redemptor omnium,
Qui regnat absque termino
Cum patre et paraclito.

Brev. ms. Farfense saec. 13. Cod. Vallicellan. C 93. — 1, 4 Socius factus perhis. — 3, 2 fave precatibus. — 4, 4 fehlt eine Silbe; et ergänzt.

355. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Sacerdos Christi inclite,
Almifice Nicolae,
Tua devotos adjuva
Prece poscentes veniam.

2. Obtine nobis, quaesumus,
Sinceritatem mentium
Munditiamque cordium,
Per quam cernamus Dominum.

3. Ut tecum laudes perpetim
Christo canamus affatim,
Tuis eruti precibus
A poenis infernalibus.

4. Praestet hoc nobis Dominus,
Pius redemptor omnium,
Qui regnat absque termino
Cum patre et paraclito.

Brev. ms. Farfense saec. 13. Cod. Vallicellan. C 93. — 1, 1 fehlen drei Silben; inclite ergänzt. — 1, 3 Tuo dovotos. — 2, 1 Optime nobis. — 2, 2 Sinceritate.

356. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Christo laudes eximiae
Dentur in suo milite,
Qui fuit innocentiae
Dux et pastor ecclesiae.

2. Hujus insignis merito
Navis jam in periculo,
Cum esset in naufragio,
Liberatur in pelago.

3. Tribus iste virginibus
Victu prorsus carentibus
Tribus auri ponderibus
Ademit stupri facinus.

4. Tribus idem juvenibus,
Quos misit pro muneribus
Consul necari perfidus,
Currens subvenit citius.

5. Bonum coelum mirificum
Per Nicolai meritum
Fecit, cum auxit triticum,
Nautis prius exhibitum.

6. Sit trinitati gloria,
Per quam fiunt prodigia
In sanctis laudabilia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I. 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. B. — 2, 3 fehlen zwei Silben AB; esset ergänzt. — 5, 1 Bonum cecum A, cetum B.

357. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Deus respectu gratiae
Nos perlustravit hodie,
Exemplum sanctimoniae
Donans nobis in homine.

2. Hujus in pueritia
Fuit haec abstinentia,
Quarta et sexta feria
Semel sugebat ubera.

3. Christi vigil excubia
Myrae pontificalia
Suscepit in vigilia
Voce coelesti nuntia.

4. Nec vacat a mysterio,
Quod fecit in Basilio,
Cujus fit restitutio
Parentibus in prandio.

5. Deo patri et filio
Sit gratiarum actio
Et flamini paraclito
Et nunc et sine termino.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. B. — 4, 1 vacat ministerio AB.

358. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Festum, fratres carissimi,
Nicolai sanctissimi
Reductum anni circulo
Frequentemus obsequio.

2. Cui est ab infantia
Concessa Christo gratia,
Ut infans semel in die
Mamma materna biberet.

3. Mira Dei clementia
Et stupenda potentia,
Cui tam breve corpusculum,
Fide replesti spiritum.

4. Aetas crescebat corporis,
Virtus pollebat operis,
Faciebat prodigia,
Signa et mirabilia.

5. Quidam pauper, inopia
Valde pressus, penuria
Natarum strupo vivere
Decreverat illicite

6. Quod Nicolaus audiens,
Tanto turbatus scelere,
Ut erat clementissimus,
Non pertulit hoc vitium.

7. Auri talenta pondera
Largitor probatissimus
Projecit in domo viri
Auctoritate termini.

8. Nautis jam pereuntibus,
Nicolaum vocantibus,
Mare placatum exstitit
Virtute sancti spiritus.

9. Sit Christo laudis gloria,
Patri sanctoque flamini
Laudem canamus liberi
Per infinita saecula.

Brev. ms. S. Clarae Neapolitan. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). add. saec. 15. — 1, 3 Reducti anni circulum. -- 1, 4 obsequium. — 3, 2 sq. Constr.: Fide replesti spiritum [ejus], cui tam breve [est] corpusculum. — 4, 1 Aestas. — 4, 4 Signia. — 5, 2 Natarum stupre bibere. — 5, 4 illicitus. — 6, 2 turbato. — 7, 1 Puri talenta. — 8, 1 jam parentibus. — 9, 3 Jubem canamus.

359. De sancto Onofrio.

Ad Vesperas.

1. Contra mundi illecebras
Et daemonum insidias
Sancti pugnam Onofrii
Vox promat mente hilari.

2. Hic mundi a cunabulis
Renuntiavit gaudiis,
Nihil mortale ambiit,
Deo contentus exstitit.

3. More Johannis hominum
Fugiens vaniloquium
Primo ad monasterium,
Post transiit ad eremum.

4. Fame simul cum frigore
Et nunc afflictus caumate,
Animo tamen validus
Dei manet in laudibus.

5. Hunc tentator nequissimus
Novis appetit artibus,
Menti veneno illita
Saepius vibrat jacula.

6. Ad hoc, lorica fidei
Undique tectus triplici,
Tela restinxit daemonis.
Dura, impenetrabili.

7. Sic pugnavit cum daemone
In hujus vitae stadio
Tandemque victo bravio
Muneratur imperio.

8. Ad quem ipsius munere
Valeamus pertingere,
Qui non pensando merita
Pro malis bona reputat.

9. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — 5, 1 Nunc tentator. — 5, 3 Mentis veneno. — 5, 4 vibrata. — 6, 3 restrinxit. — 7, 3 Lies victor? — 7, 4 Numeratur.

360. De sancta Patricia.

Ad Vesp. et Laud.

1. Virgo malorum nescia,
Cujus festum est hodie,
Properat cum victoria
Ad Christum, regem gloriae.

2. Sponso relicto saeculi
Jungitur sponso coelitus,
Qui in crucis patibulo
Pro nobis fuit positus.

3. Hanc filius patricii
Pro uxore petierat,
Sed haec superni gaudii
Jam plena subterfugerat.

4. Haec Dei cultrix sedula
Vitae finito termino
Multa fecit miracula
Praecipiente Domino.

5. Haec coelestes divitias
Emens pro temporalibus
Epulatur ad nuptias
Inter sancta consortia.

6. Ergo patrem et filium
Et spiritum paraclitum
Rogemus, ut auxilium
Det nobis hujus meritum.

Offic. ms. S. Patriciae saec. 15. ex. Cod. Neapolit. VI F 10. — 1, 4 fehlen zwei Silben; Christum ergänzt. — 6, 3 fehlt eine Silbe; ut ergänzt.

361. De sancta Patricia.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, felix Neapolis,
Alumnae dives munere,
Urbs quam Constantinopolis
Primo lactavit ubere.

2. Nam Patriciae virginis
Laude luces et titulis,
Quae luce veri luminis
Clarens claret miraculis.

3. In annis puellaribus
Prima contempta saeculi,
Cunctis profusis opibus
Vires contrivit zabuli.

4. Apostolorum limina
Petit per mundi devia
Puella, nondum femina,
Natali spreta patria.

5. Ad laudis tuae cumulum
Dato sponso coelitus
Elegit in te tumulum,
Quem vivens signat digitis.

6. Compatriota coelice
Congaude, felix civitas,
Ut ipsa tibi praeduce
Te salvet sancta trinitas.

Offic. ms. S. Patritiae saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI F 10. — 1, 3 Urbis quam. — 2, 2 Laude luce et titulus. — 2, 4 Lies Claris claret? — 3, 2 contenta. — 5, 2 fehlt eine Silbe; lies Datore sponso oder Dato sponsore? — 6, 2 Congaudet felix.

362. De sancta Patricia.

Ad Vesperas.

1. Fulget in coeli patria
Laudum tollenda titulis,
Aeterna tenens gaudia,
Virgo clarens miraculis.

2. Patritia, patricii
Sponsa declinans foedera,
Ad coelestis connubii
Festina currit munera.

3. Falsis spretis divitiis
Electa Christi famula
Claris claret prodigiis
Superno regi sedula.

4. Carnem terens cum vitiis,
Mentem carentem carie
Satan spretis versutiis
Regi dicavit gloriae.

5. In monialis habitu
Carnis culturam deserit
Et dominante spiritu
Cultus salutis reperit.

6. Tonso velata vertice
Laureatur laureola,
Cum beatis mirifice
Regni coelestis incola.

7. Ergo, parens, te precamur,
Ora, patrona, Dominum,
Ut post mortem conjungamur
Choro sanctorum virginum.

Offic. ms. S. Patriciae saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI F 10. — 1, 1 in coeli patricia. — 3, 4 regi saecula. — 4, 1 Carnis terens. — 4, 4 dictavit. — 5, 3 dominantem spiritum. — 5, 4 Cultis salutis. — 6, 2 Lauretur.

363. De sancta Patricia.

Ad Nocturnum.

1. Tempore festa colimus immensa,
Quo Patricia deserens terrena,
Christo nuptura morte superata
Scandit ad astra.

2. Haec linquens mundum lampadibus plenis
Lumen accendit, ad nuptias intrat,
Ubi cum sponso epulatur agnum
Immaculatum.

3. Quae timens Deum, recte colens eum,
Surdis auditum restaurat sopitum,
Multis loquelam reparans amissam
Cantica dantem.

4. Daemones fugat languidosque curat,
Urbem gubernat, ne quis hanc offendat,
Et reges placat, ut cives non laedat
Fervor eorum.

5. In his laudemus ore jubilaeo
Christum et demus primas grates Deo,
Nam huic debemus, qui crucis trophaeo
Omnia salvet.

Offic. ms. S. Patriciae saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI F 10. — 1, 3 Christi. — 2, 2 ascendit. — 4, 2 ne quis cam (eam) offendit. — 5, 4 Lies salvat?

364. De sancta Patricia.

Ad Laudes.

1. Nox purgatur et fugatur,
Cum coronatur laurea
Virgo pia Patricia,
Lux, ecce, surgit aurea.

2. Mundum spernens, Christum cernens,
Mortalis expers criminis,
Labe caret, luce claret,
Consors paterni luminis.

3. Ferens mente sine sente
Virginitatis lilium,
Carens solo vivit polo,
Christe, redemptor omnium.

4. De quo laudes, cui congaudes,
Propina, felix concio,
Quam tu mundes et fecundes,
Jesu, nostra redemptio.

5. Ad quod corde sine sorde
Surgamus omnes ocius,
Quos invitat et quos citat
Ales diei nuntius.

6. Tibi parens labe carens
Donatur Christi famula,
Ut te ducat et conducat,
Plaudat turba paupercula.

7. Ista duce sua luce,
Quae stat in coeli gloria,
Nos corones, Christe, dones
Beata nobis gaudia.

Offic. ms. S. Patriciae saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI F 10. — 1, 2 fehlen drei Silben; laurea ergänzt. — 1, 3 fehlen zwei Silben; pia ergänzt. — 2, 3 lux claret. — 4, 3 tu mandes. — 7, 3 Christi.

365. De sancta Paula.

Ad Vesp. et Noct.

1. Paula coeli imperium
Attulit scandens bravium,
Multaque passa incommoda
Nunc regnat in coelestia.

2. Radices quinque prodidit,
De quibus virgo Eustochium
Cohortes rexit virginum
Magnum struens coenobium.

3. Paula, matrona nobilis,
Romae nitens divitiis,
Exemplum praestans omnibus,
Omnia dat pauperibus.

4. Carbasa tendens aequore
Dum parat Jesum quaerere,
Sprevit clamantes litore
Filios gravi vulnere.

5. Artus vestivit nobiles
Sic vestis una ignobilis,
Ut eam quisque crederet
Ex ancillarum numero.

6. Jesu sequens vestigia
Pauperes Christi coelica
Pavit ex sibi deditis,
Egens ipsa cibariis.

7. Latine, Graece loquitur,
Psalmos cantando jugiter,
Plangens peccata vilia,
Reparat illa gratia.

8. Uni trinoque Domino
Laudes solvamus debitas,
Ut Paulae sanctis precibus
Nostra laxet facinora.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 734. — 2, 1 prodiit. — 2, 3 direxit. — 4, 4 Fillos gravi.

366. De sancta Paula.

Ad Laudes.

1. Paulam nunc deificam
Uterque polus coelicam
Laudet et Eustochium,
Hujus vitam mirabilem.

2. Gaudet chorus coelestium
Harum tenens consortium,
Mundi spreverunt terrea
Attendentes ad aethera.

3. Carina sulcans maria
Petiit Jerosolymam,
Ad sacra scandit pervia
Mariae diversoria.

4. Praesepe Paula circuit,
Hinc vagientem reperit
Christique matrem parvulis
Plectentem hunc panniculis.

5. Stellam, magos, nutritium,
Videt pastores invicem,
Vocem audit angelicam
Deo canentem gloriam.

6. Sepulchrum Christi ingreditur,
Lapidem hunc amplectitur,
Humano visu cernitur
Implexum corpus sindone.

7. Hujus vitam mirabilem
Dixit, inennarabilem
Ejus mortem cum fletibus
Sanctus scribens Jeronymus.

8. Trinum et unum Dominum
Poscat Paula coelestium,
Nos his intercedentibus
Polorum dari sedibus.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. — 1, 4 vite mibilem. — 2, 3 terrena. — 4, 2 vagientes.

367. De sancta Paula.

Ad Vesp. et Noct.

1. Aeterno regi gloriae
Canamus corde, vocibus,
Quo Paula tendens hodie
Laetis gaudet adspectibus.

2. In mundo solum corpore
Stans Paula tota coelica,
Carnem spernit pro stercore,
Mente, vita deifica.

3. Monile, sidus gratiae
Parit haec Eustochium,
Qua matre castimoniae
Praefulget xenodochium.

4. Instructae per Jeronymum
Utraeque sumunt filias.
Quibus stringendi Dominum
Vias demonstrant pervias.

5. Sub jugo Christi nobiles
Colla praebent alacriter,
Carnem calcant immobiles,
Fidem servantes fortiter.

6. Per has nos, Deus, protege
Jam emundatos vitiis
Rectoque calle dirige
Semotis praecipitiis.

Brev. ms. Tarvisinum saec. 15. Cod. Capit. Tarvis. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B. — 3, 1 Monille AB. — 3, 2 fehlt eine Silbe AB; haec ergänzt. — 4, 3 Domini A. — 6, 1 Pro has A. — 6, 2 emundato A.

368. De sancta Paula.

Ad Laudes.

1. Post mundi transitoria
Paulae donantur gaudia,
Pro daemonum victoria
Polorum dantur bravia.

2. Nam Paula plena lampade
Pervenit sponsi nuptias,
Jam circumdata cyclade
Nullas timet insidias.

3. Haec fructum sexagesimum
Percepit mundo vidua,
Sed coelo nunc centesimum
Deo tenet assidua.

4. De spinis matrimonii
Rosam legit gratificam,
Dum mater Eustochii
Parit ipsam vivificam.

5. Non impar matri meritis,
Virginitate differens,
Quae Jeronymi monitis
Fit Deo collum conferens.

6. Olivae binae simplices,
Totis rogamus precibus,
Salvate nostros complices
Expulsis hinc sceleribus.

7. Hoc nobis praestet trinitas
Per has, quas pie colimus,
Per quas sit immortalitas,
Quam dari sanctis credimus.

Brev. ms. Tarvisinum saec. 15. Cod. Capit. Tarvis. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B. — A hat nur Strophe 1; das Weitere fehlt. — 2, 4 indutias. — 5, 4 Dei cellum; lies vielleicht Deo cellam?

369. In Conversione s. Pauli.

Ad Vesperas.

1. Sancti Pauli conversio
Cum jubilo veneretur,
Totam illustrans saeculum
Per gratiae miraculum.

2. Hic Domini discipulos
Acceptis cum epistolis
Pergit Damascum insequi,
Caedem minando fortius.

3. Christus adest terribilis
Magno splendore luminis,
Ad terram hunc projiciens
Duraque voce alloquens:

4. Saule, cur me persequeris?
Calcitrare non poteris
Meum adversus stimulum,
Qui sum tutor fidelium.

5. Saulus respondit protinus:
Quis es, qui ita coelitus
Loqueris? mihi aperi,
Et sum paratus obsequi.

6. Christus, inquit, sum floridus,
Tu vero nimis stolidus,
Qui mea membra caederis,
Ad poenam tu prosequeris.

7. Pro nobis regi gloriae,
Qui te sacravit hodie,
Preces effunde jugiter,
Te rogamus suppliciter.

8. Praestet hoc nobis trinitas,
Vera et simplex unitas,
Quae Paulum sua gratia
Dignum fecit et gloria.

Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. — 2, 1 discipulus. — 2, 3 Damascum in suis. — 7, 1 regis.

370. In Conversione s. Pauli.

Ad Nocturnum.

1. Paulus prostratus limite,
Sustentatus a comite
Intrat Damascum oculis
Amissis luce luminis.

2. Ubi dierum circulo
Trium visu et pabulo
Privatur et fit sobrius,
Coelum cernens subtilius.

3. Videt divinum nuntium,
Ananiam discipulum,
Sibi donantem gratiam
Et peccatorum veniam.

4. Ananias discipulus,
Sauli salutis dubius,
Timet eum invisere,
Suspicans eum furere.

5. Christus inquit: ne timeas,
Vas electum intelligas,
Ut ferat coram regibus
Nomen meum et gentibus.

6. Saule frater, discipulus
Inquit, ego sum nuntius,
In via qui apparuit
Et tibi lumen sustulit.

7. Precamur, pater optime,
Preces funde assidue,
Qui te doctorem omnium
Constituit fidelium.

8. Deo sit soli gloria,
Cujus misericordia
Paulus recepit gratiam
Et peccatorum veniam.

Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. — 3, 1 Deum nuntium. — 4, 2 Saulis saluti. — 4, 3 Time. — 7, 3 infunde.

371. In Conversione s. Pauli.

Ad Laudes.

1. Accepta Paulus gratia
Cum baptismi munditia
Lumen actibus recepit,
Fidem docere incepit.

2. Turba gaudet fidelium,
Audent Judaei odium,
Gregem divinum persequi
Nunquam desistunt perfidi.

3. Convalescit apostolus,
Judaeorumque populus
Confunditur a Domini
Verbis sancti apostoli.

4. Sanctum Paulum discipulis
Barnabas offert humilis,
Christi factum apostolum
Pro salute fidelium.

5. Paulus ubique praedicat
Nomen Christi nec trepidat,
Paratus pati vincula,
Mortem ac saeva verbera.

6. Portat Domini stigmata
Et ipsius documenta,
Mundus recepit gratiam,
Fidem atque justitiam.

7. O beate apostole,
Verbum inedicibile
Roga pro nobis omnibus
Festa tua colentibus.

8. Uni Deo sit gloria,
Cui una essentia
Et personarum trinitas,
Vera et simplex qualitas.

Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. — 2, 3 deum persequi. — 2, 4 desistant. — 4, 1 discipulum. — 5, 4 Morti.

372. De ss. Petro et Paulo.

1. Passio pontificum
Petri, Pauli rutilat
Orbem totum,
Annua quam colimus
Per tempora.

2. Isti velut lucida
Candelabra rutilant
Ante Deum
Et fruuntur gaudiis
Sine fine.

3. Longo quamvis tempore
Hos errare compulit
Vagus error,
Post conversi Dominum
Secuti sunt.

4. Unus caput exstitit
Totius ecclesiae,
Apostolus
Alter doctor gentium
Exstiterat.

5. Gens humana, respice,
Quanta sit potentia
Larga Dei,
Cum piscator factus sit
Apostolus.

6. Hunc de maris litore
Cum vocaret Dominus
Piscatorem,
Ille linquens retia
Profectus est.

7. Conditor aetherei,
Animi constantiam
Ejus cernens,
Illi claves tradidit
Aethereas.

8. Potestatem pariter
Alligandi dederat
Et solvendi,
Ut suo permaneat
Arbitrio.

9. Quaecunque ligaverit
In terra vel solverit,
Jussu Dei
In coelesti solio
Ita erunt.

10. Persecutor gentium
Paulus quondam fuerat,
Mente caecus,
Qui truncavit plurimum
Christicolas.

11. Ipsius et chlamydem
Milites congerere
Ante pedes
Fecerat et stragula
Occisorum.

12. Sed postquam baptismatis
Lavacrum promeruit
Percipere,
Lupus agnus factus est
Mitissimus.

13. Iste Cappadociam,
Aegyptum et Asiam
Et Arabes,
Pontum et Pamphiliam
Edocuit.

14. Fames atque vincula,
Catenas et verbera
Multa passus,
Ter et maris pertulit
Naufragium.

15. Per terrarum climata
Petrus trahens retia,
Multos Christo
Piscatus est homines
Incredulos.

16. Jam postremo tempore
Romam cum pervenerant,
Martyrium
Victo mago Simone
Susceperant.

17. Per crucis patibulum
Petrus poli sidera
Conscenderat
Et triumphum meruit
Martyrii.

18. Paulus fundens sanguinem
Per mucronis aciem,
Dignus Petri
In agone successor
Effectus est.

19. Felix Roma nimium,
Quae tales promeruit
Defensores,
Quorum semper meritis
Tuta manet.

20. Donec poli sidera,
Sol et luna rutilant
Lampadibus,
Illius nam gloria
Semper erit.

21. Hos precamur sedule
Nostro pro pontifice
Mente pura,
Ut horum suffragiis
Salvus eat.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Angelicus. B III 18. — 1, 2 rutila. — 1, 3 per ist dem Sinne nach zu ergänzen. — 7, 2 constantia. — 7, 4 Ille. — 9, 1 Quemcunque. — 11, 2 congerrea. — 13, 1 Cappadocia. — 13, 2 Asia. — 13, 3 Harabes. — 15, 2 traes retia. — 15, 4 Piscator es. — 20, 1 Donet poli. — 21, 3 para.

373. In s. Petri ad Vincula.

1. Tuam, o pater, postulamus gratiam
In cunctis tuam poscimus clementiam,
Mundum qui solus renovasti perditum,
Exaudi preces tibi supplicantium,
Irrigans corda rore sancti spiritus.

2. Quo principalem diem celeberrimum
Petri queamus cumulare laudibus,
Porrigentes hoc canticum hymnidicum,
Pauca canentes dignis tibi vocibus
Ex multis ejus summis mirabilibus.

3. Herodis regis saevis jussionibus
Petrus ligatus catenarum nexibus,
Angelus summis missus a sideribus
Lumen accendit carceris in tenebris,
Petrum eduxit patefactis januis.

4. Praevium cumque sequeretur angelum,
Portae veniret ferreae ad transitum,
Transitum porta praebuit ultroneum,
Tunc exeuntes vicum unum transeunt,
Atque a Petro mox discessit angelus.

5. Ad se reversus Petrus secum loquitur:
Nunc scio vere hunc fuisse angelum,
Desuper missum mihi in praesidium,
Me liberantem ab Herodis manibus
Judaicisque exspectationibus.

6. Gloria patri filioque claritas,
Spiritus sancti una in substantia,
Regnum perenne, lumen indeficiens,
Trinitas summa, indivisa unitas,
Nunc et per cuncta saeculorum saecula.

Hymn. ms. Neapolitanus. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Neapolitan. VI G 29. — 2, 3 in hoc. — 2, 4 dignus. — 3, 4 Petrus. — 4, 2 venire ferreo.

374. De s. Petro Coelestino.

Ad Vesperas.

1. Gratulemur extollentes
Coelestini merita,
Christo regi persolventes
Vota laudum debita,
Qui coronat confitentes
Palma vitae reddita.

2. Horum luce claritatem
Praecellens originis
Coelestinus dignitatem
Sui complet nominis,
Ad coelestis caritatem
Nos informans numinis.

3. Zelo fervens pietatis
Ac virtutum studio,
Carnis curam parcitatis
Infrenat jejunio,
Dulci viam veritatis
Edocens eloquio.

4. Sic, sic lucra commendati
Talenti conduplicat,
Verbi numen incarnati
Dum scripturis explicat
Et erroris condemnati
Impostivam abdicat.

5. Verbo Christus attestatur,
Signis et virtutibus,
Plebs in fide roboratur
Curatis languoribus,
Regnum Christi dilatatur
Extrusis erroribus.

6. Honor, virtus aeternali
Patri sit ingenito.
Laus par consubstantiali
Ejus unigenito
Ac utrisque coaequali
Gloria paraclito.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. — 4, 6 Lies imposturam?

375. De s. Petro Coelestino.

Ad Nocturnum.

1. Depulso mentis nubilo
Christo canamus gloriam
Vocis promentes jubilo
Coelestini memoriam.

2. Hic pius, prudens, humilis,
Verbi coelestis bajulus,
Simplex, rectus, amabilis
Et castitatis aemulus.

3. Tanta perfusus gratia,
Tot morum pollens titulis,
Veritatis eloquia
Grata reddit incredulis.

4. Conversi ad catholicae
Viam doctrinae complices
Pravitatis haereticae
Cremari poscunt codices.

5. Sic grex pastoris humeris
Portatur ad ovilia,
Vinculis caeci sceleris
Solvi gaudet Aemilia.

6. Laus patri sit et filio,
Laus sit et sacro neumati,
Qui Coelestinum solio
Regni coronat perpetim.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734.

376. De s. Petro Coelestino.

Ad Laudes.

1. Sacra sacris immolantes
Matutinis laudibus
Alternemus concrepantes
Aere, voce, fidibus,
Coelestinum collaudantes
Cum coeli principibus.

2. Celsi nutu consecratus
Petri pontificio,
Sic se dignum praesulatus
Ostendit officio,
Ut clareret Christo gratus
Virtutum indicio.

3. Curam gerens singulorum
Pater erat omnium,
Utque mater filiorum
Solatrix gementium
Viduarum, pupillorum
Gerebat negotium.

4. Absens erat supplantator
Veri consistorio,
Absens falsi concinnator
Linguae conflatorio.
Absens doni receptator
Favens adjutorio.

5. Census Christi dispensator
Mensuras distribuit
Et lapsorum reparator
Vi opressis adfuit,
Infirmorum visitator
Salutes restituit.

6. Honor, virtus aeternali
Patri sit ingenito,
Laus par consubstantiali
Ejus unigenito
Ac utrisque coaequali
Gloria paraclito.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. — 3, 3 Ut quique mater

377. De s. Petro Coelestino.

In 1. Vesperis.

1. In paradisi culmine
Candescens floret lilium,
In confessorum agmine
Confessor capit praemium.

2. Hic Petrus recte dicitur,
Nam fuit fide solidus
Et ut Petrus cognoscitur
Boni zelator fervidus.

3. Petrus errorum devia
Fide fugat catholica,
Murus daemonum vitia
Necat cum spe mirifica.

4. Coelestinus nunc noscitur,
Cum fit Christi vicarius,
Nam coelicus ostenditur
Ante, post et nunc medius.

5. Honoris cedit apici
Forma factus humilium,
Se manifestat refici
Consortio simplicium.

6. Clemens quintus conformiter
Christo disponens agere,
Ex probatis solemniter
Hunc sanctum jubet colere.

7. Nunc trinitati gratias
Reddamus omnes debitas,
Concinamus alacriter
Dicentes una pariter:

8. Gloria patri Domino,
Nato atque paraclito,
Nos hujus sancti merito
Coeli fruamur gaudio.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275. A. — Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733). B. — Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. C. — 7, 1 Tunc trinitati C.

378. In ss. Philippi et Jacobi.

1. Refulget jam solemnitas
Apostolorum annua,
Adsit nobis laetitia
Et spiritalis gloria.

2. Quorum unus est Jacobus,
Alter Philippus dicitur,
Coelestis regis milites,
In passione nobiles.

3. Dei dilectus Jacobus
Ordinatur episcopus,
Hierusalem ecclesiam
Primus rexit catholicam.

4. Apellatus a gentibus
Oblias et sanctissimus,
In omnibus laudabilis,
In doctrina mirabilis.

5. Nunquam est usus balneis
Nec mundanis deliciis,
Non est perunctus oleo,
Indutus neque laneo.

6. Soli licebat ingredi
Sancta sanctorum in populis,
Orans pro indulgentia
Cunctorum negligentia.

7. Perstabat in ecclesia
Flectendo semper genua,
Ut callum sibi jugiter,
Instar cameli cresceret.

8. In fide Christi positus
Amabatur ab omnibus
Nocteque die praedicans
Et multos Christo consecrans.

9. Supra templum sanctissimum
Jussum amore populum
Judeorum consilio
Dejicitur pinnaculo.

10. Mox per fullonis perticam
Suscepit mortis gloriam,
Percussus est in cerebro,
Conjunctus Christo Domino.

11. Alme patrone Jacobe,
Nostros reatus dilue,
Ad coelum servos subleva
Dans nobis vitae praemia.

12. Philippe, te cum Jacobo
Deprecamur apostolo,
Ut paradisi gaudiis
Nos jungas tuis meritis.

13. Te, Christe, fili altithrone,
Collaudamus assidue,
Tuorum preces suscipe
Et nos colloca in aethere.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29. — 4, 2 Lies Osios (ὅσιος)? — 6, 1 jacebat ingredi. — 9, 2 jedenfalls verschrieben. — 12, 4 jungans.

379. De sancto Proculo.

Ad Vesperas.

1. Hymnum canamus gloriae,
Hymnum sanctae memoriae,
Hymnum nunc Dei filio
In Proculi martyrio.

2. Qui nominis praesagium
Procul lucendo tenuit,
Exemplar poenitentium
Virtutibus emicuit.

3. Huic obedit bestia
Mente mutata efferi,
Dira fugat daemonia
Expulsa jussu celeri.

4. Membra sanat languentium
Ac mentes infidelium,
Quare Totilae odium
Mortis infert supplicium.

5. Post mortem et martyria
Potitur coeli praemia,
Clausus in te, Bononia,
Nobis det poli gaudia.

6. Laus patri et genito,
Sit simul et paraclito
Et nobis parcat solito
Plus sancti hujus merito.

Brev. ms. Coelestin. Bononien. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275. — 2, 1 praesagio. — 6, 1 Laus zweisilbig; oder lies Sit laus patri.

380. De sancto Proculo.

Ad Nocturnum.

1. Solutis Deo precibus
Devoti psalmi laudibus
Per Proculi solemnia
Nunc detur nobis venia.

2. Qui Dei jussu veniens
Vitae semina attulit,
Christi praecepta gestiens
Implere mortem pertulit.

3. Pro Christo cutem exuit,
Dum caput loras posuit,
Pellem pro pelle meruit,
Et corpus plaga caruit.

4. Hic positus in tumulo
Suscitato pucrulo
Cum Christo scitur vivere
Et coeli alta scandere.

5. O rosa patientium,
Viola confitentium
Ac virginale lilium,
Aeternum confer praemium.

6. Laus patri et genito,
Sit simul et paraclito
Et nobis parcat solito
Plus sancti hujus merito.

Brev. ms. Coelestin. Bonon. saec. 15. Cod. Univ. Bonon. 2275. — 5, 4 confert. — 6, 1 vgl. das zur vorigen Nummer bemerkte.

381. De sancto Proculo.

Ad Laudes.

1. Plaude, felix Bononia,
Patre ditata martyre,
Surge ut tympanistria,
Domino laudes reddere.

2. Hujus patroni meritis
A malis et periculis
Protegaris a Domino
In hoc solemni gaudio.

3. Ut destructis criminibus
Atque adversitatibus
Valeas Deo carnere
Et hunc patrem recolere.

4. Qui dum divina celebrat,
Ei turba angelica
Respondet digna cantica,
Ad quam festinans inhiat.

5. Cervam in via repperit,
Ut gressum figat, praecipit
Et lacte sitim repulit,
Christum vocans hoc potuit.

6. Pro te, superne genite,
Stat sanctus flexo poplite
Et amputato capite
Sedet in vero limite.

7. Nunc pro tuo collegio,
Martyr sacrate, supplica
Et in aeterno praemio
Eos simul communica.

8. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sint sancti hujus merito
Aeterna nobis gaudia.

Brev. ms. Coelestin. Bononien. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275.

382. De sancto Pronino.

1. Mente salubri crimine soluti
Debent sonare, voce propagare
Mira legentes animo verentes
Sancti Pronini.

2. Franciae regnum quem duxit in ortum,
A quo discedens exstititque tendens
Mediolanum scientia captum
Sancti Ambrosii.

3. Ibi moratus fuit informatus
Lege fideli demptaque rebelli
Tuncque Cumanis non regeneratis
In fide Christi.

4. Cumas est missus ibique receptus
Et fide pura factus protoscriba
Christi fidelis praesulis Felicis
Atque collega.

5. Iste post illum digne praesulatum
Servavit vere opere nitente,
Praesul vocatus pastorque beatus
Et rectus custos.

6. Canamus cuncti summo genitori
Gloriam, nato flaminique sancto,
Personis trinus, deitate unus
Vere qui manet.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339.

383. De sancto Pronino.

1. Ut tua pia mire queam gesta
Organo vocis intonare cunctis,
Reata deme, gratiam infunde,
Pronine felix.

2. Is in aetate Christi fidem late
Ejus inauxit ac plura peregit
Florida mira, quamquam sint inscripta
Molem ob urbis.

3. Qui post quandam vetustatem latens
In templo sancti Gervasi, Protasi,
Ubi sepultus fuit, hinc translatus
In urbem Cumas.

4. Guerra regnante nuperque fervente
Corpus beatum ejus est locatum,
Ubi est cursus, juxta ripam lacus
Et ibi viget.

5. Canamus cuncti summo genitori
Gloriam, nato flaminique sancto,
Personis trinus, deitate unus
Vere qui manet.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — 2, 1 fidem latere. — 3, 1 fehlt eine Silbe und der Binnenreim; latans. — 3, 2 In fehlt. — 3, 3 Ibi; hinc.

384. De sancta Petronilla.

Ad Vesperas.

1. Concinat plebs fidelium,
Mater Dei sanctissima,
Tuae laudis praeconium,
Quia est per te gloria.

2. Exemplo tuo virgines
Post tuum currunt filium
Puellae atque juvenes
Quam plures in consortium.

3. Ex quibus primiceria
Currit filia principis,
Petronilla sanctissima,
Adhuc in annis teneris.

4. O benedicta filia
Apostolorum principis,
Quis te non cum laetitia
Solemnizet in saeculis?

5. Quae in coelis ab angelis
Honoraris sanctissima
Et a sanctis apostolis
Es visa cum laetitia.

6. Tu intra choros martyrum
Muneraris veraciter,
Ardenter ad martyrium
Ivisses et velociter.

7. Petri obedientia
Infirmam lecto tenuit,
In hoc fuisti socia
Confessori, ut decuit.

8. Non qualemcumque virginem
Tu, Petronilla, sequeris,
Sed, quae non habet similem,
Matri Dei conjungeris.

9. Sit benedictus Dominus,
Sit benedicta domina,
Benedictus apostolus
Petrus et sua filia.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui Petronillam, filiam
Tui principis, hodie
Induisti laetitiam.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Neapolitan. I B 23. — 2, 1 tue virginis. — 6, 1 infra. — 6, 2 Lies Numeraris? — 7, 2 Infirma. — 8, 3 Se quae.

385. De sancta Petronilla.

Ad Nocturnum.

1. Generat haec discipulas
Exemplo patientiae,
Infirmata dans gratias
Nata obedientiae.

2. In lecto paralytica
Jacens, o nata principis
Apostolorum, filia,
Quam pulchra es in caligis.

3. Discumbentes desiderant
Videre mirabilia,
Ad umbram cujus fuerant
Fugata mala plurima.

4. Ad ipsius et filia
Praeceptum statim sanitas
Consequitur et sedula
Ministrat cum hilaritas.

5. Ad lectum post revertitur,
Quia sic ei expedit,
Infirmanti addicitur
Sanitas, quae plus proficit.

6. Efficitur haec postea
Virgo sana et corpore
Et aliis remedia
Dat sanitatis integrae.

7. Et sic virtute stabili
Fulta intrat ad proelium,
Venit comes, mirabili
Nisu haec vicit impium.

8. Matronas ad se postulat
Mitti, non fortes homines,
Deum interim flagitat
Et habet coeli milites.

9. Qui ipsam et custodiunt
Et adjuvant salubriter,
Ad coelum usque deferunt,
Ubi regnat feliciter.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui Petronillam filiam
Tui principis hodie
Induisti laetitiam.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Neapolitan. I B 23. — 4, 1 filie. — 4, 3 sedule. — 4, 4 Ministra cum glaritas.

386. De sancta Petronilla.

Ad Laudes.

1. O Petronilla, filia
Apostolorum principis,
In corpore et anima
Pulchra es et amabilis.

2. Amabilis es Domino
Et creaturis omnibus,
In summis desiderio
Te solemnizet populus,

3. Quia in coelo angeli
De te canticum faciunt,
Atque sancti apostoli
Omnes ut natum diligunt.

4. O quis te non diligeret,
Nata maximi principis?
Quis de te non confideret,
Quae et cum patre aperis?

5. Secura tu progrederis
Per coelum sicut domina,
Quia ut nata principis
Aperis coeli ostia.

6. Nobis tuis aperias,
Quae te pulsamus precibus,
Deo reddentes gratias
In tuis summis laudibus.

7. Tuum festum, sanctissima,
Celebramus cum gaudio,
O sis et tu sollicita
Pro tuo monasterio.

8. Tuis nos, virgo, precibus
Custodi a periculis,
Fac et in Dei laudibus
Nos morari in saeculis.

9. Et civitatem protege,
Cunctos in ea liberans,
In anima et corpore
Sis semper nos coadjuvans.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui Petronillam, filiam
Tui principis, hodie
Induisti laetitiam.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Neapolitan. I B 23. — 2, 3 lies summo?

387. De sancto Petronio.

Ad Vesp. et Laudes.

1. Laetetur mens fidelium
Festi redire gaudium,
In quo Petronii merita
Orbi refulgent praeclua.

2. Qui spretae vitae merito
Coeli cubat in solio
Angelica commercia
Lucri mercans inopia.

3. Confessor Christi maximus,
Bononiae episcopus,
Divini verbi gerulus,
In quo vivebat populus.

4. Exemplis atque monitis
Dogma praefixit civibus,
Doctrinae dedit pabula
Gregis tutans ovilia.

5. Qui vegetatus membrulis
Clarus fulsit miraculis,
Quocunque laesos vulnere
Precum sanans malagmate.

6. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito
Beatoque Petronio
In saeculorum saecula.

Offic. ms. Bononiensia saec. 15. Cod. Univ. Bonon. Mezzof. 892. A. — Offic. propr. divi Petronii imp. Bononiae 1563. B. — 1, 3 In fehlt B. — 4, 1 namque et B. — 5, 1 artubus B. — 6, 1 sqq. Deo patri sit gloria etc.

388. De sancto Petronio.

Ad Nocturnum.

1. Nunc te precamur, inclite,
Vocibus nostris annue,
Tui precatus adjuvet,
Ne nos reatus maculet.

2. Athleta ut fortissimus
Hostem repelle longius,
Cordis strue templiolum,
Hospitem induc Dominum.

3. Accepta vota supplicum,
Pectus medere languidum,
Nos sepias piaculis,
Quos solidasti monitis.

4. Auge clerum in Domino,
Funde preces pro populo,
Ut te sequamur filii
Freti die judicii.

5. Cum intraveris gaudium,
Fidei habitaculum,
Nos tecum esse poscito
Christi redemptos pretio.

6. Cui gratiarum actio,
Honor et jubilatio,
Laus, virtus et imperia
Per saeculorum saecula.

Offic. ms. Bononiensia saec. 15. Cod. Univ. Bonon. Mezzof. 892. — 3, 3 piacula; lies expia oder expies. — 3, 4 monita. — 6, 2 et fehlt.

389. De sancto Petronio.

Ad Nocturnum.

1. Magne confessor sacer et fidelis,
Pastor insignis, pietate mira
Supplicum vota suscipe, precamur,
Sancte Petroni.

2. Lucidum coeli decus o superni,
Terga tu primis positus sub annis
Opibus mundo fugiens dedisti,
Regia proles.

3. Literis claro genitore sacris
Traderis caeco segregatus orbe,
Triplici sacer modulari doctus
Famine linguam.

4. Corde nam volvens juveni responsa,
Quae Dei proles retulit, venumdans
Patre defuncto proprium famenti,
Inclite, fundis.

5. Membra, quos error decipit fatentes,
Caecus, aeternis destinata bustis,
Virginis nato revocas coruscans
Flamine sacro.

6. Coelitus mundo veniens superni
Te poli dignum claviger fidelis
Praesulem nobis tribuit colendum
Indice Christo.

7. Legibus sacris moderare vitam,
Mortis avertas subitos occasus,
Te pium patrem rogitamus omnes
Poplite flexo.

8. Sit Deo patri decus atque virtus
Ac pio nato pariterque sancto
Flamini, cujus jubilat in omni
Gloria mundo.

Officium Proprium divi Petronii imp. Bononiae 1563. — 1, 3 und 5, 2 wohl verdruckt.

390. De sancto Petro.

1. Alma dies rutilat toto celeberrima mundo,
Sanguine quam proprio Petrus decoravit in aevum.

2. Ardua purpureis tinguntur templa triumphis,
Laus manet aequalis numero librata duali.

3. Ecce, ratis pleno confertur concita velo,
Credula falcato jam bellua carpitur hamo.

4. Auxiliare tuis, pater, archiapostole, servis
Nosque Deo caute sinuosis retibus affer.

5. Imperio Christi dum rete ratemque relinquis,
Claviger in coelis, terris piscator haberis.

6. Esse Deum credis, quem miscet turba prophetis,
Unde manes clarus, Petre, princeps ecclesiarum.

7. Fallitur incautus de tanto milite Malchus,
Cum piger immissum ferientis sustulit ictum.

8. Tu quoque respondes, cum vos genus arguit omne:
Impetus iste meri non est, vel sermo Joelis.

9. Poscit opes claudus nec habes, quia defuit aurum,
Nomine sed Christi gressum illi restituisti.

10. Ut Simon abscedit, defunctus vivere coepit,
Fit sua nil virtus, stat Simon Simone victus.

11. Pervolat ille miser, coelos se dicit adire,
Altius unde cadit sibi deficientibus alis.
12. Pestifer exstinctum postquam Nero cernit amicum,
Te cruce dando mori coelestibus adderis oris.
13. Jam cape Romanum consul Caesarque senatum,
Ecce, tibi cunctus servit sub sidere mundus.
14. Omnibus humanus famulis sis, Petre, rogamus,
Atque potens nostri totique salutifer orbi.
15. O Deus aeterni genitor clarissime verbi,
Da meritis Petri nos scandere moenia coeli.

Cod. Casien. 109. saec. 10/11. add. saec. 13. „Alphani Salernitani episcopi.“ Martinengius, 173.

391. De sancto Pontiano.

Ad Nocturnum.

1. Pontiani, rex, humani
Exaudi preces famuli,
Nos qui ducis signo crucis
Ad coenam agni provocati.
2. Eleutheri, regis veri,
Rex Christe clementissime,
Solve vota Deo nota,
Aeterne rex altissime.
3. Cum clamandoque laudando
Dantur eis praecamina,
Te clamamus, imploramus
Aeterna Christi munera.
4. Anastasi, qui de vasi
Nostra condis precamina,
Quem precando, quem laudando
Beata nobis gaudia.
5. Trojanorum lux vivorum,
Tolle tuorum carmina,
Qui te laudant atque clamant,
Aeterna coeli gloria.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 2, 3 Deo devota.

392. De sancto Pontiano.

Ad Laudes.

1. O sanctorum suffragia,
Quae nostris piis vocibus
Deo devote psallimus,
Reddite nobis praemia.
2. Decus sanctorum omnium,
Pontiane cum sociis,
Nos tuos dignos praemiis
Facias esse supplicum.
3. Trojanorum sanctissimi
Gubernatores optimi,
Solvite nostra crimina
Pacem sequendo Domini.
4. O magni regis milites,
Qui nostra mala pellitis,
Estote coram angelis
Nobis sancti antistites.

5. Gloria tibi, Domine,
Summe creator omnium,
Qui solvis vincla criminum,
Unus cum sancto flamine.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — 4, 4 Pro nobis sancti. — 5, 2 Supreme creator; lies Supreme rector?

393. De sancto Prosdocimo.

Ad Vesperas.

1. Lux et decus ecclesiae,
Servator innocentiae,
In sanctitate praeditus
Confessor est Prosdocimus.

2. Qui natus est in Graecia
Pernobili prosapia,
Dei repletus gratia
Mundana vincens gaudia.

3. Hunc fidem docet claviger,
Fit inde fortis armiger
Contra malignos spiritus,
Qui vitae negant aditus.

4. Instructus jamque properat
Urbes et terras superat,
Donec attingit Paduam,
Ad cujus sanat januam

5. Aegros et morbis languidos,
Caecos, surdos et aridos,
Frementes et lunaticos
Et curat paralyticos.

6. Sit laus omnipotentiae
Natoque decus gloriae,
Sit honor sancto flamini
Nostroque salus agmini.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. A. — Prop. ms. S. Justinae saec. 15/16 Cod. Univ. Patav. 702. B. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod Univ. Patav. 441. C. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. D. — Propr. ms. Patavinum saec. 16. Cod. Capit. Patav. B 57. E. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407) F. — Cod. Vallicellan. G 77. saec. 16/17. G. — FG geben den Hymnus als de sancto Richardo; dafs die Fassung auf Prosdocimus die ursprüngliche ist, beweist der Reim 4, 3 und 4. — 1, 3 En, sanctitate FG. — 1, 4 Richardus beatissimus FG. — 2, 1 in Anglia FG. — 2, 2 De nobili FG. — 4, 3 attigit Andriam.

394. De sancto Prosdocimo.

Ad Nocturnum.

1. Errores ad gentilium
Se transfert, ut consilium
Salutis eis tribuat,
Ne gens salvanda pereat.

2. Christum securus praedicat,
Vetustos ritus abdicat,
Ut baptizentur indicat,
Reatus pandant, incitat

3. Clamatur praesul Paduae,
Illius urbis strenuae,
Per cujus sancta merita
Fides est cunctis cognita.

4. Tarvisii, Vincentiae
Constructae sunt ecclesiae,
Ornatae sacerdotibus
Et reliquis ordinibus.

5. Altina, Feltris nobiles,
Este, villaeque faciles
Deum cognoscunt pariter,
Fidem servant humiliter.

6. Sit laus omnipotentiae
Natoque decus gloriae,
Sit honor sancto flamini
Nostroque salus agmini.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. A. — Prop. ms. S. Justinae saec. 15/16. Cod. Univ. Patav. 702. B. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 441. C. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. D. — Propr. ms. Patavinum saec. 16. Cod. Capit. Patavin. B 57. E. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). F. — Cod. Vallicellan. G 77. G. — 3, 1 praesul Andriae FG, gegen den Reim. — Str. 4 und 5 fehlen FG. — In denselben Quellen findet sich auch der Hymnus „Illustrat ejus sanctitas", Anal. IV, 226, in FG wieder de s. Richardo.

395. De sancto Prospero.

Ad Vesp. et Noct.

1. Ista dies eximia
Colatur summa gloria,
Qua junctus est agminibus
Sanctus Prosper coelestibus.

2. Quem Deus sapientia
Replevit sic et gratia,
Ut propria relinqueret,
Haereticos confunderet.

3. Hunc Leo pastor inclitus
Per jussum doctus coelitus
Dans praesulis officium
Ad urbem misit Rhegium.

4. Ibi vixit innoxius,
Benignus, pius, sobrius,
Praecinctos lumbos habuit,
Lux ejus cunctis patuit.

5. Instruxit recte populum.
Dans vitae sacrae pabulum,
Talenta ne absconderet,
Sed duplicata redderet.

6. Summum patrem ingenitum,
Filium unigenitum,
Amborum et paraclitum
Laudemus semper spiritum.

Psalt. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Lat. Liturg. b 1. A. — Brev. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Litung. 167. B. — 2, 1 Hunc Deus B. — 3, 1 Tunc Leo B. — 4, 1 Ubi vixit B. — 4, 4 Cum lux ejus A. — Nach Str. 4 folgt noch Str. 1, nach Str. 5 noch Str. 2 des folgenden Hymnus B.

396. De sancto Prospero.

Ad Laudes.

1. Carnem longis jejuniis
Afflixit et vigiliis,
Cubilis plumas horruit,
In dura terra jacuit.

2. Verbis cujus piissimis
Nec non luculentissimis
Ecclesia catholica
Floret et apostolica.

3. Illius sacris precibus
Salus detur languentibus,
Coelorum qui cacuminum
Precamur rite Dominum.

4. Te, sancte Prosper, poscimus,
Qui tuas laudes promimus,
Expelle carnis stimulos
Et visus noctis frivulos.

5. Ut qui delicto premimur,
Invidia perurimur,
Erepti de supplicio
Tecum simus in gaudio.

6. Summum patrem ingenitum,
Filium unigenitum,
Amborum et paraclitum
Laudemus semper spiritum.

Psalt. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Lat. Liturg. b 1. A. — Brev. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 167. B. — 1, 1 Carnem frangens B. — B hat die Doxologie des folgenden Hymnus.

397. De sancto Prospero.

Ad Nocturnum.

1. Jesu, cunctorum arbiter,
Regnans polo perenniter
Pie fave precantibus
Servis, festa colentibus

2. Prosperi beatissimi,
Viri Deo dignissimi,
Qui petens coeli gaudia
Sprevit paterna praedia.

3. Deseruit Hispaniam,
Pervenit ad Aemiliam,
Ubi cum magno gaudio
Susceptus est a populo.

4. Electus in pontificem
Studet delere rabiem
Haereticorum civium
Multorum excrescentium.

5. Non veritus tyrannica,
Minas, fide catholica
Armatus hic viriliter
Pro pugna et non leviter.

6. Summo coelorum gloria
Sit redemptori Domino,
Qui Prosperum ad prospera
Pertraxit et cum gaudio.

Brev. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 167. — 4, 1 Electus est in. — 5, 1 Conteritus. — 5, 2 Mina fides.

398. De sancto Prospero.

Ad Laudes.

1. Dies refulget nimius,
In quo beato praesuli
Coelorum patet aditus
Relicta pompa saeculi.

2. Ad cujus aegri funera
Sanantur et remedium
Suscipiuntque prospera
Per reverendum Prosperum.

3. O felix viri transitus,
In cujus tunc obsequio
Chorus exultat coelicus
Translato sancto Prospero.

4. Qui normam suis condidit
Dicipulis canonicam,
Servari sanctam docuit
Doctrinam evangelicam.

5. Summo coelorum gloria
Sit redemptori Donunio,
Qui Prosperum ad prospera
Pertraxit et cum gaudio.

Brev. ms. Rhegiense saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell Liturg. 167.

399. De ss. Proto et Hyacintho.

Ad Vesperas.

1. Novis exsultet gaudiis
Felix Cumana civitas,
Quae martyrum suffragiis
Laudes meretur inclitis.

2. Clere Cumensis, jubila,
Qui meruisti sumere
Sanctorum sacra corpora
Claroque visu cernere.

3. Proti et Jacinthi gloriam
Reducens ad memoriam,
Qui ad coelestem curiam
Consociant Eugeniam.

4. Ambo germani milites
Sub Galieni gladio
Effecti Christi martyres
In coeli regnant solio.

5. O quanti per Eugeniam
Quotve per istos martyres
Coeli sortiti gloriam
Se gaudent esse coelibes.

6. Sit trinitati gloria
Per infinita saecula.
Quae nos per horum merita
In luce ponat sedula

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339.

400. De ss. Proto et Hyacintho.

Ad Laudes.

1. Proti et Jacinthi merita
Sancta promat ecclesia
Nec sileat praeconia,
Virtutes et prodigia.

2. Cumensis urbs praecipue
Christo tenetur psallere
Nec laudibus desistere,
Tanto ditata munere.

3. Clerus ergo cum populo
Hymnum depromat Domino
Voce laeta cum jubilo
Pulso moeroris nubilo.

4. Dum martyrum translatio
Nobis est exsultatio.
Quos sancta fecit passio
Coeli frui palatio.

5. In his ergo solemniis
Votis precemur sedulis,
Ut ipsorum suffragiis
Coeli fruamur gaudiis.

6. Sit trinitati gloria
Per infinita saecula,
Quae nos per horum merita
In luce ponat sedula.

Brev. ms. Nevocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — 1, 2 promet. — 6, 1 Sit tibi, weiter nichts; ergänzt aus der vorigen Nummer.

401. De sancta Radegunde.

1. O rex benigne, Domine,
Virtutum palma fulgida,
Audi quas fundunt populi
Preces precantes cernui.

2. Almae reginae rutilat
Festa dies ac celebris
Radegundis, precibus
Cujus muniri petimus.

3. Hujus oratu supplices
Precamur atque humiles,
Pacem concede cordium,
Vitare labem criminum.

4. Mentes accendat caritas,
Igne flammescat animus,
Divino semper munere
Sic vigeamus perpetim.

5. Praestet hoc ipsa trinitas
Patris natique, pariter
Sanctus amborum spiritus,
Cuncta gubernans saecula.

Hymn. ms. Benedictin. saec. 13. Cod. Capit. Mediolanen. s. n. — 4, 1 Gentes accendat. — Vgl. Anal. IV, 169.

402. De sancta Radegunde.

1. Regina nunc dignissima,
Radegundis sanctissima,
Quae gesserit insignia,
Laude canamus debita.

2. Quae regio de germine
Captivatur puellula,
Christi amore dedita
Regi non sponte jungitur.

3. Caste, pudice, sobrie
Degens cum eo sedule
Virtutum crescit cumulis,
Decoratur et moribus.

4. Elemosynis plurimis
Insistens et jejuniis,
Vacans orationibus
Et piis actionibus.

5. Deinceps mente et corpore
Divisa est a conjuge,
Mundi vitam deseruit
Et monasticam petiit.

6. Ubi quam sancte vixerit,
Qua gratia emicuit,
Quis virtutibus fulserit,
Narrare nemo sufficit.

7. Matrona dum Aleubila
Vexatur adversario
Cute crepante scapula,
Reddidit sanam publice.

8. Monacham valde languidam,
Tempore longo gelidam,
Tepido lavans balneo
Sanavit artus saucios.

9. Die, quo sancta transiit,
In coelum gaudens abiit,
Et coram vox angelica
Audita est in aera.

10. Hanc igitur quotidie
Mente petamus supplices,
Ut suis interventibus,
Nos servet a nocentibus.

11. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. S. Ambrosii Mediolanen. saec. 14/15. Cod. Ambrosian. H 159 inf. — 3, 4 Decolatur emoribus. — 5, 4 Et monaheiçam. — 6, 3 Quod. — 7, 1 Acta SS. Aug. III, 73 C. heifst diese Matrone Leubila; lies vielleicht Matrona quaedam Leubila? — 7, 3 trepante. — 9, 3 Et colem vox.

403. De sancto Renato.

1. Benigne Deus, precibus
Fave, regnator optime,
Renati summi praesulis,
Nos fore dignos quaesumus.

2. Qui relicta Pannonia
Venit partes Ausoniae,
Quo gregem Christi arduum
Callem prosequi instruat.

3. Devastatis viciniis
Ubi hostilis gladius
Surrentum sese contulit,
Ut popularet funditus,

4. Vir Domini Agapitus
Praeerat tunc magnanimus,
Divina fretus gratia
Jubet precari instantius.

5. Sancti Renati praeferens
Inter hostilem effigiem,
Quem visi sunt occidere,
Statim senex evanuit.

6. Felix ligatus villicus,
Ut plecteretur capite,
In rivum praeceps mergitur,
Sospes ad urbem rediit.

7. Manifestus obtutibus
Consopitis apparuit,
Ut sequerentur aemulos,
Sinere salvos monuit.

8. Experrecti contribules
Hostes sequuntur protinus,
Armis abrasis penitus
Revertuntur ad propria.

9. Felix Renate, meritis
Solve nexus peccaminis
Devote celebrantibus
Tui natale diei.

10. Semper sit laus et gloria
Gignenti atque genito
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Hymn. ms. Renati Surrentini saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Barberin. XI. 171.

404. De sancta Reparata.

Ad Vesp. et Noct.

1. Clarum puellae meritum
Chorus promat fidelium
Cum septa carnis exuit
Et victrix astra petiit.

2. Calcat insignis femina
Nova poenarum genera,
Liquescens plumbum tepuit,
Camini vis deferbuit.

3. Sed Reparata mediis
Dum psallit in incendiis,
Machaera mox adhibita
Secantur ejus viscera.

4. Hinc decalvata ducitur
Christi sponsa per publicum,
Non turpe, non ignobile,
Sed est corona gloriae.

5. Gloria sit ingenito
Patri et unigenito,
Sancto simul spiritui
Deo indivisibili.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 1117. add. saec. 15. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457 C. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. D. — 1, 2 Chori promant CD. — 1, 3 septum CD. — 2, 1 Falcat C. — 2, 4 Caminis C. — 3, 3 Macera mox adhabita. C. — 5, 4 Deo et invisibili C.

405. De sancta Reparata.

Ad Laudes.

1. O vere virgo nobilis,
Magnis digna praeconiis,
Quam dura frustra feriunt,
Mulcere blanda nequeunt.

2. Virile pectus virginis
Nullis cedit suppliciis,
Per ignem, ferrum, vulnera
Coeli conscendit culmina.

3. Neci felix addicitur,
Sacrum caput abscinditur,
Ore columba devolat
Palamque coelum penetrat.

4. Te, sacra virgo, petimus
Mentis pronae visceribus,
Ut nos venturo judici
Commendes prece supplici.

5. Gloria sit ingenito.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 117. add. saec. 15. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. C. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456. D. — 3, 1 felix allicitur AB, adducitur C. — 4, 4 preces A.

406. In sanctae Restitutae.

1. Plebs devota mente tota,
Sordes absterge criminum,
Ut hac die dicas pie:
Jesu, corona virginum.

2. Restituta virgo tuta
Virtutis tuae munere
Mortem spernit, vitam cernit
Jam lucis orto sidere.

3. Mollis sexus non est flexus
Tormenta passus varia,
Sed invictus est amictus
Aeterna coeli gloria.

4. Voce virum vincit dirum
Puella dulci famine:
Hoc est carum, quia rarum
A solis ortus cardine.

5. Non movetur nec terretur
Tyranni visa furia.
Pro terrenis spretis poenis
Beata nobis gaudia.

6. Ignis, unda, cum sit munda
Peccati labem nesciens,
Cedunt rite, parcit vitae
Verbum supernum prodiens.

7. O res mira, languet ira,
Ejus ministri pereunt,
Sancta claret, nox disparet,
Vexilla regis prodeunt.

8. Tot haec signis est insignis
Et stupendis operibus,
Ergo coetus psallat laetus,
Exsultet coelum laudibus.

9. Tuae laudis, sicut audis,
Servos canentes carmina
Duc ad coenam agni plenam,
O gloriosa domina.

Hymn. ms. Neapolitanus saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Neapolitan VI G 29. — 3, 3 et amictus. — 4, 3 est fehlt. — 6, 2 labe.

407. De sancto Romualdo.

Ad Vesperas.

1. Te, Romualde, canimus
Festumque diem colimus
Et vota pia solvimus
Melosque laeti pangimus.
2. Et spernens pompas saeculi.
Vitam sumens monasticam,
Aedificasti eremum
Egregiam Camalduli.
3. Mores habens angelicos
Semper eras cum fratribus
Pius, benignus, humilis,
Sacro repletus spiritu.
4. Tu mandatis dominicis
Cunctis stabas sollicitus,
Nunquam cessans exsolvere
Laudes Deo altissimas.
5. Tu vires hostis impii
Fretus virtute Domini,
Tyrannum carnis superans,
Polum petis tripudians.
6. Nunc laureatus agmine
Coeli fulges in culmine,
Conjunctus choro principum
Vivis vita viventium.
7. Ergo, confessor inclite,
Lumen vitae monasticae,
Sedens in choro superum,
Ora pro nobis Dominum.
8. Gloria tibi Domino,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In saeculorum saecula.

Hymn. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 14. Cod. Vatican. 7599. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Monachorum Angelorum Florent. saec. 15. Cod. Vatican. Urbin. 599. B. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 542. C. — Brev. ms. S. Michaelis de Burgo (Pisis) anni 1457. Cod. Ravennat. 139. 1. Z. D. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Taurinen. J I 41. E. — Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484. F.

408. De sancto Romualdo.

Ad Nocturnum.

1. Sacratum diem annuum,
Magno colamus gaudio,
Cum Romualdus splendidus
Felix migravit saeculo.
2. Nam oriundus exstitit
Urbis Ravennae nobilis,
Ex claro ducum genere
Carnis duxit originem.
3. Hic largas opum copias
Omnemque mundi gloriam
Sprevit, ut inops inopem
Christum sequatur principem.
4. Vir iste clementissimus
Sic erat Deo placitus,
Ut virtute mirificus
Semper esset mortalibus.
5. Multi curantur languidi,
Et effugantur daemones
Ad laudem Christi nominis
Et confessoris gloriam.
6. Per annum quoque integrum
Nihil gustavit aliud,
Quam ciceris quotidie
Pugillum plenum vespere.
7. Dehinc per annos quindecim
Vivendi mutat ordinem,
Sabbato cum dominica
Refectionem geminat.
8. In cella cum consisteret,
Ceu corvos ac vultures
Iniquos cernit spiritus
Sibi saepe adsistere.

9. Cum quadam die psalleret,
Maligni eum spiritus
Cum repentino impetu
Immaniter afficiunt.

10. Post nimis dura verbera
Dum haec fudit alloquia:
Care Jesu, dilecte mi,
Quo usque me reliqueris?

11. Omnes iniqui spiritus
Divino jussu fugiunt,
Mox Romualdus alacer
Ad coeptum opus remeat.

12. Nos, miles invictissime,
Da in agone vincere,
Calcatis cunctis hostibus
Jungamur ut coelestibus.

13. Te, pater alme, petimus
Totis cordis visceribus,
Ut coelum dones scandere,
Quos terram doces spernere.

14. Laetetur uniformiter
Ordo Camaldulensium,
Dum tanto patri pariter
Festivum dat solatium.

15. Totis, Christe, visceribus
Tibique patri canimus
Una cum sancto spiritu
Laudes per omne saeculum.

Hymn. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 14. Cod. Vatican. 7599. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Monachorum Angelorum Florent. saec. 15. Cod. Vatican. Urbin. 599. B. — Brev. ms. S. Michaelis de Burgo anni 1457. Cod. Ravennat. 139. 1. Z. C. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Taurinen. J I 41. D. — Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484. E. — 1, 3 splendidus fehlt. B. — 7, 4 germinat E. — 14, 4 Festinum E.

409. De sancto Romualdo.

Ad Laudes.

1. Ordinis auctor, Romualde, morum
Lux Ravenatum radians, locorum
Conditor felix eremi, virorum
Laudibus esto,

2. Ut tuas Christo recitare laudes
Vox queat nostra, quibus, alme, gaudes
Atque nobiscum pietate plaudes
Carmine festo.

3. Quas pias proles generare caelis
Maldulus Alpis meruit fidelis,
Daemonum salva, pater, ipse telis
Nocte dieque.

4. Ut dies festi monachis colantur
Laudibus dignis, Domino ferantur
Gloriae grates, superi petantur
Voce fideque.

5. Qui ferant nobis meritum juvamen,
Fide quod nullum sit agens gravamen,
Adsit et nobis speciale flamen
Auxiliator.

6. Totaque nobis trinitas faveto,
Unitas nostros stimulos caveto,
Eximas coetus animaeque leto,
Rex dominator.

Hymn. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 14. Cod. Vatican. 7599. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Monachorum Angelorum Florent. saec. 15. Cod. Vatican. Urbin. 599. B. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 542. C. — Brev. ms. S. Michaelis de Burgo anni 1457. Cod. Ravenn. 139. 1. Z. D. — Psalt. ms. Camaldulense saec. 15. Cod. Taurinen. J I 41. E. — Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484. F. — 1, 2 Dux Ravennatum F.

410. De ss. Rufino et Cesidio.

1. Laudibus vestris modulando noster
Incubat coetus, date, digna laude
Proferat digne, sit ut ipse vestro
Munere dignus.

2. Mutuum nobis decus estis ambo,
Quos genus comat, honor almus ornat,
Inclitum summi meritum trophaei
Tollit ad astra.

3. Primus ad bellum, decet ut parentem,
Surgis antistes, celebris Rufine,
Lauream praebent tibi vincla, carcer,
Ignis et ensis.

4. Quantus es, pandit tibi mons dehiscens,
Pandit et funus potius beatum,
Per quod ad vitam properas decenter,
Magne Cesidi.

5. Hactenus mentem, sacer, immolabas
Immolaturus veniens ad aram,
Victimam corpus modo das et ipsum
Ensis ad ictum.

6. Caesor insontum, maledicte Caesar,
Quem tuus quaestum furor est adeptus?
Fers quibus terram, modo laureati
Aethre fruuntur.

7. Inde vos, testes et agonithetae
Nobiles Christi, petimus, clientum
Vota vestrorum simul et precamen
Respiciatis.

8. Moribus, vita, meritis sequantur,
Quos verecundis venerantur odis,
Vester ut possint ubi coelibatus
Fulget abire.

9. Martyrum fulgens diadema, Christe,
Laus tibi perpes decus et perenne,
Cui pater sacrum pariterque flamen
Mutua laus est.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — 3, 1 parentum. — 3, 2 Surgit. — Dieser wie der folgende Hymnus fehlen sowohl in Cod. Casinen. 280 als bei Ughelli. Dennoch ist bezüglich dieses kaum an der Autorschaft des Alphanus von Salerno zu zweifeln. Denn 1. enthält Cod. Vatican. Urbin. 585 viele seiner Hymnen; 2. verrät dieser seinen Stil; 3. ist er für das Bistum Marsi gemacht, für dessen Bischof Pandulphus Alphanus auch die Hymnen und das Officium der hl. Sabina verfafst hat.

411. In ss. Rufini et Cesidii.

1. Aeterne rex altissime,
Donum dona laetitiae
Plebibus inhiantibus
Sanctorum laude martyrum.

2. Est quia festum celebre,
Cunctae pellantur tenebrae,
Nostrique cordis nubila
Sancta illustrent lumina.

3. Micat haec dies maxima,
Tellus exsultet Marsia,
Qua bellatores ardua
Poli petunt palatia.

4. Praesul erat eximius,
Proles sibi Cesidius,
Rufinus, Marsum populum
Docent colere Dominum.

5. Tantamque gratiam sibi
Praebuerat Christus ibi,
Ut relictis erroribus
Gentes laudarent Dominum.

6. Tunc tyrannorum furia
Sanctis saevivit plurima,
Pro aeternali gaudio
Membra dedere gladio.

7. Vos, veri martyres Dei,
Ferte juvamina reis,
Orate regem Dominum,
Qui scit figmentum hominum:

8. Marsorum cunctum populum
Ferte nos ante Dominum,
Rufine maxime sacer,
Cesidi nimis beate.

9. Defendite episcopos,
Plebis nostrae presbyteros,
Vestri ut meriti dono
Fruamur liberi polo.

10. Praesta, creator omnium,
Cum prole qui es Dominus,
Una cum sancto flamine
Qui exstas absque tempore.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — Dieser Hymnus kann nicht als von Alphanus verfafst angesehen werden, da er zu viele metrische Mängel aufweifst.

412. De sancta Sabina.

Ad Vesperas.

1. Praebe, Christe, canentibus
Munus laetitiae, martyris ut tuae
Sabinae sacra praemia
Promantur pariter vocibus et lyra.

2. Claris orta parentibus,
Pollens eximii conjugio viri,
Praestanti facie nimis,
Morum plena satis, dives opum fuit,

3. Hanc virgo monitis suis
Seraphia probe fecerat idola
Toto corde relinquere
Factorique suo credere concite.

4. Sprevit jura parentium,
Durum non timuit supplicii genus,
Sed praebens gladio caput
Centenae merito frugis adit gradum.

5. Sic in morte semel suos
Abscondens oculos semper ovans videt
Solis perpetui jubar,
Nunquam deficiens hujus erit dies.

6. Felix orbe potentior,
Quae coelum recipit sanguine pro suo,
Cui merces paradisus est,
Vitae deliciis omnibus affluens.

7. Illic purpureus rosae
Flos et nardus inest, vernat amaracus,
Floret cum violis crocus,
Spirant thura thymus, lilia balsamum.

8. Hymnos angelici chori,
Condignum resonant carmen apostoli.
Psallunt quam pie martyres,
Et plectro feriunt tympana virgines.

9. Salus sancta perenniter,
Horum quae medio psallis in agmine.
De quo jam specialiter
Marsorum, petimus, munera respice.

10. Laus aeterna, salus, honor,
Virtus, imperium, lux sine termino,
Rex regum, tibi, Christe, sit
Et cum patre Deo spiritui sacro.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. A. — Cod. Casinen. 280. saec. 11. B. — 10, 3 sit Christi A. — Verfasser des Hymnus ist Alphanus von Salerno. Die Bezeichnung ad Vesperas giebt B.

413. De sancta Sabina.

Ad Nocturnum.

1. Beata martyr Christi,
Hostis Sabina victrix,
In tuo festo odas
Haec plebs te plaudit coram.

2. Quae opes temnens orbis
Toto fervore cordis
Propter amorem Christi,
Quem semper dilexisti.

3. Lampas onusta Dei
Nobis adesto reis,
Assidua cum prece
Summum exora regem.

4. Quo valeamus puri
Bonis supernis frui
Et tecum in superno
Jungamur cuncti regno.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. — Am Schlusse noch der Anfang einer Doxologie Praesta pater. Nicht von Alfano.

414. De sancta Sabina.

Ad Laudes.

1. Ad patris decus optimi
Cordis vocibus intimi
Sabinae celebres choris
Laudes pangite martyris.

2. Coeli scandit ad arduum
Sanctorum vice martyrum
Et regis sibi filium
Junxit foedere virginum.

3. In cujus diademate
Gemmae more jacinthinae
Summis pro meritis nitet,
Quae Christi meruit fide.

4. Coelestis sibi dignitas,
Rivo sanguinis indita,
Novit solvere praemia
Metae temporis inscia.

5. Ejus gloria circulos
Semper praeterit annuos,
Quae tanto fit amatior,
Est quanto pretiosior.

6. Mundi deliciae taetrum
Mortis possideant locum,
Cujus supplicii genus
Vitae scit dare praemium.

7. Ora pro famulis tuis,
Martyr, germine nobilis,
Multo nobilior magis
Sacri foenore sanguinis.

8. Moles disjice criminum,
Finem posce periculis
Et mortis febre languidis
Da munus valitudinis.

9. Nostris insere mentibus,
Christo reddere debitum,
Ne nos fortia judicum
Perdant jura potentium.

10. Praesta, conditor optime,
Qui cum patre Deus manes,
Cum sancto quoque flamine
Qui regnas sine tempore.

Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. add. saec. 13. A. — Cod. Casinen. 280. saec. 11. B. — Verfasser des Hymnus ist Alphanus von Salerno. — Die Angabe ad Laudes aus B.

415. De sancto Salvio.

1. Cantibus dignis modulisque miris
Pangimus regi Dominoque caeli
Gesta promentes tua, sancte Salvi.
Voce fideli.

2. Nam dies instat tibi consecrata,
Qua poli regnum penetrans subisti,
Hanc pio cultu celebrantes omnes
Laetificasti.

3. Tu quidem mundum fugiens caducum
Ac Deo summo cupiens placere,
Mente subdisti bene te fideli
Legibus ejus.

4. In quibus digne placideque vivens,
Nomen abbatis refutans habere,
Cellula clausus latitabas arta
Corpore parcus.

5. Postquam correptus febribus ibidem,
Morte praeventus quoque pretiosa,
Spiritum reddens Domino polorum,
Alta petisti.

6. Plura sanctorum veneranda castra
Te salutabant humili favore
Teque gaudebant habitare secum
Luce beata.

7. Inde praecepto Domini reversus
Pontifex plebi sacer ordinaris
Urbe, qua celsa resides in aevo
Sede patronus.

8. Ergo nos omnes pariter rogamus,
Expies culpas precibus benignus,
Carmen hoc dignum faciasque regem
Ante supernum.

9. His fave votis, petimus, redemptor,
Qui patris consors deitatis atque
Spiritus sancti regis omne saeclum
Trinus et unus.

Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. — 6, 2 salutabat. — 7, 3 residens. — 9, 1 Piis fave. — 9, 4 Magnus et unus.

416. De sancto Satyro.

1. Nunc gestis ex veteribus
Novum resultet canticum
Et confessoris incliti
Summum ferat praeconium.

2. Laudandus iste Satyrus
Coelesti jure praeditus,
Pompa clarus Romulea,
Christi sed fide clarior.

3. Ingressus auditorium
Jussu praefertur principum,
Sed huc divertit animum
Fratrem sequens Ambrosium.

4. Ille jam mundi fascibus
Liber sublimem cathedram
Divino tractus numine
Pastor insignis sederat.

5. Cui beatus Satyrus
Promptis parens obsequiis,
Vultu gestuque corporis
Effectus est assimilis.

6. Necdum renatus aequoris
Duras procellas pertulit,
Quas sacramentum Domini
Collo suspendens transiit.

7. Requirens mox ecclesiam
Deo rependit gratiam
Sanctoque lotus lavacro,
Quid possit fides, didicit.

8. Sic admirandus juvenis,
Germani doctus monitis,
Cultu virtutum claruit
In multis exercitiis.

Psalt. ms. S. Ambrosii Mediolanen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Ambrosian. H 159 inf. — 2, 2 Coelestis. — 5, 2 parans. — 5, 4 Effectu.

417. De sancta Scholastica.

Ad Vesperas.

1. Christe, tuorum robur athletarum,
Sertum sanctarum decus animarum,
Corda tu sursum modo nostra tolle,
Jesu benigne.

2. Muta sermone guttura redita
Sanctum de alto mentibus afflando,
Quatenus fibra queant resonare
Gesta tuorum.

3. Mundi vergente vespera beata
Oritur virgo, alme consecrata
Jugo suavi, teneris sub annis
Collum reclinat.

4. Anni decurso circulo superno
Semel invisens Benedictum fratrem,
Pabula vitae avide delambit
Ducta amore.

5. Qui cum ad mensam sacra loquerentur,
Denique fratri dedicata ait:
Tuos paulisper hicce gressus fige,
Precor obnixe.

6. Crepusculare ceperant jam astra,
Quando haec fratri suggerit affatu,
Sine, te rogo, tale affectare,
Dux zelo promit.

7. Situm jam extra monacho non licet
Cellulae suae stabilire callem
Et concursare, fas non datur jure
Prorsus omnino.

8. Post haec insertis mensae caput orans,
Clangorant astra, ingens latex ruit,
Sicque coacte Benedictus inquit:
Pater tibi parcat.

9. Parce nunc nostris, Deus alme, culpis
Tenua morbum, releva jacentes,
Mundi qui totam machinam gubernas
Trinus et unus.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2862. A. — Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. B. — Brev. Coelestinorum imp. Venetiis 1588. C. — 2, 1 reddita A, redicta B, restaura C. — 2, 2 Sancto C. — 3, 4 reclivit BC. — 4, 1 circulo solebat C. — 4, 2 Semel visere BC. — 4, 3 avide degustans C. — 5, 3 huic gressus A, hinc gressus B, hic gressus C. — 6, 4 premit ABC. — 7, 2 calem ABC. — 7, 4 Soror omnino C. — 8, 1 Haec dum inserta mensae caput orat C. — 8, 4 Eine Silbe zu viel ABC. — 9, 2 Tervia morbum A. — 9, 3 Mundique B.

418. De sancta Scholastica.

Ad Nocturnum.

1. Suam in summis tertium post diem
Aciem vibrans Benedictus sanctus,
Instar columbae scandere Olympum
Unicam cernit.

2. Magnusque rogus viscera fraterna
Gaudiis sacris plenius redundant,
Fratribus adstans intima revelat
Gaudia cordis.

3. Gaudia vitae patriamque summam
Unice corda instruit amare,
Sicque vigere speculum sororis
Ponit exemplar.

4. Per paedagogos gaudiis peractis
Jubet afferi corpus liliatum
Suaeque tumbae summo cum honore
Ponere jubet.

5. Almi germani simul reconduntur,
Qui, cum vigerent, cor gestarunt unum,
Decuit pulchre corpora fraterna
Non sequestrare.

6. Schola et stica copula remota
Nomen clarescit tuum, virgo sacra,
Corde a nostro vitia repelle
Foedere dato.

7. Hortus conclusus regio sigillo,
Myrrhae et myrthi species gignuntur,
Fructu centeno plena fecundaris,
Virgo Nursina.

8. Gloria Deo sit aeterno patri,
Sit tibi, nate, Deus alme Christe,
Cum quibus spirat sanctus quoque flatus
Saecula perpes.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2862. A. — Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. B. — Brev. Coelestinorum imp. Venetiis 1588. C. — 2, 1 Magnusque pater C. — 2, 2 redumbant A, redundat C. — 3, 2 Unica ABC. — 5, 1 Tumulo uno simul BC. — 5, 2 gestarent C. — 6, 3 Corda C. — 8, 2 Christi C.

419. De sancta Scholastica.

Ad Laudes.

1. Salve, panis angelicus,
Sertum sacrarum virginum,
Quem latria monastica
Canit per mundi climata.

2. Corda nostra exonera,
Sanctus sanctorum tu qui es,
Pangere digne facias
Scholasticae insignia.

3. O Nursia hinc, jubila,
Quae ad Dei servitium
Virgam gignisti floridam,
Sancto sacratam flamine.

4. Laudibus paranymphicis
Persistere cum cuperet,
Fraterna quaerit pabula
Anni rotato circulo.

5. Ad mensam sermo trahitur,
Olympus jam crepusculat,
Sic, inquit virgo avide:
Hic, eja, frater sistere.

6. Sic jam affare desine,
Soror mea Scholastica,
Nam non est moris monacho
Extra vagari cellulam.

7. Tota perfusa lacrimis,
Astra evomunt pluvias,
Sic dux occidentalium
Nequit exire limitem.

8. Jam triduum defluxerat,
Quo frater exivit cellulam,
Tunc in columbae specie
Cernit sororis animam.

9. Clarum diem prae ceteris
Hunc venerari libeat,
Quo Deo dicata corpore
Coelum migravit praepotens.

10. Auge, beata trinitas,
Fidem tuorum cordibus,
Cape catenis aureis
Nos septiformis gratiae.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2862. A. — Brev. Coelestinorum imp. Neap. 1488. B. — Brev. Coelestinorum imp. Venetiis 1588. C. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. D. — 1, 2 sanctarum C. — 1, 3 latuat A. — 1, 4 canit fehlt AB; Perampla mundi AB. — 2, 1 exhumera AB. — 3, 1 mursiensis A; Nursiensis B; hinc fehlt AB. — 3, 4 sacrata ABC. — 5, 2 Olympum ABC. — 5, 4 Velis hic frater sistere C. — 7, 2 pluviam B, pluvia C. — 8, 2 Eine Silbe zu viel B, clivit cellulam A. — 9, 3 Ebenfalls eine Silbe mehr AB.

420. De sancta Scholastica.

1. Ut tuas laeti valeamus omnes,
Poscimus, semper reboare laudes,
Organum nostrae reserare vocis,
Virgo sacrata.

2. Virgo germanum properans adire,
Protinus sanctus Benedictus, ecce,
Obviam illi fuerat suetus
Promere dogma.

3. Sic soror sanctum nimium rogabat:
Frater, hic mecum volo te manere,
Usque dum phoebus radios reducat,
O Benedicte.

4. Abnegat frater voti compar esse
Congruis sacrae precibus sororis,
Mox Deum poscens meruit tenere,
Quod cupit ipsa.

5. Virgini Christus tribuit triumphum.
Coelitus fundens latices per arva,
Reddit invitus, noluit quae sponte,
Carmina sacra.

Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13|14. Cod. Barberin. XI 171. — 4, 1 votim compar. — 4, 3 Mons Deum. — 5, 1 Virginum Christum. — 5, 2 per arba. — Am Schlusse noch der Anfang einer Doxologie: Gloria Deo sit aeterno patri.

421. De sancta Scholastica.

Ad Vesperas.

1. Christe, redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum,
Quos redemisti sanguine,
Nullo deseras tempore.

2. Laudes, tibi quas canimus,
Suscipe grates, rex pius,
Nos Scholasticae jugibus
Tu fove sanctis precibus.

3. Quae dante tua gratia
Te colens super omnia,
Dudum tu ejus lacrimis
Imbrem dedisti ex superis.

4. Scholastica, virgo Dei,
Decus sanctarum virginum,
Sprevit cuncta saeculi
Sequendo Christum Dominum.

5. Conemur totis viribus,
Jungamus preces precibus,
Ut Scholasticae meritis
Coeli fruamur gaudiis.

6. Laus, honor, virtus, gloria,
Regnum, perpes victoria
Sit patri cum filio
Flamini se continuo.

Brev. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 4, 3 fehlt eine Silbe; lies contempsit cuncta? oder sprevit caduca? — 6, 3 fehlt ebenfalls eine Silbe.

422. De sancta Scholastica.

Ad Nocturnum.

1. Coeli cives, applaudite
Et vos, fratres, concinite
Matris nostrae solemnia
Solis reduxit orbita.

2. Hinc ergo psalmi resonent,
Hinc lectiones concrepent,
Et hymnorum dulcissima
Multiplicentur cantica.

3. Quod lingua foris personat,
Intus affectus sentiat
Nec imitari pigeat,
Quod laudare mens approbat.

4. Hanc post mundi curricula
Vidit sanctus Benedictus
In columbae specifica
Coelum ire divinitus.

5. Scholastica, virgo optima,
Salus nostra tu omnium,
Fusis precamur vocibus,
Adjuva sanctis precibus.

6. Dum hoc manemus saeculo,
Vitae trahentes tenebras,
Per te, rogamus, jugiter
Lapsus vitari pessimos.

7. Sit tibi, Jesu Domine,
Virtus, honor, imperium,
Qui regnas ante saecula
Cum patre, sancto spiritu.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. 15/16. Cod. Ambrosian. T 43 sup.

423. De sancta Scholastica.

Ad Laudes.

1. Laetetur grex humillimus
Virginum atque populus,
Hujus festum laudibus
Claris ornet operibus.

2. Haec spreta mundi gaudia
Coeli cubat in solio,
Ejus virtutum merita
Nostra pangant coenobia.

3. Pie colamus annua
Hujus diei gaudia,
Quam virginis Scholasticae
Transitus ornat hodie.

4. Haec in columbae specie
Coeli scandit palatium
In signum innocentiae,
Qua sequebatur Dominum.

5. Te mente nunc humillima,
Virgo sancta Scholastica,
Precamur, audi supplicum
Voces in te laudantium.

6. Virgo Christi sanctissima,
Hostem depelle longius,
Cordes struc mauseolum,
Hospitem induc Dominum.

7. Adauge coetus virginum,
Funde preces pro omnibus,
Per te sequantur filium,
Patrem et sanctum spiritum.

8. Sit laus patri ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Honor et virtus flamini.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 1, 2 fehlen zwei Silben; atque ergänzt. — 3, 4 pangat. — 5, 4 lies rite laudantium? — 6, 3 mansoleum. — 7, 1 Auge getus. —

424. De sancto Sebastiano.

Ad Vesperas.

1. En, dies venit celebranda cunctis,
Gentibus festa et ducibus verenda,
Qua Dei virum sanctum Sebastianum
Canimus odis.

2. Hic satis prudens scelerisque purus
Venit ad regem comitante turba
Atque non parum Dominum rogarat
Ante tribunal.

3. Vinctus extemplo medio in virenti
Figitur campo, jaculis acutis
Septus horrendum fuerat sagittis
Qualis erinax.

4. Tendit ad coelum, patriam supernam,
Spiritus sacra comitante turba,
Corpus immunda positum cloaca est
Inde repertum.

5. Gloriam summo Domino canamus
Supplices Christo manibus supinis,
Spiritui sancto veniam precantes
Omne per aevum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

425. De sancto Sebastiano.

Ad Laudes.

1. Caeditur tandem miseris flagellis
Usque nudatus humeros, ab omni
Affatim sancto manat hinc et inde
Corpore sanguis.
2. Neque desistunt, renovatur plaga,
Tuncque Vulcano positus furente
Est martyr, statim veniens pruina
Perdidit ignes.
3. Hunc rogent omnes populi patresque,
Milites Christi, properentque sacrae
Virgines simul puerique dulci
Carmine cantent.
4. Pellitur pestis, et amarus omnis
Pellitur morbus, trepidis puellis
Atque nil obstat pueris devotis
Letifer annus.
5. Gloriam summo Domino canamus,
Supplices Christo manibus supinis,
Spiritui sancto veniam precantes
Omne peraevum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

426. De sancto Secundino.

1. Christi, rex regum, pretium tuorum,
Nostra, qui digne tibi militantis
Res Secundini canimus secundas,
Vota secunda.
2. Hujus insignem celebremque vitam,
Nobiles mores, veteres triumphos
Mira virtutum noviter suarum
Prodita pandunt.
3. Falsa promentem jaculo doloris
Percutit, vero videt hic reatum,
Poenitet dicti, sua poenitentem
Poena relinquit.
4. Cujus oblectant animam tepores
Veris aeterni fovet et quietis
Aura coelestis, nequit hujus artus
Flamma nocere.

5. Omnibus membris prope destituto,
Qui suum tantum poterat tueri
Jus preces fundens, celerem refundit
Lingua salutem.

6. Praesuli tanto vacuare facta
Vota temptante valitudo nectit.
Sospitas gressus eadem parantis
Solvere solvit.

7. Fimbriis pallae decorantis aram
Cereus mistus penitus crematur,
Fimbriae vero nihil ustionis
Perpetiuntur.

8. Splendor aeternus, decus et triumphus
Cum coaeterno tibi sit parente
Atque cum sacro pariter superna
Flamine, proles.

Cod. Casinen. 280. saec. 11. „Versus Guaiferi. Hymnus ejusdem.“ — 1, 2 quae. — 5. 2 Quae suum. — Daraus abgedruckt bei Ughelli Italia sacra VII (ed. 1659) p. 1374. sq. — Vorher geht ein langes Gedicht auch auf Secundin, dann folgen 2 Responsorien, die vermuten lassen, dafs Guaiferus ein ganzes Reimofficium auf diesen Heiligen geschrieben. Sie lauten:

R. Ecce, Secundinus coelesti sede potitus
Transit ab hac vita vere bonus Israelita,
V. Nunc chorus exsultet psalmisque sequatur euntem.

R. Euge, Dei regis cultor bone, serve fidelis,
Multa supra felix, quia supra parva fidelis,
V. Dupla repraesenta tibi tradita quinque talenta.

427. De sancto Servulo.

Ad Vesperas.

1. Primo dierum omnium.
Quo servus Christi floruit.
Servivit hic et profuit,
Est hoc Deo gratissimum.

2. Pulcher prae cunctis Servulus,
Mente plus placens Domino,
Sortitur partem optimam
Inter patronos maximos.

3. Vocatus hic a Domino
Respondet: adsum servulus,
Ad parentes revertitur
Solo jussu dominico.

4. Annos habens duodecim
Divina voce petitur,
Almam sortitur gratiam
Sancto calescens flamine.

5. Anno uno et mensibus
Novem orationibus
Intendit totis viribus
Nihil edens in spelaeo.

6. Clamat de coelo Dominus
Ei: Dulcis o Servule,
Audita est oratio,
Pete, quod vis, et dabitur.

7. Ex improviso coluber
In campum exit maximus,
Erecta cruce perimit
Athleta Christi daemonem.

8. Proinde te, piissimi,
Precamur omnes supplices,
Ut Tergestinis Servuli
Preces semper proficiant.

Brev. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Mutinen. XII F 1. A. — Orat. ms. S. Servuli saec. 15. Cod. Marcian. L III 32. B. — 2, 2 placens Deo. A. — 4, 3 Alma A.

428. De sancto Servulo.

Ad Laudes.

1. Elisus a daemonio
Instanter petit Servulum,
Adjurat et restituit
Baptizatum affinibus.

2. Hic in dolore gratias
Semper canebat Domino,
Ferventius compatiens
Vexatis saevo spiritu.

3. Fulgentia pro unico
Prona precatur martyrem,
Qui socrum Petri nominat
Febricitantem liberans.

4. De Didimo quid referam?
Praecipitatur ab alto,
Intimus Christi Servulus
Restaurat hunc semivivum.

5. Caecis multis restituit
Usum mentis et corporis,
Nam Deus hunc dilexerat
Prae cunctis illius temporis.

6. Suspenditur equuleo,
Laniatur cum ungulis,
Perfunditur diutius,
Alacer ut currat viam.

7. Junillus saevit in sanctum
Clementem, fortem et pium,
Occulte jubet in guttur
Infigi saevum gladium.

8. Proinde te, piissime
Precamur omnes supplices,
Ut Tergestinis Servuli
Preces semper proficiant.

Brev. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Mutinen. XII F 1. A. — Orat. ms. S. Servuli saec. 15. Cod. Marcian. L III 32. B. — 2, 4 Vexatus B. — 4, 1 De Diclimo A. — 7, 1 Lunillus B.

429. De sancto Simpliciano.

1. Summi vatis praeconium
Simpliciani canimus,
Qui vitae cursum explicans
Confessor Dei exstitit.

2. Hunc sacer ille praecessor
Insignivit Ambrosius,
Vicarium sedis dignum
Praedixit tunc oraculo.

3. O quam felix successio,
Praeclara tunc haereditas
Signifera missa voce
Trinis modis distinctio.

4. Laetus pastor grandaevus
Sed licet simplex moribus,
Sanctitatis comes fuit
Ab annis puerilibus.

5. Doctrina potens claruit
Toto orbe notissimus
Multa tractans divina
Ingentia volumina.

6. Augustinus scriptis pulsat,
Ut agitet ingenium,
Quaestionum ludit forma
Epistolari problema.

7. Verbum Dei fructificans
In populorum cordibus,
Praelatus Romae habitus
Praedicator egregius.

8. Multitudo innumera
Per eum baptizata est,
Quos inter rhetor famosus
Et Victorinus credidit.

9. Ecclesiae arce pollens
Hanc aulam Christo condidit,
Ambrosius mittens caecum
Hunc Dalmatino litore.

10. Ocius ille venit,
Lumen recepit eminus
Sisinii martyrii
Meritis et Alexandri.

11. Gloria tibi, Domine.

Man. ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambrosian. T 103 sup. A. — Man. ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambrosian. s. n. B. — Brev. ms. Vallis Travagliae saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Capit Mediolanen. s. n. C. — Brev. ms. S. Jacobi in Pontida saec. 11. Cod. Vatican. 82. D. — Man. ms. Ambrosianum anni 1188. Cod. Ambrosian. A 189. inf. E. — Antiph. ms. S. Victoris ad theatrum saec. 12. Cod. Ambrosian. A 1 inf. F. — Hymn. ms. Ambrosianus saec. 15. Cod. Vatican. 4754. G. — Hymn. ms. Ambrosianus saec. 15. Cod. Berolinen. Ham. 544. H. — 2, 1 Tunc sacer AF. — 2, 3 Vicarium Dei G. — 2, 4 tunc AF. — 3, 2 nunc haereditas AHF. — 4, 3 Sanctitas comes AHF. — 6, 1 Augustinum H. — 6, 2 Ut agitet fehlt A. — 7, 2 u. 3 umgestellt H. — 7, 2 Apostolorum cordibus H. — 9, 4 Huc F; Dalmatico G. — 10, 2 recepit mundus eminus F.

430. De sancto Silvestro.

1. Silvestro beatissimo,
Urbis Romanae episcopo,
Laudes canamus debitas
Cum omni reverentia.

2. Hic cum foret infantulus,
A matre sua vidua
Cyrino Christi servulo
Commissus est presbytero.

3. A quo Christi mysteria
Secutus lucidissima
Spernensque mundi delubra
Pervenit ad coelestia.

4. Hic factus est affabilis
Et cunctis peramabilis,
In ipso sapientiae
Clavis omnisque permanet.

5. Hic venerandus pontifex,
Pius nec tardus opifex
In suaque matricula
Scriptas habebat viduas.

6. Hic pauperes ac debiles
Quaerebat pius artifex,
Cunctos in hac matricula
Scribebat cum laetitia.

7. Cunctorum erat bajulus,
Nullus ab eo vacuus,
Cunctisque alimonias
Praestabat hic assiduas.

8. Imperatoris maximi
Constantini nam candidam
Lepram depulit famulus
Christi per sanctum lavacrum.

9. Vacans adhuc in corpore
Prodigia ostendere
Non cessat Christi famulus
Sanando multos languidos.

10. Per hunc virum piissimum
Surdis auditus redditur,
Lumen caeci recipiunt,
Effugantur daemonia.

11. Jam deprecemur Dominum,
Quem sempiternum credimus,
Votis annuat omnium
Hujus festum colentium.

12. Gloria magno Domino,
Deo patri et filio
Simul cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Venetum saec. 14. Cod. Marcian. L I 81. — 2, 1 foret in famulus. — 8, 4 Christi perfectis. — 9, 1 Natans adhuc. — 11, 1 Nam deprecemur.

431. De sancto Simeone.

Ad Vesperas.

1. Clerus, psalle, plebs, jubila
Dulcem depromens modulum,
E corde pellens nubila
Simeonis ad tumulum.

2. Quem Christus rex ad aethera
Provexit jam cum gaudio
Laetantem super sidera
In sanctorum tripudio.

3. Hic in Armenis genitus
Claris satis parentibus,
Uxorem sprevit penitus,
Timens a mundi sentibus.

4. Dein extendens altius
Pedem, linquens terrestria,
Italiam quam citius
Venit, quaerens coelestia.

5. Juxta Padum coenobio
Sub Benedicti deguit
Norma, decurso stadio
Prodigiis emicuit.

6. Os quem piscis constrinxerat,
Andream morti deditum
Precibus piis liberat,
Fratrum depellens gemitum.

7. Suorum ductus precibus,
Patris Columbae pariter,
Languens languoris nexibus
Absolvitur celeriter.

8. Fove, defende fortiter
Fratres, quos cernis laudibus
Tuis vacare, jugiter
Servans ab hostis fraudibus.

9. Laudes patri cum genito
Reddamus voce sedula
Spirituique inclito
In sempiterna saecula.

Diurn. ms. Padolirense saec. 15. Cod. Mantuan. B II 22. A. — Brev. ms. Padolirense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 671. B. — 1, 3 pulsa nubila B. — 6, 2 Andreas B. — 7, 1 Duorum ductus A, quorum ductus B.

432. De sancto Simeone.

Ad Nocturnum.

1. Psallat chorus, qui sonorus
Exsistit claris vocibus,
Simeonis et in bonis
Exsultet coelum laudibus.

2. Hymnum pangat, dulcem clangat
Tubaque veri flaminis,
Quia sanctus jam est factus
Consors paterni luminis.

3. Sprevit mundum, ut se mundum
Offerret tibi villicum,
Cui cedis locum sedis,
Deus, tuorum militum.

4. Cibas cervo, quos cum servo
Nivis moles praemaximae
Ac procella claudit cella,
Aeterne rex altissime.

5. Fratrem lapsum vita cassum
Deductum jam ad tartara
Sibi cedis, post concedis
Aeterna Christi munera.

6. Coenobitam finit vitam
Mantuam juxta sobrie,
Quem ad plenam vocas coenam,
Summae Deus clementiae.

7. Ubi caro pausat caro
Saxo contecta coelitus,
Hunc ad locum tuum totum
Veni, creator spiritus.

8. Rege servos, ne protervos
Actus serpentis callidi
Prosequantur, sed pascantur
Ad coenam agni providi.

9. Tibi laudes ut conserves,
Perennis lux et veritas,
Da hic salves et gubernes,
O lux beata trinitas.

Brev. ms. Padolirense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 671. — 9, 2 Perennes lucet veritas.

433. De ss. Solutore, Adventore et Octavio.

In Vesp. et Noct.

1. Refecti Dei munere
Hymnum canamus sedule
In talibus martyribus,
Eois adsunt partibus.

2. Adventor et Octavius,
Solutor, martyr inclitus,
Germano juncti foedere
Uno fuerunt opere.

3. Armis strenui bellicis,
Rebus aucti catholicis
Ad Gallos eos legio
Sancta duxit Thebaeio.

4. At ubi caesa legio,
Isti currerunt otio,
Pugnaverunt cum gaudio
Taurinensi in populo.

5. Florentes enim clarius
Adventor et Octavius
Taurino fuso sanguine
Poli gaudent in aethere.

6. Solutor vero merito
Alio punctus gladio
Coeli adhaesit solio,
Laetatur cum tripudio.

7. Christe itaque Domine,
Nos adjuva assidue
Martyrum horum precibus
Liberemur ab hostibus.

8. Sit genitori gloria
Genitoque per saecula
Viventi atque flamini
Honor unus cum patribus.

Offic. ms. S. Solutoris saec. 15. Cod. Taurinen. J I 3.

434. De ss. Solutore, Adventore et Octavio.

Ad Laudes.

1. Illum frequens et nobile
Stipato fervens milite
Prolis gaudens victoria
Psallat mater ecclesia.

2. Duces novi certaminis,
Ardentes cornu laureis,
Vitam ducunt occumbere,
Pro rege vinci vincere.

3. In tali simul proelio
Tota conspirat legio,
Viget mutatis studiis
Thebaei calor sanguinis.

4. Olim cruentis dexteris
Famam reliquit saeculis,
Nunc arte sui prodigus
Pugnavit gloriosius.

5. Solutor, martyr inclitus,
Adventor et Octavius,
Quos veneramur supplices,
Vitae nostrae sint praesules.

6. Exorent, malis liberos
Bonis florere strenuos,
Hinc felices palatiis
Scribi cives uranicis.

7. Trinitati deificae
Plenitudo sit gloriae,
Quae quidem esse proprium
Suis dat in perpetuum.

Offic. ms. S. Solutoris saec. 15. Cod. Taurinen. J I 3. — 1, 3 Proeliis gaudens. — 4, 1 Oculi cruentes. — 6, 4 cives ueranicis.

435. De sancto Sozomeno.

Ad Vesperas.

1. Ad coeli regnum scandere
Dum conatur ecclesia,
Occurrunt in itinere
Quam plura saeva proelia.

2. Maximianus publicam
Rem gubernans imperio
Plebem premit catholicam
Trucique caedit gladio.

3. Cohortem urget militum
Et ducem Epiphanium
Ac Sozomenum inclitum,
Hujus cohortis socium.

4. Objecti vero gladiis
Quam plurimorum milium
Coeli fulti praesidiis
Acies sternunt hostium.

5. Nova functi victoria
Dei mirando munere,
Pie student fidelia
Emissa vota solvere.

6. Sit Deo patri gloria,
Nato cum sacro flamine,
Per quem sanctis victoria
Confertur in certamine.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. — 4, 2 Quam plurimum milituum.

436. De sancto Sozomeno.

Ad Nocturnum.

1. Amore Christi fervidi
Trecenti Christi pugiles
Vasta deserti squalidi
Scandunt in fide vigiles.

2. Novam ibi militiam
Dum exercent viriliter,
Maximianus furiam
In sanctos spirat acriter.

3. Trecentos regis rabies
Quaerens missis tortoribus,
Caedunt quaternos decies
Ceteris evadentibus.

4. In antris hi se colligunt
Spiritu Dei praevio,
Sozomeni se subigunt
Bis duo magisterio.

5. Altissimo perpetua
Sit laus et benedictio,
Qui donat arma congrua
In saevo mundi proelio.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. — 1, 3 scalidi. — 2, 1 malitiam.

437. De sancto Sozomeno.

Ad Laudes.

1. O Christi mira bonitas,
Inter dura et prospera,
Per rectas ducens semitas
Sanctos suos ad aethera.

2. Rex noster Epiphanium
Quadragenique numeri
Milites per martyrium
Via transvexit celeri.

3. Illusa regis furia
Sozomenum eripuit,
Quem longa poenitentia
Augere fructum voluit.

4. Ad exemplum hic plurium
Et normam salutiferam
Longum traxit martyrium,
Dum vitam duxit asperam.

5. Magnifico sit Domino
Cuncta regenti gloria,
Qui nos in vitae termino
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186.

438. De sancto Stephano.

Ad Laudes.

1. Beato protomartyri
Psallant senes et pueri,
Cujus fructus innumeri
Dulcescunt omni tempore.

2. Assumptus ab apostolis
Vir prudens, castus, humilis
. . . . honestis viduis
Est iste cum sex aliis.

3. Nam facit hic prodigia,
Malorum fert letigia,
Quorum terit fastigia
Per paginae vestigia.

4. Cum Christus coelo panditur,
Angelico hic cernitur
Vultu, tunc non convertitur
Gens prava, sed pervertitur.

5. Ut pressus falsis testibus
Obit caesus lapidibus,
Orans pro persequentibus
Fit consors coeli civibus.

6. Sacer levita Stephane,
Martyr et pugil optime,
Purgato nos a crimine,
Roga repleri flamine.

7. Gloria tibi, Domine.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurent. Pl. XXIX. 9.

439. In Translatione s. Stephani.

Ad Vesperas.

1. Deus, tuorum militum
Salus, vita et meritum,
Audi preces, quas fundimus,
Ob hoc, redemptor,
quaesumus.

2. Hic nempe mundi gaudia
Plenus fide et gratia
Sprevit tendens ad supera
Aeterna Christi munera.

3. Poenas cucurrit fortiter,
Flagellatus atrociter,
Tunc patris vidit filium
Martyr Dei qui unicum.

4. Ob hoc precatu supplici,
Christe, meritis Stephani
Parce nobis benignius,
Te deprecamur largius.

5. Sit, Christe, rex piissime
Tibi patrique maxime
Laus, gloria cum flamine
A solis ortus cardine.

Brev. Capuanum imp. Capuae 1489. — 1, 2 Salus, victor.

440. In Translatione s. Stephani.

Ad Nocturnum.

1. Plaudat coetus, psallat laetus,
Diesque ista fulgeat,
Qua translatus est vocatus,
Laetus dies hic transeat.

2. Mente pura et secura
Imitando coelestia,
Per quae dantur et donantur
Aeterna nobis gaudia.

3. Hic in poenis factus lenis
Jesum tunc vidit facie,
Dicens: parce, stans in arce
Summae Deus clementiae.

4. Quem recepit et suscepit
Insignem factum martyrem
Felix facta, nominata
Urbs beata Hierusalem.

5. Inde venit et post stetit
Diu Constantinopoli,
De qua mire fecit ire
Beatus auctor saeculi.

6. Dum transivit, hic dimisit
Dentes, costas et brachium,
Quem nos care fac amare,
Christe, redemptor
omnium.

7. Fac nos salvos et defensos
Ab ira hostis callidi,
Ut conducas et perducas
Ad coenam agni providi.

Brev. Capuanum imp. Capuae 1489. — 3, 2 faciem.

441. In Translatione s. Stephani.

Ad Laudes.

1. Vox clara, ecce, intonat
Mellitis placens vocibus,
Plebs Christo laudes condonat,
Exsultet coelum laudibus.

2. Novum genus potentiae
Voce draconis legitur,
Imperatoris filiae
E sursum agnus mittitur.

3. Solutis jam gemitibus
Tuae virtutis opere
Das daemonem daemonibus
Jam lucis orto sidere.

4. Gaudet chorus coelestium
Unione mirabili,
Mentes exsultant gentium,
Jesu, salvator saeculi.

5. Scrutator alme cordium,
Qui diceris paraclitus,
Sis nobis in auxilium,
Veni, creator spiritus.

Brev. Capuanum imp. Capuae 1489. — 1, 3 Proles Christo.

442. De sancto Syro.

Ad Vesp. et Noct.

1. Laudet mater ecclesia
Christum, lumen de lumine,
Qui nos per sanctos inclitos
Suo ditavit munere.

2. Exsultet specialiter
Urbs Ticinensis populi
In festo sacratissimo
Syri, patroni proprii.

3. Jam a Christo in Simonem,
Post Marcum in Armagoram,
Inde descendit gratia
In Syrum atque Inventium.

4. Ordinatus episcopus
Syrus Papiam mittitur,
Inventius clarissimus
Sibi comes adjungitur.

5. Istos binos apostolos
Ad nos transmisit Dominus,
Caterva venit obviam
Exclamans magnis vocibus:

6. Ingredere, ingredere,
Pater desiderabilis,
Et nos errantes revoca
Tuis sacratis monitis.

7. Ut pater beatissimus
Post in urbem ingreditur,
Omnis infirmus supplicans
Saluti restituitur.

8. Gloria sit ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267. inf. B. — 7, 2 fehlt eine Silbe; in ergänzt.

443. De sancto Syro.

Ad Laudes.

1. Antistes Syrus veniens
Dei vates efficitur,
Vaticinando gaudium,
Quod manet in perpetuum.

2. Post haec coepit depromere
Fidem patris et filii,
Ortum, progressum nuntians
Atque diem judicii.

3. Haec audientes populi
Mox crediderunt in Jesum,
Baptizati velociter
In aqua et in spiritu.

4. Sed post salutem spiritus
Dat sanitates corporum,
Caecos et mutos liberans
Ac mortuos vivificans.

5. Cives ergo catholici
Cernentes mira opera
Glorificabant Dominum,
Qui talem dedit praesulem.

6. Excursis jam feliciter
Annis centum duodecim,
Terris relicto corpore
Migravit ad coelestia.

7. Gloria sit ingenito.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. B. — 6, 1 Excursus.

444. De s. Syro Januensi.

Ad Vesperas.

1. Exsultet laude Janua
Festa resumens annua,
Ipsius sancti praesidis
Syri repleta gaudiis.

2. Culturae sancti traditur
Felicis clara plantula,
Sacris doctrinis colitur
Fructus virtutum bajula.

3. Infans saliva merulam
Vita donavit mortuam,
Verbo ligans navigium
Contra ventorum impetum.

4. Super Felicem claruit,
Sanctusque Syrus meruit
Videre patris dexteram
Dei potentis fulgidam.

5. Videns cartae chirographum
Frangi Satan cum vertice,
Syrus risum insolitum
Dat pro notato indice.

6. Haec abscondisti senibus
Doxam revelans parvulo,
Onus tuum ut levius
Ferret pastor in populo.

7. Syrum ne tollat visio,
Praeceptori obtemperat,
Compulsus pro exsilio
Maticianam properat.

8. Parentum, mundi, patriae
Sprevit Syrus solatium,
Melle refectus latriae,
Mitis ferens exsilium.

9. Natam sanavit Gallio
Vexatam a daemonio,
Sic omnes curat propere
Syrus languentes peregre.

10. Vocatus ab exsilio
Syrus Felici reserat,
Divino quae sub brachio
Exsul portenta fecerat.

11. Aurem appone vocibus
Nostris, da locum precibus
Syri, Christe, discrimina
Pelle purgando vitia.

12. Fides cujus praesidia,
Plebi dat suae gaudia
Syrus, Deo sit gloria
Modo per cuncta saecula.

Atti della Società Ligure di Storia patria. Volume X, Fascicolo IV (Genova 1876), p. 378. — Ich nehme diese und die beiden folgenden Hymnen aus den Atti um so mehr herüber, als der Herausgeber, Vincenzo Promis, Jacob von Voragine als den Verfasser der Hymnen bezeichnet. Diese Angabe verdient Beachtung, da unter Voragine eine Translation des hl. Syrus ststtfand und er, wie er selbst bezeugt, die Legende des Heiligen geschrieben. „Ejus quoque legendam diligenti studio compilavimus, in qua multa miracula sunt posita, quae a fide dignis audivimus, quae quidem in veteri legenda non erant scripta." Muratori IV, 26. Die Legende war in Lectionen abgeteilt und diente den Mönchen von St. Syrus beim Officium. — 3, 2 Vitam. — 5, 1 Videns astra. — 6, 2 Doxa. — 7, 4 Matutianam; in der Legende Maticianam. — 8, 3 Molle. — 9, 1 In der Legende heifst der Mann Gallio, onis. — 9, 4 Languenti. — 10, 2 referat. — 11, 3 Syro, Christo. — 12, 1 Ardens rivis praesidia; vgl. die folgenden Hymnen an dieser Stelle.

445. De s. Syro Januensi.

Ad Matutinum.

1. Morte pastoris vidua
Sancti Felicis Janua,
Cunctorum votis quaeritur
Syrus, pastor eligitur.

2. Hic cunctis gratus proficit,
Verbo salutis allicit
Plebem, egenos reficit,
Algores passos amicit.

3. Anguis percussa spiritu
Nequam tristi interitu
Vacavit plebs jejuniis
Syri mandatis triduis.

4. Vase sanctus ad puteum
Syrus praecedens populum
Anguis in Christi nomine
Os clausit sancto flamine.

5. O vere pastor ovium,
Christi te offers clippeum
Defensionis, animam
Pro grege ponis propriam.

6. Natura trucem bestiam,
Nulli dantem molestiam
Syrus in Christi digito
Nexam ostendit populo.

7. Tristatus furens oculis
Basiliscus terribilis
Aequor requirit profugus
Dictu jubentis protinus.

8. Laudavit plebs antistitem
Syrum, qui super aspidem
Et basiliscum ambulat,
Psalmista sicut dixerat.

9. Morbis purgata patria,
Refecta Christi nomine,
Suprema scandens atria
Syrus defuncto corpore.

10. Fac nunc, quod olim gesseras,
Compatriota strenue,
Urbem tuam non deseras,
Cunctorum nobis annue.

11. Fides cujus praesidia
Plebi dat suae gaudia
Syrus, Deo sit gloria
Modo per cuncta saecula.

Atti della Società Ligure di Storia Patria X, 4, 380. — 3, 2 tristis. — 4, 1 Vas sanctus ad. — 6, 1 truce. — 6, 4 Nexum. — 7, 4 Dictum. — 8, 3 basiliscum superat; sowohl Ps. 90, 13 hat ambulat als auch die Legende an der Parallelstelle. — 10, 4 anime, offenbar verdorben.

446. De s. Syro Januensi.

Ad Laudes.

1. Dum corpus ad basilicam
Gestatur apostolicam,
Plebis pressura positum
In via tardat feretrum.

2. Hinc inde clamat lugubris
Plebs: tu nos, pater, deseris,
Nos desolatos visita
Tua per sancta merita.

3. Stillans Syri de naribus
Sanguis, quem tersit nauclerus
Quidam devote linteo,
Id servans magno studio.

4. Ratem portantem linteum
Rubratum sacro sanguine
Tempus reduxit prosperum
Ad terrae litus propriae.

5. Turba vexata spiritu
Nequam ad litus properat
Dicens: nos ab interitu
Mox sanctns Syrus liberat.

6. Navis accedit propius,
Clamabat turba promptius:
Syrus mundabit protinus
Malum nos artans nequius.

7. Nauta produxit linteum,
Cujus languentem populum
Tactu sanavit, inclita
Declarans Syri merita.

8. Baptistae Christi praevii
Syri patrisque patrii
Aede majori Januae
Sanctae fulgent reliquiae.

9. Laetetur ergo Janua,
Tanti thesauri conscia,
Panduntur priscae chronicae
Et quae sunt arcae publicae.

10. Horum precatus patriam
Flagris jam faucis debitam
Maris, ignis et sanguinum
Fovit placando Dominum.

11. Fides cujus praesidia
Plebi dat suae gaudia
Syrus, Deo sit gloria
Modo per cuncta saecula.

Atti della Società Ligure X, 4, 382. — 3, 2 quem ergänzt. — 5, 4 liberat, dem Sinne nach soviel als liberabit, wie die Legende schreibt. — 6, 1 propria. — 9, 4 qui sunt. — 10, 1 placatus. — 10, 3 Maris, signis et sanguinem. — 11, 2 et sua.

447. De sancto Theodoro.

1. Melodis vocibus superna concinet
Aulaque laudibus sacrata jubilet,
Mens nostra dulcibus evehat cantibus
Triumphi palmam militis.

2. Caducis fluidi pompis cum floribus
Derisis, saeculi falsis erroribus,
Verum Theodorus fide et viribus
Deum colebat inclitus.

3. Morti se tradidit, crucem amplectitur,
Flagella subiit Christumque sequitur,
Poenis pro corporis serta Theodoro
Parantur bene fulgida.

4. Corpus incendiis datur Theodori
Additis ungulis undique corpori,
Cessit nec conscia mens Christo dedita,
Sanctus quam rexit spiritus.

5. Quae lingua martyris possit exprimere
Roburque corporis, fidem retexere,
Fac, Christe, martyris prece nos vincere
Nostri bella certaminis.

6. Patrem cum genito laudemus cernui,
Simul paraclito canamus famuli,
Prece Theodori dignemur perfrui
Aeternis coeli gaudiis.

Brev. ms. Cong. S. Justinae anni 1470. Cod. Casinen. 803. — 1, 1 der Sinn fordert concinat, der Reim concinet. — 1, 3 dulcibus rexat. — 4, 3 Cessit his conscia.

448. De s. Theodoro Episcopo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Ave, praesul pie,
Nos nocte ac die
Muni de supernis,
Ubi Deum cernis.

2. Sumens dona Dei
Es conjunctus ei,
Nos instantes laudi
Tuae nunc exaudi.

3. Solve a peccatis
Et junge beatis,
Christo nos adsigna
Tua prece digna.

4. Monstra nobis regem,
Cujus veram legem
Docuisti recte,
Confessor electe.

5. Virgo, membra tua
Servat aula sua,
O Verona, gaude
Digna tali laude.

6. Vitam praesta puram,
Mortem aufer duram,
Theodore mitis,
Pelle mala litis.

7. Sit laus patri, nato,
Flamini beato,
Theodori prece
Solvamur a nece.

Psalt. ms. Veronense saec. 12 ex. Cod. Capit. Veronen. CVIII (101).

449. De s. Theodoro Episcopo.

Ad Laudes.

1. Gaudio summo exsultat in caelis
Almus confessor, pontifex fidelis,
[Hodie] cui concinamus melis
Corde et ore.

2. Praedicat iste urbem Veronensem,
Exserit verbi veritatis ensem,
Populum Christo sic convehit densem
Fervens amore.

3. Transit ad coelos anima beati
[Membra humantur] viri Deo grati
Virginis aula, gaudent ex hoc [dati]
[Gleba] pastoris.

4. Gloria tibi, Jesu, pastor bone,
Qui Theodoro das [sertum coronae],
Cujus obtentu juxta te nos pone,
Dator honoris.

Psalt. ms. Veronense saec. 12. ex. Cod. Capit. Veronen. CVIII (101). — Aus eben dieser Quelle und mit den gleichen Lücken abgeschrieben in Cod. 612.

450. De sancta Theodosia.

Ad Vesperas.

1. Felix nimis virginitas,
Divina flagrans facula,
Aeterna quam jucunditas
Nunc tenet et in saecula.

2. Anhelat fraudis nescia,
Afflata desiderio,
Beata Theodosia
In martyrum consortio.

3. Despexit opes turgidas
Veloci cordis impetu
Parentumque blanditias
Edocta coeli monitu.

4. Nobilitatem generis
Magnum velut ridiculum
Ac elegantis corporis
Sprevit ejus ciniculum.

5. Retruditur in carcere
Virgo Dei seraphica,
Circumfluit ab aethere
Hanc visio deifica.

6. Obsistit et parentibus
Ratione mirifica,
Avertere volentibus
Altaria salvifica.

7. Per hanc pater cum filio
Consolatorque spiritus
A criminum contagio
Nos hic emundet funditus.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L Z 160. B. — Brev. ms. Praedicatt. Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patav. B 60. C. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182) D. — Brev. ms. Praedicatt. Italic. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 17007. E. — 1, 2 fragrans ABD. — 1, 4 in fehlt D. — 2, 1 Annellat C. — 2, 2 Efflata ABCDE. — 6, 3 Lies Evertere? — 7, 2 que fehlt AE.

451. De sancta Theodosia.

Ad Nocturnum.

1. Plaudat turba coelestium
In virginis victoria,
Quam praesidis flagitium
Per dira probat crucia.

2. Distendi nervis virginem
Jubet Urbanus affici
Et corporis compaginem
Insaniens carnifici.

3. Feruntur multiplicium
Martyriorum machinae,
Fit et concursus gentium
In tam miro certamine.

4. Virgo perstat immobilis
Furente nequam judice,
Exsultat cordis jubilis
Suae mortis opifice.

5. Suscipiunt in oleum
Frigendam Christi famulam,
Suspendunt in equuleum
Ministri Deo sedulam.

6. Discerpunt corpus ungulis,
Torquent, appendunt crinibus,
Et spernitur jam credulis
Satan Christum credentibus.

7. Doctores cum fidelibus
Ac virgines cum virgine
Haerent Christum laudantibus
In vero mentis lumine.

8. Projicitur in pelagus
Ligata saxi pondere,
Eripitur et coelitus
Divino sacro munere.

9. Lassantur ferocissimae
Ferae sacratae virgini,
Fuit post hanc mitissimae
Sanctitatis indagini.

10. Percussa collo gladio
Scandit coeli cacumina,
Consumptaque martyrio,
Patent divina limina.

11. Per hanc pater cum filio.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83 A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicatt. Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patav. B 60. C. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). D. — Brev. ms. Praedicatt. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007. E. — 1, 1 Laudat. turba D: Plaudet B. — 1, 2 Ut virginis A: virginis fehlt C. — 1, 4 Perdicta probat A. — 3, 3 gentium fehlt D. — 9, 3 post hac E. — 10, 3 que fehlt D.

452. De sancta Theodosia.

Ad Laudes.

1. Exsultet coelum laudibus,
Psallat terra laetitia
Cum Christo militantibus
Pulsa cordis moestitia

2. Parentum post blanditias
Beatae Theodosiae
De praeside victorias
Laborumque cum opere.

3. Egreditur ergastulum
Diva, coelestis anima
Transcendit et in patulum
In coelum lucidissima.

4. Nam mox columba fulgida
Ex ore velut aurea
Confirmans plures valida
Fide scandit aetherea.

5. Veni, soror, egredere,
Sponsus inquit, velocius
Et post labores propere
Frui pace securius.

6. Per hanc pater cum filio
Consolatorque spiritus
A criminum contagio
Nos hic emundet penitus.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. A I 83. A. — Brev. ms. Praedicatt. Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patav. B 60. B. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). C. — Brev. ms. Praedicatt. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007. D. — 2, 1 post fehlt DE. — 5, 3 labore A. — 6, 1 Per hanc, pater piissime A. — 6, 2 ff. fehlen A.

453. De sancto Theopompo.

1. Sacra sanctorum veneranda festa
Laudibus dignis recolendo, bella
Martyrum Christi resonemus, eja,
Orgia grata.

2. Namque flammoso clibano retrusus
Rore coelesti, Theopompe, tutus
Prosilis sospes, sacer excolende,
Praesule Christo.

3. Hinc tuis valvas meritisque puris
Aulicas celsi pietas recludit,
Caesaris gliscens stolidamque stulti
Arguis iram.

4. Hinc bis undenis penitus diebus
Carceris septo pie detineris,
Impiger, fortis Domini, triumphans
Abstemiusque.

5. Redditus fosso veniens ocello
Dira depascis socii futuri,
Coelica fretus pietate perstas
Insuperatus.

6. Ventre mox mole silicis repulsa
Reste submerso cerebroque trunca
Corporis laesus remanens nec ulla
Parte, benigne.

7. Tu quoque prudens sciolus flagranter
Jussa coelestis retinens tonantis,
Terrea spernis, cupiens superna,
Alme Senesi.

8. Namque defosso luteo minacis
Jussus emergi furia tyranni,
Victor insignis moriendo vincis,
Aethera scandis.

9. Fluctibus cosmi lubricis subactis,
Angue protrito braviisque captis
Laeta cum Christo pariter beati
Regna tenetis.

10. Ergo, felices, veniam reatus
Sedulis detis precibus, precamur,
Vernulis semper miserisque, patres,
Ferte levamen.

11. Laudibus cives resonent superni
Te, Deus simplex pariterque trine,
Supplices et nos veniam precamur,
Parce redemptis.

Antiph. ms. Nonantulense (?) saec. 10. Cod. Casanaten. B IV 21.

454. De sancto Thoma.

1. Magni Christi discipuli,
Sancti Thomae apostoli,
Qui passus est in India,
Diem sacratum colimus.

2. Cum venerit navigio
In oppido Mandropoli,
Sponsam cum sponso abluit
Unda sacri baptismatis.

3. Post hoc petens Gundaphorum,
Magnum suscepit pretium,
Ut fabricet palatium
Dignum regio stemmate.

4. Quod per totum triennium
Manibus dedit pauperum
Et fabricans ecclesias
Ordinavit presbyteros.

5. Pro quo reclusus carcere
Igne minatur comburi,
Sed ereptus a Domino
Sanus redditur populo.

6. Mox convocata synodo
Turbam sanat languentium
Et per undam baptismatis
Multum consecrat populum.

7. Dehinc ingressus aliam
Indorum est provinciam
Et confringendo idolum
Effugavit diabolum.

8. Quem idolorum presbyter
Transvulneravit fortiter,
Et finito certamine
Deo reddidit spiritum.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Ambrosianum imp. Mediolani 1490. — 3, 4 Lies schemate? — 5, 1 carceri. — 7, 2 est fehlt.

455. De sancto Thoma.

Ad Vesp. et Laud.

1. Sacra solemnia pangamus hodie,
Preces humilimas, o Thoma Didime,
Fundimus, inclitas laudes tu suscipe,
Verbo potens et opere.

2. Coelorum agmina, plaudite jubilis,
Cuncta terrestria undaque labilis,
Orat ecclesia sancta praestabilis,
In te laetatur intime.

3. O decus coelicum, jubar mirabile,
Tua quis sufficit merita colere?
Latus deificum tibi palpabile
Dat Christus, rector omnium.

4. Petentis sidera virginis strophium
Accipis, inclite, ornans convivium,
Tuis miraculis regis connubium
Fit sanctum castimonium.

5. Indos incredulos Christo nancisceris,
Lumen in gentibus cunctis efficeris,
Martyr obdormiens astra ingrederis,
Fruens corona gloriae.

6. Orbem illuminas vita mirabili,
Cunctos aedificas verboque simili,
Coelum laetificas, summoque principi
Preces funde piissimas.

7. Gaude, jam principis lucis in atriis,
Redde nos, quaesumus, tutos ab impiis,
Fac tandem perfrui aeternis gaudiis
Pio redemptos sanguine.

8. Trinitas, unitas, pater eximie,
Summaque deitas, o patris unice,
Flamen, benignitas, sursum nos dirige
Ad lucem, quam inhabitas.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. add. saec. 15. — 4, 1 stropheum. — 5, 2 Lumen ergänzt. — 5, 3 astri inter ceteris. — 7, 1 princeps lucis in.

456. De sancto Thoma.

Ad Nocturnum.

1. Corda pie perfundantur
Coelesti laetitia,
Prece Thomae muniatur
Pugnatrix militia,
Ut in fine consequatur
Munera deifica.

2. Hac in nocte praecinentes
Lux paterna visitet,
Festa sacra recolentes
Christi virtus roboret,
Almus cuncta tenebrosa
Spiritus illuminet.

3. Mundi lampas decorata,
Nobis iter praevium,
Templa cuncta profanata
Confundis in medium,
Fana solis detestata
Detegis ludibrium.

4. Titubare te magister
Noluit, sed mystice
Foris tangis latus gaudens,
Tangeris intrinsece,
Deum clamas et in fide
Nos confirmas solide.

5. Christi membra confovere
Languida non desinis,
Permansura regis aere
Fabrica mirabilis
Per te surgit, et fidele
Datur cor incredulis.

6. Sancte Thoma, deprecamur,
Famulis viantibus
Sursum domum in amoenis
Pascuis coelestibus
Praesta nobis, ubi plene
Gaudes cum gaudentibus.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. add. saec. 15. — 3, 5 Fanum. — 4, 6 confirma. — 5, 6 Dat cor.

457. De sancta Toscana.

1. Pia Toscana, ordini oblata
Sancti Johannis Jerosolimitani,
Hodie laeta meruit athleta
Scandere coelum.

2. Vita dum praesens, limina sanctorum
Visitat ipsa furibus occurrens,
Exspoliatur chlamyde sacrata
Cruce contecta.

3. Quam dividentes dire coartantur
Manus ipsorum temerariorum,
Ad cujus pedes sed restituuntur
Famulae Christi.

4. Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Visa sunt multa lumina de coelo,
Simul et cantus pariter auditi
Tempore noctis.

5. Corpus plebs cujus ad signa gestorum
Surgit devote pieque recondit
Intra Sepulchri ecclesiam sancti
Laudibus almis.

6. Voce praecona pervigil antistes
Una cum clero sacrae sepulturae
Ipsamque defert miris adprobatis
Manibus suis.

7. Cujus obtentu modo sanitati
Membra languentum, fuerant gravata
Quolibet morbo, consolidantur
Integre sua.

8. Sit laus illi, decus atque virtus,
Qui supra sexum fragilem donavit
Istius mundi vana superare
Usque in finem.

Cod. Capit. Veronen. 113. saec. 16. — Abschrift aus älteren, aber ungenannten Quellen; die im Hymnus erwähnte Translation fand statt den 29. Sept. 1344. — 3, 3 fehlt eine Silbe; sed ergänzt. — 7, 3 fehlt eine Silbe: lies reconsolidantur. — 8, 1 Laus zweisilbig oder zu lesen Sit salus.

458. De sancto Ubaldo.

In 1. Vesperis.

1. Dies vergens ad occasum
Solis rota declinante
Vesperorum signat casum
Urbe tota jucundante
Propter adventum praesulis,

2. Patris, inquam, gloriosi,
Nostri protectoris almi,
Quem nequaquam otiosi,
Sed in cantu novi psalmi
Hymnisque bene tinnulis

3. Nunc debemus praevenire
Et nos sibi praeparare,
Ut nos dignos invenire
Possit atque recreare
Festivitatis epulis.

4. Ipse est sacerdos magnus,
Qui in sacro Dei templo
Mansuetus velut agnus
Solis micuit exemplo
Claris virtutum titulis.

5. Noster clippeus sit fortis
Contra hostem adversantem,
Praesertim in hora mortis
Sentiamus opem dantem
Salutis pulsis aemulis.

6. Ipsum demum deprecemur,
Quem laetanter exspectamus,
Ut per ipsum sublevemur
Et ad coelos ascendamus
Speratis adminiculis.

7. Hoc benigne largiatur
Nostro choro supplicanti,
Per quem mundus gubernatur,
Pater, nato conregnanti
Non terminandis saeculis.

Brev. ms. Franciscan. Eugubin. saec. 15. Cod. Angelic. T VII 9.

459. De sancto Ubaldo.

Ad Nocturnum.

1. In hac hora matutina
Hymnum Domino cantemus,
Nihil in mentis sentina
Sit, ut illam inquinemus.

2. Voce clara, mundo corde
Nostra laus conscendat caelos,
Ut mundatos omni sorde
Nos illuc ferat anhelos.

3. Hic confessor exoratus
Concione devotorum
Cum sit Domini sacratus,
Exauditor petitorum.

4. Hoc testantur orthodoxe
Templum sacrum visitantes,
Corporale demptum posse
Inde sani reportantes.

5. Sit laus patri, decus nato,
Honor spiritui sancto,
Reverentia beato
Confessori nostro tanto.

Brev. ms. Minorum Eugubin. saec. 15. Cod. Angelicus T VII 9.

460. De sancto Ubaldo.

Ad Laudes.

1. Reflorescat noster cantus
Laudum melos intonando,
In supernis resonando
Exsultat coelum laudibus.

2. Nunc exsultant omnes sancti
Et Ubaldo gratulantur
Pariterque modulantur
Angelicis concentibus.

3. Ad haec noster laetus chorus
Dulces solvat melodias
Alternando laudes pias
Consonantibus vocibus.

4. Aurora spargente polum
Illucescit dies festa,
Jam recessit umbra maesta
Taetris fugatis noctibus.

5. Ipsum ergo deprecemur,
Cujus festum suscepturi
Sumus, ut illuc ituri
Sanctis jungamur coetibus.

Brev. ms. Minorum Eugubin. saec. 15. Cod. Angelicus T VII 9.

461. De sancto Ubaldo.

In 2. Vesperis.

1. Servus prudens et fidelis
Sibi credita talenta
Resignavit opulenta
Duplicato foenore.

2. Dominum suum exspectans
Diligenter vigilavit
Et pulsanti reseravit
Ordinato tempore.

3. Inde meruit audire:
Euge, euge, serve bone,
Resignata ratione
Gaudium ingredere.

4. Iste servus summi regis
Est Ubaldus gloriosus,
Coelum tenens, terram osus,
Felix tali foedere.

5. Qualis iste sit et quantus,
Signa clara protestantur,
Ad virtutem reformantur
Aegri lapso corpore.

6. Quo medelam mereamur
Iniquitatum nostrarum
Ab occultis animarum
Solidato vulnere,

7. O Ubalde, pater alme,
Salutaris medicina,
Ad juvandum nos festina
In supremo vespere.

Brev. ms. Minorum Eugubin. saec. 15. Cod. Angelicus T VII 9.

462. De sancto Udalrico.

1. Odorlici veneremur
Praesulis solemnia,
Voce clara jubilemus
In sui memoria,
Corde puro celebremus
Ejus natalitia.

2. Claris puer heris natus
Nobili prosapia,
Quem lactavit educatus
Fertilis Germania,
Victus prece praesulatus
Functus fuit gloria.

3. Velut sidus in Augusta
Fulget spargens radium,
Vernat rosa tam venusta
Inter cleros lilium,
De triumpho vi robusta
Vitae tenet bravium.

4. De hac valle plena telis
Vitae cupit terminum.
Servus prudens et fidelis
Intrat Christi gaudium,
Paradisi in amoenis
It ad coeli solium.

5. O beate Vuodorlice,
Humili precamine
Nobis adsis in hac vita,
Tuo exoramine
Ut cum Christi genitrice
Mereamur vivere.

6. Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 85. — 2, 6 fu gloria. — 3, 5 in robusta. — 4, 6 Id ad.

463. De sancta Ursula.

1. Fulgor adspectus placuit virorum
Visibus, mentis decor at supernis
Ursulae turmis, merito potentis
Nobilis ortus.

2. Luctibus patris tulit haec juvamen,
Non timens regis furias caduci,
Nixa virtuti Domini potentis
Virgo pudica.

3. Quaeritur sponso, trahit illa sponsum,
Dumque se profert, socias requirit,
Aggregat festo celeres ministros
Lacta futuro.

4. Jungitur sacrae comitum cohorti
Sanctior cleri celebris caterva,
Advenit patrum cupidus coronae
Fulgidus ordo.

5. Summus oblatum decus et resignat
Pastor, haud damni pavidus minoris,
Dedicans Christo comites lavacro,
Virginis almae.

6. Irruit cultro ferus interemptor,
Agminis sacri madidus cruore,
Spiritus coelo subeunt aperto
Ossa Colonis.

7. Ergo pulsantes Dominum rogate,
Parva quo virtus meritis juvetur
Nostra, sub magnis laqueis malorum
Undique cincta.

Martinengius p. 188. — Verfasser ist Alphanus von Salerno.

464. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, puellarum
Sacrum contubernium,
Quae spernentes terrenarum
Rerum desiderium,
Obtinent coelicolarum
Regna per martyrium.

2. Summo regi desponsatur
Sacra martyr Ursula,
Et mortalem aspernatur
Sponsum virgo sedula,
Ne pudoris infringatur
Pretiosa cellula.

3. Nato regis jam sperante
In ejus connubia,
Petit, sibi concedatur
Triennis inducia,
Castitatis ut plangatur
Damnum per haec spatia.

4. Ista regis Britannorum
Christiana filia,
Solum regis angelorum
Optans matrimonia,
Nati regis paganorum
Abhorret sponsalia.

5. Ergo spondet et precatur
Tyrannus potentior,
Post promissa comminatur
Omni monstro saevior,
Fide contra quem armatur
Virgo turre tutior.

6. Hujus et nos deprecemur
Devote constantiam
Et constanter imitemur
Illius prudentiam,
Ut cum ipsa sublevemur
Ad coelestem gloriam.

7. Unitati, trinitati
Solvamus obsequia,
Ipsis quoque, numero quae
Sunt undecim milia,
Ut post cursum vitae sursum
Vivamus in gloria.

Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. B. — 3, 1 fehlt der Reim; lies speratur? — 3, 6 Damna A. — Str. 4 fehlt; die Strophenfolge dürfte überhaupt gestört und Str. 3 hinter Str. 5 zu stellen sein. — 5, 2 Tyrannis B. — 5, 5 Fides A. — 7, 3 Ipsi B.

465. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Voce, mente, laetabundo
Cordis domicilio
Deo dignos promat hymnos
Nostra praesens concio
Undenarum millenarum
Virginum martyrio.

2. Quae tenentes integralem
Corporis munditiam
Servaverunt virginalem
Mentis pudicitiam,
Ut intrarent aeternalem
Cum sponso ad gloriam.

3. Nam prudentes providentes
Oleum lampadibus
Intulerunt et steterunt
Vigiles in laudibus,
Ne delusae sint exclusae
Cum stultis virginibus.

4. Mundi mare puellare
Transiens collegium,
In quo cautae Deo nautae
Non timent naufragium,
Quae scandentes Petri navem
Jam sequuntur Dominum.

5. Sic per mare navigando
Venerunt Coloniam,
Austro flante tenuerunt
Regionem coelicam
Sustinendo paganorum
Ictus et saevitiam.

6. Nolunt enim assentire
Horum voluptatibus
Contemptisque spretis ipsorum
Pravis et erroribus
Submiserunt ensi dirae
Colla cum cervicibus.

7. Ergo, Christe, spes tuorum,
Vita, salus omnium,
Nos concedas ad illarum
Pervenire gaudium,
Quae perennem meruerunt
Vitam per martyrium.

8. Unitati, trinitati
Solvamus obsequia,
Ipsis quoque, numero quae
Sunt undena milia,
Ut post cursum vitae sursum
Vivamus in gloria.

Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. B. — 1, 3 promat rhythmos B. — 2, 1 Quem B. — 3, 4 in laudibus fehlt B. — 4, 3 Deo natae B. — 5, 3 sq. flante regionem oceani tenuerunt B. — 6, 3 eine Silbe zu viel; lies horum? — 6, 6 Collaun cum B. — 7, 5 Quem perennem B.

466. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Laetabundus psallat mundus
Virginum praeconia,
Quarum vita fulsit ita
Supernorum gratia,
Ut secure mortis durae
Subirent supplicia.

2. Stirpe clara Deo cara
Ursula Britannica,
Cum undenis ac millenis
Mundi sprevit lubrica,
Christum sponsum, cum coronis
Regna tenent coelica.

3. Mundus mundum hunc immundum
Chorus spernit virginum,
Nec de mundo tam immundo
Corruptelam criminum
Contraxere, sponsae verae
Sponsum habent Dominum.

4. Ergo chorum tam decorum
Junctum coeli civibus
Veneremur et precemur
Cum hymnis et laudibus,
Ut in coelis plebs jungatur
Christi cum virginibus.

5. Unitati, trinitati.

Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333 B. — 2, 5 Tempore Christum sponsum cum coronis B. — 3, 3 tam immundo fehlt A. — 4, 4 hymnis et ehlt B.

467. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Amore Christi nobilis
Chorus sacrarum virginum
Lactis miscetur jubilis
Angelicorum agminum.

2. Candore vincens lilium
Ex decore virgineo,
Ex virtute martyrii
Rubore fulget roseo.

3. O virgo prudens Ursula,
Quae virginum exercitum
Collegit cura sedula
Christoque fecit subditum.

4. Beatae quoque virgines,
Ursulae tractae monitis,
Ad angelorum ordines
Miris transvectae meritis.

5. Omnipotenti Domino
Sit honor et imperium,
Qui vitam sine termino
Nobis donet coelestium.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. — 2, 2 Et decore. — 5, 4 donet imperium.

468. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Affert nobis laetitiam
Puellarum victoria,
Qua vicerunt saevitiam
Mundi carnisque vitia.

2. Tenent palmas in manibus
Triumphalis martyrii
Carmenque sonant vocibus
Virginalis praeconii.

3. Electa congregatio
Sprevit carnis connubia,
Aeterni patris filio
Nupta coelesti gratia.

4. Reginam coeli sequitur
Laudans immenso gaudio,
Cujus fructu reficitur,
Felici fruens bravio.

5. Regi regum sit gloria,
Qui nos sanctarum virginum
Prece ducat ad gaudia
Angelicorum ordinum.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186.

469. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Magnificemus Dominum,
Qui sibi nova gratia
Sanctissimarum virginum
Junxit undecim milia.

2. Ad Ursulae conveniunt
Laudabile consortium
Virgines, a qua capiunt
Fidei magisterium.

3. Gratia Christi comite
Junctis sibi praesulibus
Summo quoque antistite
Obviam pergit hostibus.

4. Nam ad urbem Coloniam
Dum Christo duce properant,
Sumunt triumphi gloriam,
Prout edoctae fuerant.

5. Uni Deo sit gloria
Pro munere multiplici,
Qui virginum in patria
Det nos concives effici.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186.

470. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Coelum resonet laudibus
Sacrum gerens tripudium,
Cujus undenis milibus
Christus auget consortium.

2. Pulcher hodie virginum
Coetus migrans e saeculo
Adhaeret luci luminum
Fracto carnis ergastulo.

3. Coeli venter eburneus
Decore pictus vario,
Harum morte purpureus,
Virginum candet lilio.

4. Regali sata sanguine
Virgo processit Ursula,
Divino plena lumine,
Regis aeterni famula.

5. Deposcit virgo virginum
Coetum meritis inclitum
Quarum est apud Dominum
Merces magnumque meritum.

6. Uni patri cum inclito
Honor, virtus et gloria,
Cum spiritu paraclito
Saecula sit per omnia.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182) C. — 5, 2 Coetum mentis judicium C.

471. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. O dive pater optime,
Nobis qui nubis filium,
Pio nos vultu respice
Sacrarum prece virginum.

2. Jesu, tu splendor mentium,
Sponsus et dulcor Ursulae,
Sis nostrum refrigerium
Nostrae conjunctus animae.

3. Spiritus alme fervide,
Donis qui ditans optimis
Milia sacrasti hodie,
Infunde ignem intimis.

4. O virgo, martyr Ursula
Cum tua turba ovium,
Devota prece sedula
Nobis placate Dominum.

5. Patri, natoque flamini
Sit sempiterna gloria,
Tali nos jungens agmini
In saeculorum saecula.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). C. — 2, 1 Jesu insplendor A. — 3, 2 qui dotans oppimis AB. — 4, 2 turba omnium AB. — 5, 3 Lies jungat?

472. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Hae sunt adolescentulae,
Quae nimis Christum diligunt,
Pro Christo Christi famulae
Corpus tormentis subigunt.

2. Albis vallatae choreis
Coeli petunt fastigia
In vestimentis aureis
Cum triumpho et gloria.

3. O quam felix commercium,
Pro terrenis coelestia,
Contemptu mundialium
Coeli mercantur gaudia.

4. Coelestis nempe curia
Gratanter his obsequitur,
Sponsus decorus gloria
Sponsas sacras amplectitur.

5. Harum placatus precibus
Cuncta depellat noxia
Nosque cum coeli civibus
Ad coeli ferat gaudia.

6. Uni patri cum inclito
Honor, virtus et gloria,
Cum spiritu paraclito
Saecula sit per omnia.

Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. B. — Brev. ms. Praedicat. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). C. — 2, 2 petunt vestigia.

473. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. O dies, dies virginum,
Dies dierum gloria,
Qua nova laus initium,
Finem capit miseria.

2. Quis digne fari poterit
Tot virginum praeconia,
Solius cum supererit
Laudis referre debita?

3. Hujus cohortis Ursula
Devota primiceria,
Percepta mente sedula
Diva tractat mysteria.

4. Instructis hinc sodalibus
Decursus sui termino
Velle fit unum omnibus,
Virtutum jungi Domino.

5. Sit patri sponsi virginum
Ipsique sponso gloria,
Cum spiritu qui gaudium
Hic donet et in patria.

Hymn. ms. S. Agnetis Bonon. saec. 14. Cod. Bonon. b I 16. A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Univ. Bonon. 2685. B. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. L I 83. C. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Marcian. ZL 160. D.

474. De sancto Venerio.

Ad Vesperas.

1. Solemne festum gentibus
Cleri canat modestia,
Beatus est Venerius
Quo ductus ad coelestia.

2. Qui vicit in scientiis
Sibi coaevos, pomulis
Tyri Deo deserviens
Solisque vixit herbulis.

3. Agrestius cum hordeo
Sancto ligonem dirigit,
Mox septies sextarius
Decem satus reporrigit.

4. Draco fugit, celat petra
Corvusque luco nutriit,
Tribusque vitam mortuis
Deus per illum praebuit.

5. Patri sit atque filio
Paraclitoque flamini
Laus, qui dedit Venerio
Regno superno perfrui.

Proprium Regiense inf. Regii 1567.

475. De sancto Victore.

Ad Nocturnum.

1. Aeterno regi gloriae
Vocem demus cum laudibus,
Qui coronavit hodie
Victorem, nostrum praesulem.

2. Victor fuit in omnibus
Operibus et nomine,
Convertit multos fidei,
Cunctas evellens haereses.

3. Antoninum praenostica,
Sanctus praesul praedixerat,
Isto quoque in tumulo
Me sanctior locabitur.

4. Praesul Victor sanctissime,
Funde preces ad Dominum,
Ne pro reatu criminum
Poenis quassemur tartari.

5. Audi gementes, Domine,
Relaxa nobis scelera,
Nobis confer auxilium
Hujus precatu praesulis.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui es corona praesulum,
Nobis medelam tribue,
Ut nos ducas ad superos.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placentin. 18.

476. De sancta Victoria.

Ad Vesperas.

1. Virginis Christi merita beatae
Martyris nec non Victoriae sacrae,
Socii, simul colite devote
Deum laudantes.

2. Quae fido corde suam castitatem
Conjuge spreto monitis sacratae
Collegae suae Anatoliae docta
Obtulit Deo.

3. Suis nam gazis egenis tributis
Perosa sponso dehinc facta suo,
Severa mente praediis squalidis
Exsulem fecit.

4. Adfuit sibi ab illo solamen,
Qui nunquam in se deserit sperantes,
Incolis illis adnotavit eam,
Quibus faveret.

5. Quorum rogatus furvo hinc de antro
Expulit anguem, a quo arcebantur,
Rapido cursu extra illis factus
Virtute Christi.

6. Post hinc per trinos annos in divinis
Laudibus vacans virginibus gregatis,
Quas et instruxit studiis, in quibus
Beari queant.

7. Torvus deinde spiculator adit
Eam precatu adlocutus sponsi,
Ut ad culturam numinum fandorum
Mentem mutaret.

8. Imperiali jussu ensem dextra
Laevaque gestans, monstrum exsecrandum,
Quo sanctam spreto illico percussit
Infelix illam.

9. Sicque ad coeli moenia volavit,
Martyrum choro pie socianda.
Virginum sertis simul inserenda,
Martyr opima.

10. Gloria Deo, qui ubique potens,
Gloria nato simul atque sancto
Spiritui sit omnia per saecla
Hic et in aevum.

Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod Roman. 175. Farfen. 4. A. — Hymn. ms. Farfensis saec. 11. Cod. Turicen. Rhenov. 82. B. — 2, 3 collegi B; — Anatholiae AB. — 4, 4 foveret AB. — 5, 1 Lies artabantur? — 7, 4 Mente B. — 8, 3 sancta B. — 9, 2 sociandam B. — Aus B bei Morel 322 und Werner 121.

477. De sancta Victoria.

1. Jam festa fulgent aurea,
Quae palma compsit inclita,
Salvo pudore candida,
Fuso cruore fulgida.

2. Victorias Victoriae
Christi canamus milites
Et virginis certamina
Pangamus almae fortia.

3. Haec virgo missam virginem
Moecho pudicam dedere,
Non esse crimen autumans
Proci pati connubia.

4. Quod sprevit Anatolia
Christo pudorem dedicans
Docetque sic Victoriam
Sponsi cavere copula.

5. Imbuta sacro famine
Tunc castitas Victoriae
Calcavit mundi lubrica
Et sanguinis dispendia.

6. Te, Christe, hujus sedula
Solum dilexit caritas,
Te concupivit anxia,
Tormenta risit promptula.

7. Non urbis hanc seclusio,
Carcer, fames, metus, furor
Nec separarunt omnia
A te, Deus, supplicia.

8. Hujus, precamur, meritis
Culpae solutis vinculis
Aeterna dones praemia
Per saeculorum saecula.

Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod. Roman. 175. Farfen. 4. A. — Hymn. ms. Farfensis saec. 11. Cod. Turicen. Rhenov. 83. B. — 1, 3 Salva AB. — 2, 2 Christo B. — 4, 1 Anatholica AB. — 4, 2 pudore A. — 5, 1 lies flamine? — Aus B bei Morel 321 u. Werner 122.

478. De sancto Victorino.

In 1. Vesp. et Noct.

1. Pange, lingua, gloriosi
Praesulis praeconium
Martyrisque pretiosi,
Quo rex pius gentium,
Fructus ventris generosi,
Illustrat Assisium.

2. Lumen ex Assyriorum
Orbem clari sideris
Genti pandit Italorum,
Lux paterni luminis,
Caecam ducens hanc errorum
Ad lucem de tenebris.

3. Ad nos praesul praedicator
Victorinus mittitur,
Novae legis novus lator,
Dum pro fide moritur,
Verus gregis speculator
Speculumque cernitur.

4. Per hunc fide roboratum,
O felix Assisium,
Da datoris laudis datum,
Cordis prome jubilum,
Quo ductore illustratum
Iter scandis regium.

5. Martyr, cujus est jucundum,
Nomen in ecclesia,
Languescentem fove mundum
Coelesti fragrantia,
Levans lapsos in profundum
Pia per suffragia.

6. Gloria, laus et majestas
Patri sit ingenito,
Honor, virtus et potestas
Patris unigenito,
Procedenti ab utroque
Compar sit paraclito.

Brev. ms. S. Francisci Assisien. saec. 14. Cod. Assisien. 426 (6). — 1, 4 Quem rex pius. — 1, 6 Illustra.

479. De sancto Victorino.

Ad Laudes.

1. Victorini confidentes
Virtutum prodigia
Caecos sanant et languentes
Expellunt daemonia,
Sanos reddunt, quorum mentes
Evertit insania.

2. Caeco nato sputi luto
Frui dedit lumine
Et quinquenni lingua muto
Verbo laxat famine,
Naufragantes portu tuto
Strato sistit aequore.

3. Hunc ardentis non cremavit
Fornacis succensio,
Nam quem Christus conservavit
Foris ab incendio,
Coxit intus et purgavit
Fidei devotio.

4. Non est morbus, quem non curet
Per hunc Christi gratia,
Si curandi cor comburet
Fidei constantia
Et sanandum non obduret
Tarda diffidentia.

5. Martyr tandem decollatus
Finito certamine
Sui moras incolatus
Sparso verbi semine
Claudit, coelos laureatus
Fuso scandens sanguine.

6. Victorini collaudantes
Virtutum insignia
Cordis ei praesentantes
Et oris obsequia,
Jesu, transfer exsultantes
Ad coeli palatia.

7. Gloria, laus et majestas.

Brev. ms. S. Francisci Assisien. saec. 14. Cod. Assisien. 426 (6).

480. De sancto Victorino.

In 2. Vesperis.

1. Laetus dies revertitur
Victorini martyrio,
Sacri dum rota vertitur
Solis obliquo circulo.

2. Surgens, plaudens, Assisium,
In martyris praeconia
Mentis expone jubilum,
Laudis depromens cantica.

3. Novum sidus claruit
Snperno tibi munere,
Quo vetus error vanuit
Jam lucis orto sidere.

4. Victorinus, vir inclitus,
Suo respondens nomini,
Carnem dat legi spiritus,
Mundi victor et vitii.

5. Hunc nutu Dei praevio
Transmisit huc Assyria,
Ut te trahat a devio
Coruscans per prodigia.

6. Sputi caecum ab utero
Luto dat frui lumine,
Quinquenni linguam puero
Diserto laxat famine.

7. Dum sanctus inter verbera
Persistit constans, humilis,
Hunc ferientis dextera
Mox redditur immobilis.

8. Fervore comptus spiritus
Carnis devicto vitio,
Foris servatur coelitus
Fornacis ab incendio.

9. Tyranni tunc imperio
Lictoris manus impia
In sanctum fervens gladio
Beata finit proelia.

10. Sic sparso verbi semine
Victorini victoria
Pro felici certamine
Coeli potitur gloria.

11. Nos martyris memoriam
Colentes et praeconia,
Jesu, perduc in patriam
Per ipsius suffragia.

12. Pater, natus, paraclitus,
Quibus sit laus et gloria,
Sancti det hujus merito
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. S. Francisci Assisien. saec. 14. Cod. Assisien. 426 (6). — 2, 4 Laudes depromes. — 8, 1 coptus. — 11, 2 ut praeconia.

481. De sancto Victore.

Ad Vesperas.

1. Laudes immensas Christo referamus,
Qui dedit nobis festa celebrare
Sancti Victoris, ut pie vivamus
Ejus in fide.

2. Despexit mundum obscoenis cum pompis,
Ut summi regis dogmata requirens,
In templo Dei ut lucerna fulgens
Semper arderet.

3. Affligens corpus veste cilicina
Frangebat panem pauperi mendico,
Ut mereretur cuilibet potenti
Fieri norma.

4. Tam sancti patris vitam imitemur,
Ut per exempla ejus gradientes
Non demus locum falsitati nequam
Perfidi hostis.

5. Fundamus preces Domino, dilecti,
Ut nos caducos caecitate mentis
Non sinat ullis hujus interventu
Concuti poenis.

6. Doxa perennis sit aeterno patri
Ejusque nato virtus ac potestas,
Pneumati sancto, quod utrique compar
Regnat in aevo.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placent. 18. — 3, 1 corpus ve cilicina. — 6, 3 sancti.

482. De sancto Victore.

Ad Laudes.

1. Ecce, dies clara
Confert nobis dona,
In qua Victor coelum
Scandit mente pura.

2. Linquens corpus terrae
Petis regna vitae,
Funde preces, alme,
Ut plebs cantet laudem.

3. Praesta, Christe, nobis
Ut fleamus culpis,
Scelus nostrum frange,
Nostri miserere.

4. Hujus almi patris
Vitam sacri moris
Sectemur, ut velox
Adsit nobis custos.

5. Felix sancte Victor,
Nobis sis adjutor,
Ne nos damnet judex
In die vindictae.

6. Summo patri decus,
Ejus nato virtus,
Spiritui almo
Honor et potestas.

Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placentin. 18. —

483. De sancto Vincentio.

Ad Vesperas.

1. Laetetur coeli regio,
Plebs hymnos cuncta resonet,
Solvantur ora laudibus,
Corda resultent precibus.

2. Vincentii victoriam
Narret omnis ecclesia,
Ejusque sit martyrium
Nobis solemne canticum.

3. Risit insanum judicem,
Armatum sprevit militem,
Tormentorum incendia,
Fide devota supplicans.

4. Hinc ira fervens acrius
Malignis aucta furiis
Mentem artabat impiam,
Christi torquere militem.

5. Nova perquirit genera
Poenarum atrocissima,
Quibus invicti martyris
Coronae gemmas inserit.

6. Quam mira Dei pietas,
Quam caecus furor praesidis,
Qui sic arte dissimili
Cooperantur martyri.

7. Honor aeterno numini,
Patri, natoque flamini,
Sit decus atque gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. Placentinum saec. 14/15. Cod. Capit. Placent. 21.

484. De sancto Vincentio.

Ad Laudes.

1. Vendit ille supplicia,
Christus redonat praemia,
Quaeque parat saevitia,
Fides vertit in gloriam.

2. Qua vivens martyr strenuus
Vicit levita saeculum
Nec cessit fractus crimini
Trophaea morte rapiens.

3. Novum genus victoriae
Deus egit in martyre,
Ut vitam morti subigens
Doceret vitam despici.

4. Vitam, precamur, conditor,
Tuam defunctis tribue,
Ut tibi vivant Domino,
Qui moriuntur saeculo.

5. Fer opem nobis miseris,
Lumen concede mentibus,
In viam pacis dirige
Quos redemisti sanguine.

6. Sis nobis in praesidium,
Qui es tutum refugium,
Splendens corona martyrum,
Vitae largire praemium.

7. Honor aeterno numini.

Brev. ms. Placentinum saec. 14/15. Cod. Capit. Placent. 21. — 1, 4 gloria. — 2, 3 cessit fructus.

485. De sancto Vincentio.

Ad Laudes.

1. Vincentii praeconia
Clerus depromat hodie,
Ipsum Christi clementia
Duxit ad thronum gloriae.

2. In coelesti hierarchia
Honor sit sanctis omnibus,
Nova sonet harmonia
In Vincentii laudibus.

3. Noster athleta Domini
Superavit immania
Et rem conformans nomini
Tormenta vicit omnia.

4. Cruciandus exponitur
In tormentis durissimis,
Martyris corpus scinditur
In poenis amarissimis.

5. Ecce, nudantur viscera,
Sanguis per membra defluit,
Coeli meretur munera,
Dum ejus cor concaluit.

6. Nobilis ejus spiritus
Candentes ferri machinas
Ultro conscendit, coelitus
Superans ferri laminas.

7. Tyrannus spargi testulas
Jussit in taetro carcere,
Sibi lucratus maculas
Sanctum ditavit munere.

8. Jesus, salvator omnium,
Tormenta hic durissima
Splendorem praebens nimium
Reddidit suavissima.

9. Vincens tormenta omnia
Portatur ad mollitiem,
Transit ad coeli gaudia,
Tyrannus ad perniciem.

10. Summo Deo sit gloria,
Vincentii qui precibus
Nos in superna curia
Coeli conjungat civibus.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 2, 2 fehlen zwei Silben; sanctis ergänzt.

486. De sancto Vincentio.

1. Ut digne possint resonare voces,
Effando carmen modulare tonos,
Tibi, o Christe, tribue famellis,
Conditor alme.

2. Martyris magni canimus trophaeum,
Vincenti, quem dum Dacianus atrox
Dure affligit, cruciando saeve
Mente maligna,

3. Fixus dum esset solidatus fide,
Christi repletur bonitate larga,
Tormenta ferens patienter cuncta
Corde praesago.

4. Oramus, martyr, sociate justis,
Ut nostra cuncta pereant delicta,
Crescant virtutes bonitate pia
Te supplicante.

5. Restituatur veniaque nobis,
Tuique omnis chorus monachorum
Post mortem carnis properemus coelum
Morte subacta.

6. Gloriam patri resonemus omnes.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Neapolitan. VI E 43.

487. De sancto Vincentio.

1. Deum virginis filium,
Pie martyr, propitium,
Vincenti, tua poscentibus
Redde festa colentibus.

2. Qui victo mortis principe
Ejusque strato milite
Victor sublimis hodie
Regna petisti patriae.

3. Tortor victus erubuit,
Ad Deum poena te ducit,
Augmentatur in gloria
Tibi poenalis machina.

4. Judex confusus aestuat,
Ira mentem exagitat,
Ultra nescit, quid faciat,
Sed se victum adjudicat.

5. Tu jam miles emeritus
Atque coronae conscius
Patris tendens ad solium
Dolores spernis vulnerum.

6. Ergo, miles emerite,
Nos ferre tecum satage,
Ut fieri participes
Coeli possimus gloriae.

7. Praestet pater et filius,
Praestet amborum spiritus,
Praestet verax et veritas,
Praestet beata trinitas.

Hymn. ms. c. Commento saec. 13. Cod. Mantuan. E I 14. — 1, 3 eine Silbe zu viel; lies tua precibus oder tu poscentibus?

488. De sancto Zacharia.

1. Christum laudemus hodie
Venerantes ipsum pie,
Sancti festa Zachariae
Celebrantes in hac die.

2. Zacharias est laudandus
Ac ubique praedicandus
Et a nobis adorandus
Maximeque venerandus.

3. Iste pater praecursoris
Non credendo salvatoris
Verbis perdit voces oris,
Nos defendat cunctis horis.

4. Pater, roga tuum natum,
Suum roget ut cognatum,
Dirigendo nostros status
Collocet ad dextrum latus.

5. Moniales, Zacharia,
Duc ad regnum recta via,
Ut cum virgine Maria
Laudent Christum vita pia.

6. Gloria sit ingenito
Ejusque unigenito
Simulque sancto flamini,
Qui regnat sine spatio.

Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. — 3, 1 Aestu pater. — 3, 3 perdis. — 6, 3 Lies flamini sancto?

489. De sancto Zenobio.

In 1. Vesperis.

1. Zelus aeternae pietatis orbem
Jam novis totum radiis refundit,
Laeta Zenobii recolenda festa,
Praesulis almi.

2. Emicat primum venerandus urbe
Pastor hic nostra velut inter astra
Lucifer magno nimiumque claro
Sanguine praestans.

3. Nomen at pulchrum generisque famam,
Gloriam laudis, decus et decorem
Moribus castis studiisque sanctis
Extulit ultra.

4. O pater clemens, tibi nec deesse
Lumen aeternum potuit profecto,
Tanta quo fertur valuisse crebro
Mira patrare.

5. Bella tu primus veniens inisti
Regias aedes Damasi minister,
Tunc ubi dirum scelus expiasti
In deitatem.

6. Inde quis digno referat cothurno,
O pater, quantis sine lege signis,
Dum quidem mundo Dominoque vivis,
Enituisti?

7. Ventre detrusos Acherontis atri
Lucis expertis iterum diurnae
Atque divinae facis urbe Floris,
Inclite pastor.

8. Sancte nunc ergo pater atque praesul,
Alme Zenobi, populo fideli
Sis pius, nam te generosa poscit
Florida proles.

9. Sit salus illi, cujus in excelsis
Dextra locavit animam Zenobii,
Nosque membrorum voluit custodes
Esse suorum.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. add. saec. 15. A. — Antiph. ms. Florentinum saec. 15. Cod. Laurentian. Aedil. 148. B. — 1, 1 Celus aeternae AB. — Mel.: Iste confessor.

490. De sancto Zenobio.

Ad Vesperas.

1. Laetetur urbs Florentia
Tanti patris custodia,
Ad cujus mox imperium
Vanescit pugna daemonum.

2. Quidam puer Italicus
Tanto perustus febribus,
Ut nocte quater decies
Ei potus vix sufficeret;

3. Cujus mater obsequio
Adeo fessa taedio,
Quod haustum cum porrigeret,
Zabulum bibe, diceret.

4. Ad cujus mox imperium
Non tardat daemon pessimus,
Sed intrat matris filium,
Eum vexat atrocius.

5. Qui cum ad sanctum ducitur
Magno vigore juvenum,
Statim exivit pessimus
Foetore sat teterrimo.

6. Te, summe Deus praesulum,
Precamur, spes fidelium,
Ut tuis sanctis precibus
Nos jungas coeli civibus.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 117. B. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. C. — 4, 4 attentius AB. — 6, 4 jungat B.

491. De sancto Zenobio.

Ad Nocturnum.

1. Almi patris Zenobii
Laudes canamus, socii,
Qui claro ortus genere
Urbi praefulget regiae.

2. Cujus vita mirifica
Fertur a pueritia,
Quem signis ac virtutibus
Sacer ditavit inclitus.

3. Cum esset hic infantulus,
Philosophiae traditur,
Legis norma, quam didicit,
Vitae nitore claruit.

4. Fit castitatis cingulo
Et caritate splendidus,
Quem virtus abstinentiae
Sacro ditavit schemate.

5. Defuncto urbis praesule
Omnes in unum pariter
Zenobium episcopum
Matris conclamant gremio.

6. Tandem Dei spiramine
Urbis conscendit apicem,
Ubi ad instar sideris
Miris resplendet mysticis.

7. Cum saepe in ecclesia
Ambrosiana vigilat,
Ambrosium, quem diligit,
Secum orare conspicit.

8. Mortis claustra post reserat,
Nam puerum resuscitat,
Quem matri tradit unicum,
A qua sumpserat mutuo.

9. Non multo post curriculo
Alium donat civibus
In portae urbis medio,
Quae respicit septentrio.

10. Hic Elisaeo similis,
Qui duplicem promeruit
Magistri pii spiritum,
Cum curru vectus igneo.

11. Gloria sit altissimo
Patri et unigenito
Una cum sancto spiritu,
Deo et individuo.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 117, bis, B und C. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. D. — 1, 1 patri B. — 2, 4 Lies ditavit spiritus? — 4, 4 stemmate B, stigmate C. — 8, 1 Horti claustrum D; reserans AC, reseras C. — 10, 1 Hoc Elisaeo AC, Haec B. — 10, 4 vetus igneo BC, Provecti curru igneo D, wohl Korrektur.

492. De sancto Zenobio.

Ad Laudes.

1. Psallat chorus fidelium
Sacra die in jubilo,
In qua beatus pontifex
Coeli conscendit apicem.

2. Hic salvatoris semitam
Dum fertur ad basilicam,
Arbor, quam lectus attigit,
Cunctis coram effloruit.

3. Hanc virga Aaron florida
Praemonstravit in saecula,
Quam haec secuta nobilis,
Sacellum mox ut tetigit.

4. Cum vero portae jungitur,
Non permittit introitum,
Donec bis seni clerici
Sint deputati praesuli.

5. Dein Dei clementia
Tumba locatur saxea,
In qua mira quotidie
Non cessat signa facere.

6. Gloria sit altissimo
Patri et unigenito
Una cum sancto spiritu,
Deo et individuo.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. — Cod. Laurentian. Aedil. 117. B; 2° add. saec. 15. C; 3° D. — 2, 1 Hunc salvatoris ABCD, semita B; lies inclitam? — 3, 1 Hinc virga BC, Hoc D. — 3, 3 Quam lex secuta B. — 5, 2 Tumba vocatur B.

493. In Translatione s. Zenobii.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosi
Praesulis praeconium,
Cujus festo dulcorosi
Meli fluant cordium,
Nos ut patris generosi
Juvet patrocinium.

2. Se absentans a pressuris
Gentium Zenobius
Laurentinis in clausuris
Habitat devotius,
Ubi plenus gestis puris
Vitam finit dulcius.

3. Se ibidem tumulari
Mitis pater annuit,
Pompam spernens hospitari
Secum sponsam renuit,
Sic meretur amplexari,
Filia quem tenuit.

4. Sponsam diu viduatam
Restaurari justum est,
Dare gemmam amplexatam
Filiae jam interest,
Sponsam sume nunc translatam,
Tene semper, tua est.

5. Ulmum siccam qui florere
Facis in frigoribus,
Culpis siccos fac virere,
Pater, probis moribus,
Ut possimus te videre
In coelorum floribus.

6. O ecclesia da Christo
Florentina gloriam,
Restituto sponso isto
Decus et victoriam,
Celebrante clero misto
Plebi hanc memoriam.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 117. add. saec. 15. B. — 1, 4 Melli fluent AB. — 3, 1 Te ibidem B. — 5, 1 Hulmum AB. — 5, 4 Pro nobis moribus B. — Mel.: Pange lingua.

494. In Translatione s. Zenobii.

Ad Nocturnum.

1. A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem
Laudemus hunc antistitem
Cohortis coeli comitem.

2. Cujus translato corpore
Ditamur isto tempore
Florente ulmo frigore,
Quod signat crux de marmore.

3. Hanc ornans residentiam
Zenobii praesentiam,
Valere fac Florentiam,
Repellens pestilentiam.

4. Hoc pater det ingenitus
Ejusque unigenitus
Conregnansque paraclitus,
Qui spirat mentes coelitus.

5. Gloria sit altissimo
Patri et unigenito,
Sancto simul spiritui,
Deo indivisibili.

Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Laurentian. Aedil. 131. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Laurentian. Aedil. 117. add. saec. 15. B. — 1, 1 ortu AB. — 2, 3 hulmo AB. — 3, 2 Lies Zenobii per praesentiam.

495. De sancto Zenobio.

1. O flos colende praesulum,
Fidelium cor recrea,
Reple tuam coelestibus
Odoribus Florentiam

2. Praeclara postquam dixerat
Te civitas antistitem,
Spernis fugisque patrias
Desideratus infulas.

3. Sed sacra pastor munera
Obire jussus incolis,
Virtute praestas omnibus,
Gratus Deo et mortalibus.

4. Divina praebes pabula
Potu ciboque temperans
Fidemque concionibus
Miraculisque provehis.

5. Possessa dudum crimine
Tu voce corda liberas
Et, vita quos reliquerat,
Vocas in auras luminis.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Dieser Hymnus ist aus Anlafs der s. g. dritten Translation des Heiligen gemacht, die unter Cosimus III. von Medici 1685 stattfand. Leider ist der Autor mir unbekannt geblieben. Vgl. Prezzolini, Vita di San Zenobio. Firenze 1853. p. 341.

496. De sancto Zenone.

1. Zeno, pontifex inclite,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris vocibus,
Quae pie tibi fundimus.

2. O gloriose patrone,
Nostrae salutis opifex,
Ut digne demus cantica,
Nostra disrumpe crimina.

3. Adesse tuis famulis
Dignare, dux amabilis,
Sentiant nostra pectora
Semperque tua numina.

4. Tu es nostrum refugium.
Tu robur potentissimum.
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.

5. O pastor pie et clare,
Nobis benigne succurre
Nosque supplices respice,
Vota servorum suscipe.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Hymn. ms. Veronense saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109 (102).

497. De sancto Zenone.

Ad Vesperas.

1. Effulget orbis speculum,
Zeno, praesul mirificus,
Cujus festa solemnia
Anni nobis fert orbita.

2. Qui Christi fide fervidus
Ac praesens spernens saeculum,
Flore virtutum praeditus
Coeli possedit praemium.

3. Hic onus carnis bajulans
Plura fecit miracula,
Ut floret lux clarissima,
Caecas fugavit tenebras.

4. Nempe piscans in flumine
Vidit plaustro praecipite
Cum bubus suis rusticum
Ad amnis ima mergere.

5. Quod hostis hoc nequissimus
Patrasset cernens vir pius,
Preces fudit ad Dominum,
Ejus poscens auxilium.

6. Subvenit Christi gratia,
Quae se credentes munerat,
Ac liberavit hominem,
Reddens saluti pristinae.

7. Deo patri sit gloria.

Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis s. n. A. — Psalt. ms. S. Zenonis saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). B.

498. De sancto Zenone.

Ad Nocturnum.

1. Post haec curavit filiam
Imperatoris unicam,
Quam fecerat hospitium
Daemon sibi tunc pessimus.

2. Athesis amnis alveus
Excrescens ultra solitum
Conscendit ad eximium
Ecclesiae fastigium.

3. Confestim fulgent merita
Nostri sancti dignissima,
Nam mansit aqua solida,
Cum sit natura fluida.

4. Precamur ergo supplices,
Zeno, praesul sanctissime,
Ut coeli nobis Dominum
Efficias propitium.

5. Quo post abluta crimina
Fruamur ejus gloria,
Habituri felicia
In aeternum solemnia.

6. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis. A. — Psalt. ms. S. Zenonis saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). B. — 2, 1 Atthasis AB. — 5, 3 Habitura A.

499. De sancto Zenone.

Ad Laudes.

1. Praesulis sancti redeunt colenda
Festa Zenonis, Dominum sequentis,
Qui diem nobis celebrem sacravit
Fine beato.

2. Magnus excelsi fuerat sacerdos,
Praedicans gentes bene transmarinas,
Inde Veronam Deus hunc ad urbem
Mittere curat.

3. Qua Deum multum populum lucratus
Instruit verbis, solidavit actis,
In Deo tandem patiendo mortem
Vivit in aevum.

4. Nunc in aeternum meritis coruscat
Clarus et mundo manifestus omni,
Qui Deo soli studuit placere
Corpore vivens.

5. Pastor aeterno radians triumpho,
Servulos audi tibi supplicantes,
Praemium justis, veniam deposce
Crimine lapsis.

6. Quo Dei magna miseratione
Ordinem coeli decimum replentes
Ipsius vultum videamus omni
Tempore saecli.

Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. S. Zenonis s. n. A. — Psalt. ms. S. Zenonis Majoris saec. 15. Cod. Veronen. (Commun.) 800 (745). B. — Brev. ms. S. Zenonis saec. 15. Cod. Monacen. 23143. C. — C hat nur die drei ersten Strophen und die halbe vierte. — 2, 1 Agnus C, excelsus A. — 2, 2 penetrans marinas A. — 2, 3 hunc ad urbem Deus C. — 4, 1 aeternis C. — 4, 2 mundo mirifica manifestus C. — 4, 3 Omnique Deo C. — Mel.: Iste confessor.

509. De sancto Zenone.

1. Audiant principes, audiant populi,
Quanta peracta sunt de sancto homine.

2. Benignus ac mitis Zeno episcopus
Confessor Domini et pastor populi.

3. Castus permanserat Zeno episcopus,
Sedens in lapidem, piscans in Adise.

4. De contra conspicit boves cum plaustro,
Simul et hominem mergentem in flumine.

5. Elevans oculos fecit signaculum:
Retro te, Satanas, ne lucres animas.

6. Fortiter exclamat quam voce maxima,
Quam vocem maximam daemon praedixerat.

7. Gyrans gyravi per ignotas patrias,
Proque me non licet lucrare animas?

8. Hejulans et clamans de alto nimio
Usque ad solium imperii filia.

9. In quam ingreditur in casto corpore.

* * * * * * * * * * * * * * *

10. Kasta permanserat imperii filia,
Usque ad solium Zenonem invocat.
11. Laesus ego fui de isto corpore,
Si Zeno venerit, quam daemon exiet.
12. Misit milites per ignotas patrias,
Quaerere hominem Zenonem nomine.
13. Omo in lapidem, piscans in Adise,
Tu nobis indica Zenonem nomine.
14. Plures sunt nomine per monasteria,
Nam si vult dicere, hic est, quem quaeritis.
15. Quid dicimus [ei] aut quid tabescimus,
Jussionem imperii proque non dicimus?
16. Rogat te imperium, ad se te convocat
Pro sua filia, quam daemon suffocat.
17. Tunc daemon exclamat per ora infantulae:
Zeno jam prope est, et ego fugio.
18. Venit episcopus, virum sanctissimus,
[Fecit] signacula, fugat phantasmata.
19. X; festino ante te, Veronam veniens
Ibique invenies stantem in plateis.
20. Y; cristallo dixit in auro posito:
Corona imperii donetur medico.
21. Zeno episcopus audiens populi
Destruxit idola, fecit basilicas.

Cod. Capit. Veronen. 90 saec. 9. — 1, 1 Audient principes audient. — 2, 1 Benignus amitte. — 4, 1 boves cum in plaustro. — 6, 1 quam vocem maxima. — 6, 2 vocem maxima; Ditographie? — 7, 2 Proque kommt weiter unten wieder vor, wieder im Sinne von quare. — 11, 2 quem daemon; bezieht sich doch wohl auf das Mädchen: ego, quam. — 12, 1 Misit militibus, wodurch eine Silbe zu viel; vgl. 7, 1. — 13, 1 Adisem; vgl. 3, 2. — 14, 1 sq. Sinn: Es giebt viele dieses Namens; wenn ihr sagt, was ihr wollt, sage ich euch: ich bin der, den ihr sucht; lies: Si vultis dicere? — 15, 1 lies tacebimus. — 15, 2 proque vgl. 7, 2. — 16, 1 Rogate. — Nach Str. 16 ist eine Str. mit dem Buchstaben S ausgefallen; dieselbe mufste erzählen, dafs Zeno den Boten vorausgeeilt. — 18, 2 Fecit zu ergänzen; Sinn: er machte das Kreuzzeichen; lies: signaculum? vgl. 5, 1. — 19, 1 sq. sind in der Hs. total verdorben:

X festinantibus adhuc in Veronam veniens
Inveni veniebat impio stantem in plateis.

Die Str. umschreibt, was die Vita mit den Worten erzählt: „At ille [daemon] publica voce coepit clamare: Etsi hinc a te fuero expulsus, eo Veronam, ibique invenies me.“ Was im Texte steht, ist eine aus manchen möglichen Konjekturen. — 20, 1 in austro posito; Cristallum in auro positum, Edelstein auf dem Goldreifen, ist wohl als Umschreibung für corona zu fassen; so waren in der That die Kronen jener Zeit beschaffen, aus der dieser Hymnus stammen dürfte. — 20, 2 donectur. — 21, 2 idolas. — Zum Verständnisse dieses in seiner barbarischen Brachylogie charaktervollen Liedes vgl. man die Vita Acta SS. April II, 70 u. f., der der Hymnus schrittweise folgt.

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Ab hac vitatus audiens	166
Accepta Paulus gratia	219
Ad coeli regnum scandere	258
Ad Domini praeconium	84
Adest dies alma quies	61
Adest dies laetitiae	138
Adest en turba populi fidelis	63
Adesto sancte spiritus	190
Ad gloriosi praesulis	170
Ad hujus festa martyris	24
Ad laudem Marthae virginis	185
Ad laudem summi principis	70
Ad martyris Mercurii	202
Ad patris decus optimi	244
Ad salutem fidelium	192
Adsunt festa laetitiae	76
Aeterna nutu bajulans	35
Aeterna semper trinitas	99
Aeterne rex altissime Donum	242
Aeterno regi gloriae Canamus	217
Aeterno regi gloriae Dulce	194
Aeterno regi gloriae Vocem	280
Aeternus sol resplenduit	181
Affert nobis laetitiam	277
Agmina sacra virginum	102
Alexander martyr Dei	24
Alexandri militis	23
Alma dies rutilat tota	230
Almae virginis Firminae	103
Almi festi periodus	34
Almi patris Zenobii	289
Almus sanctum ditaverat	16
Altipotenti debitas	163
Ambrosi decus praesulum	25
Ambrosi sidus aureum	26
Amore Christi fervidi	258
Amore Christi nobilis	277
Anglorum jam apostolus	118
Annae beatae virginis	32
Annalis ecce orbita	152
Anna mater matris	34
Ansani vita	37
Anselme praesul inclite	37
Antistes Syrus veniens	262
Antonini solemnia	39
Antra saltus petit altus	42
A partibus occiduis	159
Apollinaris martyris	43
Apostolorum nobili	188
Ardet intactae faciem puellae	18
A solis ortus cardine	291
Athleta Christi belliger	173
Auctorem sui nominis	94
Audiant principes audiant	293
Augusta nunc Praetoria	150
Augustine lux doctorum	49
Augustinus deificus	49
Aula coelestis gratuletur	89
Aulae coelestis gloria	96
Aula mundatur sordibus	109
Aurea luce rutilat	200
Aureo solis radio perenni	54
Aurorae fulgur radiat	88
Aurora fulget aurea	209
Auxit errorem nubilo	47
Ave fulgens stella	140
Ave praesul pie	265
Babillae festum colere	50
Beata martyr Christi	214
Beato protomartyri	259

	Seite
Benigne Deus precibus	236
Benigni sacri merita	57
Benigni sancti martyris	56
Bertulphus vir egregius	60
Birgitta pacis famula	65
Blanda prece deposcamus	37
Brigidam ecclesia	67
Caeditur tandem miseris	252
Calogerus pater verus	69
Canentes cordis jubilo	71
Cantemus totis viribus	59
Cantet Clementis martyris	77
Cantibus dignis modulis	245
Carnem longis jejuniis	233
Celebri festo Grati confessoris	117
Cerne redemptor vita beatorum	89
Chori nostri praeconium	42
Chorus fidelium coetus	124
Christe qui Marthae precibus	187
Christe qui regis Israel	48
Christe redemptor omnium Conserva	17
Christe redemptor omnium Exaudi	250
Christe rex regum pretium	252
Christe tuorum robur athletarum	246
Christi caterva pervigil	106
Christi fideles milites	78
Christo laudes eximiae	211
Christophorus qui decorus	74
Christum laudemus hodie	287
Christum sequendo magnum	80
Cives exsultant coelici	143
Civitas alta supra montem	114
Clarum puellae meritum	237
Clarum sidus justitiae	199
Clerus psalle plebs jubila	256
Coeli celant gloriosum	147
Coeli cives assidue	121
Coeli cives applaudite Et vos	250
Coeli cives applaudite Mundi	181
Coelorum regi psallite	182
Coelum resonet laudibus	278
Coelum tellus ac maria	27
Collaudemus eximium	118
Collaudemus venerantes	127
Concinat altithrono vox	27
Concinat plebs fidelium	227
Confer alternis personare vocis	40
Confessorem et pastorem	117
Congaudentes celebremus	70
Congaudentes gaudent gentes	10
Congratulamur hodie	30

	Seite
Contra mundi illecebras	212
Corda pie perfundantur	270
Corde devotis laudibus	69
Coruscat hic miraculis	94
Creator rerum omnium	163
Cui fidelis populus	114
Cum nobili tripudio	14
Daniel martyr nemine	81
Decus et norma omnium	83
Defensor noster inclite	98
Demum pervenit Melsulam	31
Depulso mentis nubilo	193
Depulso mentis nubilo	222
Deum virginis filium	287
Deus aeterne famulos	187
Deus respectu gratiae	211
Deus sanctam ecclesiam	64
Deus tuorum militum salus	260
Dies aeternae gloriae	13
Dies refulget nimius	234
Dies reluxit hagia	76
Dies sacratus inclito	40
Dies vergens ad occasum	271
Digne sepulto fulgido	38
Digni patris et doctoris	126
Dindima nostra citro	30
Diri tortores feriunt	159
Diva virgo Domitilla	86
Donatus clarus genere	88
Dragmae repertae coelitus	93
Dum corpus ad basilicam	264
Dum sphaera coeli volvitur	43
Ecce dies clara	284
Ecce dies rediit jubili	207
Effulget orbis speculum	292
Elisus a daemonio	254
Emicat ecce dies lucida	195
En dies venit celebranda cunctis	161
En dies venit celebranda cunctis	251
En gratulemur hodie	35
Enixa Maurum Lybia	199
Erasme praesul nobilis	92
Errores ad gentilium	232
Exortus in Burgundia	46
Exsultate jubilate	77
Exsultemus in hoc festo	67
Exsultet coelum laudibus Psallat	267
Exsultet coelum laudibus Resultet	12
Exsultet laude Janua	262
Exsultet laudibus	186
Exsultet pars catholica	155

	Seite
Exsultet urbs Catania	15
Felix adest solemnitas	20
Felix de coelis gratia	112
Felix nimis virginitas	266
Felix pater Antonius	42
Festa plebs sancto sua	208
Festum fratres carissimi	212
Festum sancti apostoli	174
Fidelis gesta martyris	101
Filiae Tyri Deo dedicatae	165
Flos rutilans de hortulo	166
Fontem perennis gratiae	73
Fulget in coeli patria	214
Fulgor adspectus placuit	274
Gaudeat Aethiopia	191
Gaude coelestis curia	128
Gaude felix ecclesia	46
Gaude felix Neapolis Alumnae	213
Gaude felix Neapolis Laudem	137
Gaude felix Neapolis Tantae	16
Gaude fidelis concio	138
Gaude mater ecclesia Christi	14
Gaude mater ecclesia Novae	118
Gaude mater ecclesia Quod	58
Gaudere fratres nos hodie	197
Gaude Tarenti civitas	71
Gaudet nunc in coelestibus	146
Gaude Trojana civitas	90
Gaude Trojana civitas	91
Gaudet sanctorum coetus	154
Gaudio summo exsultat	265
Generat haec discipulas	227
Geom fluens ut coelica	177
Gloriosa dies ista	132
Gratae beatae gaudia	116
Grata regina inclita	116
Gratia Dei meritisque	146
Gratulemur extollentes	221
Gregori doctor inclite	118
Haec dies sacra fidei	129
Haeres aeterni luminis	179
Hae sunt adolescentulae	279
Herculanus Dei ductu	122
Hic coruscans miraculis	143
Hic natus de Sardinia	96
Hic vir vere sanctissimus	160
Hodie cum cantilenis	80
Hodie festum pie celebremus	175
Hymnum canamus gloriae Hymnum	224
Hymnum canamus gloriae Illustri	115
Hymnum canamus gloriae Praesenti	35
Hymnum novum clementius	79
Hymnum novum decantemus	123
Igne divini radians	17
Illum frequens et nobile	258
Immanis draco prodiens	88
Immensa Christi praemia	79
Immensae diem gloriae	33
In Aspren natalitio	45
Inclita gaudia pangamus	120
Inclitas Christi martyrum	129
In coeli viridario	179
In hac die laetitiae	194
In hac hora matutina	272
In laude sui militis	203
In nocturna vigilia	193
In nocturnis vigiliis	105
In paradisi culmine	223
In sancta decem milia	10
In sanctorum collegio	74
Insigne festum martyris	113
Insigne festum militis	114
In sua laude janua	137
In valle sancta Domini	98
Ista dies eximia	233
Iste confessor consors	139
Iste confessor noster	111
Jam festa fulgent aurea	281
Jam ortus dies rutilat	106
Jam pallet vultus siderum	126
Jam sacra dies annua	108
Jam suae Christus hospitae	184
Jesu corona alsior	81
Jesu cunctorum arbiter	234
Jesu redemptor omnium	11
Jesu redemptor saeculi	155
Jesu salvator omnium	184
Johannes clarus genere	145
Johannes gratiae ortus	143
Jubar gemelli sideris	131
Jucunda coeli civibus	75
Jucundare plebs fidelis	182
Jucunda virgo nobilis	150
Justi hymnum laude dignum	135
Laetabundus psallat mundus	276
Laetare clara Tuscia	110
Laetare felix civitas	89
Laetare felix civitas Salernitana	105
Laetare mater parturis	189
Laetetur coeli regio	284
Laetetur grex humillimus	250
Laetetur mens fidelium	228

	Seite
Laetetur plebs fidelium	203
Laetetur urbs Florentia	288
Laetus dies revertitur	283
Lapidantur crudeliter	11
Laudemus Christi Attalae	47
Laudemus Christi gratiam	82
Laude digna lux et signa	112
Laudes canamus Domino	52
Laudes chorus tam decorus	136
Laudes dulcis harmoniae	167
Laudes immensas Christo	283
Laudes Mercurii dicere	202
Laudes victrici debitas	23
Laudet Dei clementiam	192
Laudet mater ecclesia	261
Laudibus vestris modulando	241
Laurenti merito flammis	158
Laus sanctorum martyrum	151
Laxis resultant vocibus	162
Lucis lucerna claruit	183
Lucis vergente spiculo	51
Lux clara surgens rutilat	27
Lux ecce surgit aurea	113
Lux ecce surgit aurea	184
Lux et decus ecclesiae	232
Lux magni fulget numinis	183
Lux matutina rutilat	193
Magna Fidelis merita	102
Magne confessor sacer	229
Magni Christi discipuli	269
Magnificemus Dominum	277
Magni palmam certaminis	93
Magnus Deus invocantis	167
Marciani meritum	173
Marci praeclarum resonemus	178
Martha Christi hospitiva	185
Martyr Ansane non adhaerens	36
Martyr Christi egregius	93
Martyrum princeps decus	133
Melodis vocibus superna	264
Mente salubri crimine	225
Mentibus laetis hodie	160
Mercuri semper venerande	201
Miles Christi egregie	210
Miranda res est caritas	75
Morte pastoris vidua	263
Mucronem terrae solidae	109
Natos recolens pristinos	176
Nicolae vir Domini	210
Noctis profundae medio	22
Noctis pulsa caligine	52

	Seite
Novis exsultet gaudiis	235
Novum sidus apparuit	128
Novum sidus verae lucis	125
Nox purgatur et fugatur	215
Nunc gestis ex veteribus	246
Nunc Marcellinae virginis	172
Nunc sancte nobis spiritus Da et	186
Nunc sancte nobis spiritus Largire	110
Nunc te precamur inclite	229
O Agrippine pontifex	10
O Christe palma martyrum	196
O Christi mira bonitas	259
O confessores lucidi	153
O dies dies virginum	279
O dive pater optime	278
Odorlici veneremur	273
O flos colende praesulum	291
O gloriosa militum	61
O Katharina nobilis	157
O mater matris virginis	32
Omnes ad haec Christicolae	122
Omnes insulae laetentur	85
Omnium factor hominum	156
Opera clementiae	169
O Petronilla filia	228
O quam mirum spectaculum	12
Orbis exsultet populi	140
Ordinis auctor Romualde	240
O rex benigne Domine	235
O sancte praesul inclite	44
O sanctorum suffragia	231
Os nequit tuum promere	157
O summa deitas et immutabilis	142
O urbs decora concine	21
O vere virgo nobilis	238
Pande magna Leonhardi	164
Pande virtus gloriosa	68
Pangamus festum praeclari	54
Pangamus laudes gaudii	130
Pangamus laudes gaudii	130
Pangamus mente sedula	147
Pangamus modulo laudes	204
Pangamus pariter carmina	50
Pangat lingua nostra laudes	60
Pange lingua confessoris	162
Pange lingua Domitillae	84
Pange lingua gloriosae	67
Pange lingua gloriosi confessoris	31
Pange lingua gloriosi Praesulis	44
Pange lingua gloriosi Praesulis	282
Pange lingua gloriosi Praesulis	290

	Seite
Pange lingua puellarum	275
Pange lingua Salaminae	92
Pange sanctae Katharinae	156
Passio pontificum	219
Pastor insignis faciendo	134
Patriarcha quem laudamus	149
Paula coeli imperium	216
Paulam nunc deificam	216
Paulus prostratus limine	218
Pia Toscana ordini oblata	271
Plaudat chorus angelorum	144
Plaudat coelestis curia	33
Plaudat coetus psallat laetus	260
Plaudat turba coelestium	266
Plaude felix Bononia	225
Plaude mater ecclesia	191
Plaude turba fidelium	178
Plebs devota mente tota	238
Pontiani rex humani	231
Post haec curavit filiam	292
Post mundi transitoria	217
Postquam culmen hoc ordine	122
Praebe Christe canentibus	242
Praeclara stella Tusciae	100
Praefulget orbis siderum	131
Praestita fuit gratia	175
Praesul insignis martyr	77
Praesulis almi Blasii beati	62
Praesulis ecce Lupi	170
Praesulis sancti redeunt	292
Primo dierum omnium	121
Primo dierum omnium	253
Primum Deo sit gloria	196
Prolem inclitam Franciae	169
Propheta martyr inclitus	138
Proti et Jacinthi merita	235
Psallat cantum Deo sanctum	136
Psallat chorus fidelium	290
Psallat chorus qui sonorus	256
Psallat nostra devotio	66
Quam dignus iste pontifex	101
Quibus jam Christi militem	132
Quid tuo nobis potius	198
Refecti Dei munere	257
Reflorescat noster cantus	272
Refulget jam solemnitas	223
Regina nunc dignissima	236
Regi polorum debitas	82
Regis superni signifer	209
Regum rex Deus omnium	200
Rex Deus omnitenens	29
Rex qui coeli stans in arce	32
Rex regum Deus omnium	205
Sacerdos Christi inclite	211
Sacra dies recolitur	158
Sacra sacris immolantes	222
Sacra solemnia pangamus	269
Sacra sanctorum veneranda	268
Sacratum diem annuum	239
Sacri pontificis festis	45
Salve dies tutoribus	104
Salve mater sponsi crater	64
Salve pannis angelicus	248
Sanctarum diem virginum	165
Sancte Ambrosi doctor	25
Sancti Merci confessoris	177
Sancti Pauli conversio	218
Sanctis martyribus laus	103
Sanctorum ad miracula	66
Sanctorum decus praesulum	124
Sanctorum digna actio	99
Sanctus Clemens saecli fluxa	77
Servus prudens et fidelis	273
Silvestro beatissimo	255
Solemne festum gentibus	279
Solemne nobis gaudium	133
Solemnizemus hodie	141
Solutis Deo precibus	224
Splendor dici rutilat	107
Splendor magnus confessorum	188
Stirpis Dividicae tendit	148
Suam in summis tertium	247
Sublator Christe criminum	9
Sublimem Deum laudibus	152
Sublimis nobis imminet	63
Summa rectorum gloria	154
Summe totius reparator	15
Summi vatis praeconium	254
Supernae lucis radius	19
Teana plaude civitas	180
Te decet hymnus largius	21
Tempore festa colimus	214
Te Romualde canimus	239
Tuam o pater postulamus	220
Turba canora jubila	131
Urbs provecta Cenomannis	152
Urgent festiva gaudia	180
Ut Antonini gloriam	38
Ut digne possint resonare	286
Ut mente fiat pavidus	159
Ut queam vitam sacrae	87
Ut tua pia mire queam	226

	Seite		Seite
Ut tuas laeti valeamus	249	Virgo sidereis ardua sedibus . .	73
Vendit ille supplicia	285	Virgo viris admiranda.	13
Vesper venit o sociae	22	Vir inclitus Agabius	13
Victorini confidentes	282	Visum petens oculis.	123
Vincentii praeconia	285	Vitae vena lux amoena	53
Virginis Christi merita	280	Voce consona laudantes	168
Virginum Christi celebrare. . .	95	Voce mente laetabundo	275
Virgo Christi juvencula	157	Votis tuorum Christe fidelium .	107
Virgo dicata Deo nobis	72	Vox clara ecce intonat	261
Virgo laudetur Agatha	14	Zelus aeternae pietatis	287
Virgo malorum nescia.	213	Zeno pontifex inclite	291

Druckfehler und Nachträge.

Seite 47 Zeile 8 v. u. Auxit steht wohl jedenfalls für Ausit und dies für Hausit.
„ 153 „ 20 v. u. lies: O confessores statt confessoris.
„ 159 „ 8 v. u. lies: A partibus occiduis statt occidius.
„ 165 „ 1 v. o. lies: Sanctarum diem statt Sanctorum.
„ 166 „ 18 v. o. lies: surgit statt sugit.
„ 252 „ 16 v. u. lies: Christe rex statt Christi.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XXIII.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1896.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Sechste Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1896.

VORWORT.

Mit diesem Bande der Analecta gelangt die Serie der eigentlichen liturgischen Hymnen im engeren Verstande dieses Wortes zum Abschlusse. Nicht als ob nun alle Hymnen, die heute noch erreichbar wären, in dieser Sammlung Platz gefunden. Ist es doch schon eine Unmöglichkeit, auch nur von allen noch existierenden handschriftlichen und gedruckten Brevieren Kenntnis, geschweige Einsicht zu erlangen. Wohl aber glaube ich, rücksichtlich dieser Gattung nunmehr jenes Ziel erreicht zu haben, das ich II, 5 u. f. und XI, 5 u. f. umschrieben habe.

Abzusehen von einzelnen, da und dort zerstreuten Hymnen, von denen ich Kenntnis habe, möchte ich an dieser Stelle hinweisen auf eine Anzahl älterer, augenscheinlich von einem Verfasser herrührender Lieder, die E. Dümmler seiner Schrift „Anselm der Peripatetiker", Halle 1872 S. 102 ff., einverleibt hat, und von deren Reproduktion hier um so mehr Umgang zu nehmen war, als Inhalt und Umfang dieses Bandes bereits das gewöhnliche Mafs überschreiten. Dümmler ist nicht abgeneigt, Schreiber und Dichter dieser Rhythmen in dem am Rande des Psalterium Warmundi sich nennenden Uuido zu suchen (a. a. O. S. 87).

In der Note zu No. 3 dieser Sammlung habe ich bemerkt, dafs der Hymnus Aeternae lucis claritas mit einiger Wahrscheinlichkeit dem Johannes Pechamus (John Peccham), Erzbischof von Canterbury († 1292), zuzuschreiben ist. Zweifellos ist er Verfasser des Reimofficiums auf das Fest Trinitatis, welches V, 19 ff. mitgeteilt ist und durch Tiefe des theologischen Wissens wie durch Abrundung der poetischen Form vor ähnlichen Dichtungen hervorragt. Cod. Vatican. 4752, ein Franziskanerbrevier des 15. Jahrhunderts, bezeugt fol. 504 seine Autorschaft mit den

Worten: „Incipit officium beatissimae Trinitatis, compositum et ordinatum a reverendo domino et patre nostro Johanne de Picciano, ordinis fratrum minorum, bonae memoriae, archiepiscopo Cantuariense (!) et nobili magistro in sacra theologia.“

Ebenso Cod. Casanaten. B VI 20 (254), ein Franziskanerbrevier saec. 13/14, in dem dies Officium nachgetragen ist mit der Bemerkung: „Incipit officium beatissimae Trinitatis, editum a domino fratre Johanne de Picciano, de ordine fratrum minorum, archiepiscopo Cantuariensi ac sacrae theologiae magistro.“

Ebenso Cod. B 54 der Kapitelsbibliothek von Padua, ein Franziskanerbrevier saec. 13/14: „Incipit officium beatissimae trinitatis, editum a fratre N. de Pecano, ordinis fratrum minorum.“

Die Angabe findet sich noch in dem Breviarium Romanum, Parisiis 1509 und 1519: „Quod quidem officium cum ipsis lectionibus composuit reverendus magister, dominus Johannes de Peckamo, Anglicus; quod et Romana ecclesia propter excellentiam cantandum omnibus tradidit.“ Demgemäfs ist Peccham bestimmt auch Verfasser der Hymnen: In majestatis solio (Daniel I, 276), O lux beata trinitas (Daniel l. c.) und Festi laudes hodierni (Anal. IV, 14).

Wien, den 20. Nov. 1895.

Guido Maria Dreves.

I.

DE DEO, DE BEATA, DE COMMUNI.

1. De ss. Trinitate.

(Sabbato ad Vesperas).

1. Te, trina Deus unitas
   Et una semper trinitas,
   Laus nostra rite cernua
   Sacro canore celebrat.
2. Bis sena cui senum duo
   Ac Seraphim micantia
   Polorum super ardua
   Ter jure sanctus proclamant.
3. Vocabulis divisus es,
   Essentia sed unus es,
   Pater, logos, paraclitus,
   Trinus et unus Dominus.
4. Hoc pater est, quod filius,
   Hoc, quod et almus spiritus,
   Usia quos non dividit,
   Persona trina permanet.
5. Ex nil qui esse omnia
   Effigiasti, condita
   Regis, gubernas fortiter
   Disponis ac suaviter.
6. Precamur ergo servuli,
   Quos tu creasti, cernui,
   Ut hostis a saevissimi
   Placatus ore liberes.
7. Te Deum ut perpetuo
   Laudemus, almis, quaesumus,
   Nos angelorum coetibus
   Associa propitius.
8. Honor, potestas, gloria
   Sit tibi, sancta trinitas,
   Aequalis una deitas,
   Per saeculorum saecula.

Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. B. — Brev. ms. S. Renati Surrentini saec. 13/14. Cod. Barberin. XI 171. C. — Brev. ms. Casinense saec. 14. Cod. Casinen. 34. D. — Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. E. — 2, 1 Vissena B. — 3, 4 et unus fehlt C. — 4, 3 Usus a quos non B, Usia que C, Usiamque D. — 5, 1 Ex nil in esse C. — 5, 3 gubernans D. — 6, 1 ergo cernui C. — 6, 2 creasti servuli C. — 6, 3 Ut hostia sanctissima C. — 6, 4 Placatus omnes C. — 7, 2 almis precibus C, almis vocibus D.

2. De ss. Trinitate.

Ad Vesperas.

1. In personis Deum trinum,
   Unum verum in usia,
   Universorum Dominum
   Confitemur fide pia.
2. Non disjungit unitatem
   Personarum proprietas,
   Non confundit trinitatem
   Simplicitatis unitas.
3. Nullum valet ingenium
   Humanum comprehendere
   Hoc immensum mysterium,
   Sed sola fides credere.
4. In hac summa majestate
   Nulla exstat diversitas,
   Nec ulla imparitate
   Discrepat vera unitas.

5. Honor laudis angelicae,
Gloria et laus aeterna
Sit trinitati unicae
Per saecula sempiterna.

Diurn. ms. Fuldense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 87. A. — Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. B. — Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 16. Cod. Maguntin. 96. C.

3. De ss. Trinitate.

In 2. Vesperis.

1. Aeternae lucis claritas
Nos tribus ornans viribus
Monstrat, quod causans veritas
Trina sit hypostasibus.

2. Trium una dum cernimus
Signatos nos imagine,
Unam trium advertimus
Lucem in trino lumine.

3. Patris se mens intelligens
Ortum dat unigenito
Natamque prolem diligens
Processum dat paraclito.

4. Per solam vim originis
Naturae fit communio,
Nativitas imaginis,
Spiraminis processio.

5. Quam felix trium caritas
Uno se fruens gaudio,
Quia non est jucunditas
Perfecta solitario.

6. Laudum clara praeconia
Sint trinitati simplici,
Ipsique nos per omnia
Subdamus corde supplici.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. 4760 (parte 2a). — 1, 3 Monstratque. — 6, 4 corde simplici. — Der Hymnus befindet sich in der zweiten Vesper des von John Peccham verfafsten Reimofficiums auf die hl. Dreifaltigkeit, ist somit wahrscheinlich von ihm, eine Annahme, der wenigstens Stil und Verskunst nicht entgegenstehen.

4. De ss. Trinitate.

Ad Laudes.

1. O gloriosa trinitas,
Lux perlustrans universa,
Vera et una deitas,
Cuncta mitigans adversa.

2. Virtus interminabilis,
Extra omnem creaturam
Et infra omnem agilis
Nullam patiens pressuram.

3. Praesta nobis et perfice
Nostrae salutis gratiam
Ac in nos pie respice
Vehens ad tuam gloriam.

4. In hac ergo collaetemur
Fide sanctae trinitatis,
In qua simul confitemur
Unitatem deitatis.

5. Honor laudis angelicae.

Diurn. ms. Fuldense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 87. A. — Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. B. — Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 96. C. — Als Divisio von Nr. 2 bezeichnet.

5. De ss. Trinitate.

Ad Laudes.

1. In jubilo laudabili
Et laude venerabili
Glorificemus filium,
Patrem et sanctum spiritum.

2. Omnes in insigni die
Solemnitatis annuae
Expurgatis criminibus
Conformemur in mentibus.

3. In condensis statuite
Diem solemnem et dicite
Laudes concentus hilaris
Usque ad cornu altaris.

4. Sit infirmis salvatio,
Captivis liberatio,
Peccatorum remissio
Et salus sine noxio.

5. Trinitas individua,
Unitas perpetua
Dent aeterna gaudia,
Ubi pax est et gloria.

Diurn. ms. Maguntinum anni 1490. Cod. Gothan. Memb. (II) 26. A. — Brev. ms. Maguntinum saec. 15. in. Cod. Francofurten. Barth. 150. B. — Brev. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 160. C. — 2, 2 anime C. — 4, 3 peccantium B. — 5, 2 fehlt eine Silbe ABC; lies Et unitas? — 5, 3 fehlt eine Silbe ABC; lies donent? Dent externa C.

6. De ss. Trinitate.

1. Deus, pater piissime,
Petenda nobis suggere
Et digna postulantibus
Ne differas diutius.

2. Da cor profunde poenitens
Cum lacrimarum flumine,
Quo diluantur omnia
Verenda conscientiae.

3. Auge fidei gratiam
Statuque firma perpeti,
Ut non vacillet impetu
Nec Antichristi pessimi.

4. Da simplicem prudentiam
Et caritatem fervidam,
Qua certius signaculum
Non est tibi placentium.

5. Te pollicentem credimus,
Quod haec prius quaerentibus
Addantur, ultro cetera,
Quaecunque restant, commoda.

6. Honor sit atque gloria
In sempiterna saecula
Tibi patri cum filio
Et spiritu paraclito.

„Officium BMV. cum multis laudibus ac novis orationibus impressum per Benedictum Dulcibellum Carpensem in Castro Lauro Curtis majoris Anno 1503. Idibus Martii.“

7. De ss. Trinitate.

1. Lux saeculorum,
Lux angelorum,
Vita sanctorum,
Spes beatorum,
Pater immense,
Fili praecelse,
Spiritus alme.

2. Te invocamus,
Te adoramus,
Te glorificamus
Teque laudamus,
Pelle languorem,
Praebe medelam,
Confer salutem.

3. Gloria patri,
Gloria nato,
Flamini sacro,
Tribus personis
Gloria compar
Nunc et in aevum.

Orat. ms. saec. 14/15. Cod. Bruxellen. 10 812—6. — In Strophe 3 scheint eine Verszeile zu fehlen.

8. De laude Dei.

R° Benedictus Dominus,
Christus, Dei filius.

1. Ante saecula et tempora
Et coelorum sidera
Patris ore prodiit,
Deus qui est ex Deo.

2. Benedictus Abraham
Cum offerret filium,
Paricida quis piam
Justam dedit hostiam?

3. Canticum canentibus
In camino flammeo
Tribus una vox erat,
Et ille quartus quis fuit?

4. Daniel immitibus
Traditur leonibus,
Ne voraretur morsibus,
Clausit ora quis feris?

5. Et Susannae castitas
Condemnata testibus,
Quis, ut verum diceret,
Instigavit puerum?

6. Fluctus inter fluentibus
Rectum iter viantibus
Mersis subsequentibus
Per Moysen quis dedit?

7. Goliam in acie
Praeparantem proelium
Per manus sancti David
Saxo in fronte quis ferit?

8. Heliam in eremo
Longo vitae tempore
Corvis deferentibus
Sacro pane quis pavit?

9. Jonam missum in fluctibus,
Alvo ceti conditum,
Salto piscis inmani
Quis ad lit s protulit?

10. Karcer Joseph clauserat,
A falso testimonio
Mystica per somnia
Quis potenter eruit?

11. Lugentes fratrem pie
Martha atque Maria
Ad sepulchrum, mortuum
Quis suscitavit Lazarum?

12. Moses in monte arido
Precabatur Dominum,
Ne periret populus;
Legem ei quis dedit?

13. Noe justo Dominus
Arcam jussit fieri,
Arcae per diluvium
Gubernator quis fuit?

14. Orbata mater unicum
Deflenteque filium,
Imperante Domino
Quis jubet resurgere?

15. Paralyticum jacentem
Tot annorum debilem
Exspectante populo
Ambulare quis fecit?

16. Quinque milia virum
Exceptis mulieribus
Quis de quinque panibus
Pavit et duobus piscibus?

17. Regique Ezechiae
Imminente transitum
Super vitae terminum
Quis addit annos quindecim?

18. Samaritana mulier
Dum staret ad puteum
Et relicta hydria,
Aquam ei quis petit?

19. Tiberiadi in mari
Piscantibus apostolis
Pleno rete piscium,
Tractor ille quis fuit?

20. Vox in Rama audita est
Lamentante parvulis,
Lactantium quoque infantum
Quis coronavit postmodum?

21. Xristus per paradisum
Deambulans meridie,
Adam praeceptum transgredi,
Quis jubet terram colere?

22. Ymnum canebant angeli
Resurgente Domino,
Ascendente in caelis,
Ad dextram patris quis sedet?

23. Zelotis Deus pater
Post quadraginta diebus
Misit ad apostolos
Paraclitum spiritum.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. 10, 4 potenter efficit. — 16, 3 De quinque panibus. — 16, 4 Quis pavit et. — 17, 4 annis. — 21, 1 In der Hs steht p̄h: davor hat der Rubricator S gesetzt, was Spiritus giebt; das Alphabet fordert aber X, was Christus ergiebt Da aber X wie S gesprochen ward, läßt sich allenfalls auch Xp̄h noch als Spiritus auflösen. — 22, 3 Ascendente.

9. In Vigilia Natalis Domini.

Ad Laudes.

1. Egredere, Emanuel,
Quem nuntiavit Gabriel,
Uti sponsus de thalamo
Virginis matris utero

2. Spiritus sancti opere
Sine virili semine,
Ad tuum natalitium
Delens Evae flagitium.

3. Sicque lege deposita
Tua simus sub gratia,
Qui aperis diu clausum
Bonis intrandi aditum.

4. Laus sit patri et filio,
Spiritui paraclito,
Unitati sit gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Vatican. 4928 A. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Neapolitan. VI E 43. B. — Cod. Wratislavien. I F 236 saec. 15. C. — AB bezeichnen den Hymnus als S. Leonis papae, womit Leo IX. gemeint ist. Einen um drei Strophen längeren Text bietet Milchsack, Hymni et Sequentiae I, 6, ohne Angabe der Quelle. Von seinen Strophen erweckt die vorletzte Zweifel an ihrer Authenticität.

10. In Nativitate DN.

„Tropho in Nocte ad sanctam Mariam“.

1. A solis ortu cardine quadrato
Coeli per gyrum, sidera, rotate,
Redemptor quia venit cum salute
Hodie natus.

2. Bonus praedixit Esaias vates:
Ecce, in vulva virgo generabit,
Nomen ejusdem quod interpretatur
Nobiscum Deus.

3. Coelo dimissus Gabriel salutem
In Gallilaeam virgini detulit,
Gaudio mundi nuntiare venit
Terris venturum.

4. Dudum jam virgo desponsata erat
Proco famoso annulo pudoris,
Joseph, qui nunquam copula jugali
Corpore gessit.

5. Ec casto degens corpore puella,
Quam sic ingressus angelus compellat:
Ave, Maria, gratia plena,
Dominus tecum.

6. Festinus post haec angelus adjunxit:
Beata eris inter mulieres
Et benedictus fructus ventris tui,
Quae credidisti.

7. Gaudens in verbo sed turbata virgo,
Cogitans, cur sit ita salutata,
Quomodo possunt fieri, quae dicis,
Angele Dei?

8. Hinc adsecutus Gabriel affatus:
Inclitam prolem utero gestabis,
Numinis altus filius vocatur
In sempiternum.

9. Inquiens virgo angelum perquirens:
Quomodo possunt fieri, quae dicis,
Unde hoc sciam? virum non cognovi,
Angele Dei.

10. Karus repente nuntius respondit:
Spiritus sanctus super te descendet
Idcirco, sanctum quod erit, vocatur
Filius Dei.

11. Libens tunc virgo angelo consensit:
Ecce, ancilla Domini sum ego,
Contingat mihi juxta verbum tuum,
Sicut dixisti.

12. Mox Caesar dedit Augustus decretum
Mundus ut totus tomum scriberetur,
Fecit Cirinus scriptionem primus,
Syriae rector.

13. Nam ibant omnes, ut profiterentur
Quisquis de sua nempe civitate,
Joseph praegnante cum Maria pergens
Bethlehem ad urbem.

14. Opus mirandum atque salutare,
Latior alvus cardine aethrali
Deum, quem coeli capere non valent,
Clausum portavit.

15. Postquam sunt dies virginis impletae,
Partus puellae hominem Deumque
Edidit, parvo jacuit praesepi
Pannis velatus.

16. Quem cum pareret, hac in regione
Vigiles noctu gregem custodirent,
Illos extemplo cinxit lux de coelo
Fulgida nimis.

17. Rursus eosdem tremor apprehendit,
Angelus dixit: ponite timorem,
Gaudium vobis nuntio perenne
Terris venisse.

18. Saecula vire fecit qui cum patre,
Natus est Christus hodie de matre,
Bethlehem in urbe in praesepi jacet,
Hoc vobis signum.

19. Tunc copiosa angelo adsistens
Desuper missa legio coelestis,
Deo in altis gloriam canentes
Voce sonora.

20. Vociferabant strenue dicentes:
Gloria patri Deo in excelsis
Et hominibus bonae voluntatis
Pax super terram.

21. Xristo jam nato milia sanctorum
Coelum adibant statim angelorum,
Pastores cursim Bethlehem venerunt
Corde gaviso.

22. Ymnum solvamus patri filioque,
Semper qui regnat par cum genitore
Servique formam sumere dignatus
Causa salutis.

23. Zero creator solio de sacro
Petiit ima nos ad liberandum,
Quos hostis dudum rapuit iniquus
Ore cruento.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Roman. Angelicus B III 18. A. — Ein Teil dieses ABCdarius ist in den Hymnaren von Moissac und S. Severin als Hymnus in annuntiatione BMV. verwendet; vgl. Anal. II, 80 (B). — 4, 2 Pro quo famoso lesen AB, was Anal. II, l. c. zu Unrecht in „perquam famoso“ geändert worden. — 5, 1 Ec = aec = haec. — 7, 3 possit A, geändert nach B. — 7, 4 Angelus A. — 8, 3 Nominis altum AB. — 9, 2 potest A. — 9, 4 Angelus A. — 11, 1 angelo conscendit A. — 11, 4 Si condixisti A. — 13, 2 de sua nempe civitatem A; lies ad suam nempe? — 14, 4 clausu. — 16, 1 Quod cum pares A. — 16, 3 exemplo A. — 20, 1 Vociferebant strenuo A. — 21, 2 Coelum adhibent A. — 22, 1 salvamus A. — 23, 1 Zererum creator A; zero = sero.

II. In Circumcisione DN.

1. Cultro secanda saxeo
Tenella Christus membra dat,
Non venit, ut tollat sui
Legem parentis filius.

2. Parendo legis vincula
Nobis, Iesu, mitigas
Datoque monstras nomine
Tuae favorem gratiae.

3. Hoc nomen est potentiae
Novaeque signum gloriae
Et per quod unum coelitus
Datur salus mortalibus.

4. Tu, Christe, non effabilis
Imago coelestis patris,
Da, nil colatur, ni tuum
In omne nomen saeculum.

Hymni, collectae item evangelia etc. imp. Coloniae 1585.

12. In Epiphania Domini.

1. Festiva mundo gaudia
Reducta solis orbita
In trinitatis nomine
Laeti colamus carmine.

2. Felix dies haec annua,
Quae tanta fert solemnia,
Cum tale factor omnium
Praebet sui vestigium.

3. Hic nempe natus virgine
Nostro Deus cum corpore
Novi per ortum sideris
Se prodidit mox saeculis.

4. Quem tunc Eoi principes,
Reges Arabum nobiles,
Donis honorant mysticis
Tanti datorem luminis.

5. Legalis observantiae
Aqua tumescunt hydriae,
Ut vina fundant dulcia,
Haec signa, Christe, sunt tua.

6. Vox ergo patris intonat,
Baptisma proles consecrat,
Formam columbae spiritus
Sumit sacer paraclitus.

7. Sit trinitati gloria,
Honor, potestas inclita,
Uni Deo per omnia
In saeculorum saecula.

Cod. Sangallen. 898. saec. $^{10}/_{11}$. — Der Hymnus ist von Berno von Reichenau, unter dessen Werken er steht. — 6, 2 prolis Hs.

13. In Epiphania DN.

Ad Nocturnum.

1. Nato Mariae filio
Apparet stella popu[illegible]
Quae dicit Christum Dominum
Regnare in perpetuum.

2. Quam magi dum adspiciunt
Natumque regem sapiunt,
Jerosolymam properant
Et tunc Herodi nuntiant.

3. Turbatus erat perfidus
Herodes impiissimus,
Timens, ne regnum perderet,
Quod puer natus tolleret.

4. Confestim dicit regibus
Ab orientis partibus:
Ite, videte puerum
Et nuntiate postmodum.

5. Ut ego, quando venero
Dictumque regem videro,
Adorem tunc infantulum,
Quem dicit stella genitum.

6. Per stellam magi ambulant,
Dum Bethlehem pervenerant,
Intrantes domum pueri
Adorant regem saeculi.

7. Mystica portant munera
Mox Christo placabilia,
Thure signantes Dominum
Et sacerdotem maximum.

8. Dant aurum regi saeculi,
Mortali myrrham homini,
Salutant parvum filium,
Deum ac regem omnium.

9. Admonet eos visio,
Ut redeant cum gaudio,
Per viam vero aliam
Reversi sunt ad patriam.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Franciscan. saec. 13. Cod. Senen. F VIII. 1. A. — Psalt. ms. Mutinense saec. 14. Cod. Capit. Mutinen. O. II N. 5. B.

14. In Transfiguratione DN.

1. Verbum patris altissimi
Gigas et invictissime,
Non unius substantiae,
Unum cum patre gloriae,

2. Apostolorum principi
Cum filiis tonitrui
In majestate fulgida
Visus sub nube lucida.

3. Quem currus tulit igneus,
Et legifer eximius,
Dum conferentes numerant,
Quod complecturus fuerat,

4. Vocis tuba terribilis
De nube tonans sonuit:
Hic est dilectus filius,
In quo mihi complacuit.

5. Da nobis, licet parvulis,
Redemptis tamen servulis,
Non qualicunque pretio,
Sed sanguinis commercio,

6. Quando per ignem veneris
Ad judicandum saeculum,
Ne nos cum hoedis statuas,
Sed agnis jungi facias.

7. Ut cum supernis civibus
Tuis vacantes laudibus
Devotione sedula
Canamus in perpetuum:

8. Sit Deo laus ingenito
Simulque unigenito
Cum spiritu paraclito
Per infinita saecula.

Cod. Ambrosian. H 46 inf. add. saec. $^{10}/_{11}$. (cum neumis).

15. In Transfiguratione DN.

1. Summi tonantis filius
Non despexit propitius
Fragile genus hominum,
Quod deceperat diabolus.

2. Advenit tectus corpore
De sacra sumpto virgine,
Opus istud mirabile
Stulti spreverunt homines.

3. Montis ascendens verticem
Dignatus est ostendere,
Nostrae carnis substantia
Quanta polleret gratia.

4. Jubet pater sanctissimus,
Ut audiamus filium,
Dignetur dare gratiam,
Qui pia dedit monita.

5. Sit tibi, Christe, gloria,
Qui facis mirabilia
Magna et inscrutabilia
Per cuncta semper saecula.

Cod. Ambrosian. H 46 inf. add. saec. $^{10}/_{11}$. (cum neumis).

16. In Transfiguratione DN.

Ad Nocturnum.

1. O sator rerum, reparator aevi,
Christe, rex regum, metuende censor,
Ad preces nostras pariterque laudes
Adspice gratus.

2. Noctis, en, cursu tibi vota laudum
Pangimus, praesta, tibi sint ut apta,
Nosque concentu refove perenni,
Luminis auctor.

3. Inter Eliam Moysenque vates
Ut jubar solis facie refulgens,
Candida veste nivis instar albae
Tu micuisti.

4. Tu Dei patris patre teste proles,
Tuque sanctorum decus angelorum,
Tu mundi salus, via, virtus, proles
Crederis esse.

5. Gloria, virtus tibi sit, creator,
Qui cuncta solus retinens gubernas,
Regni in throno sine fine regnans:
Trinus et unus.

Diurn. ms. Emmeramense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1968. A. — Brev. ms. saec. 12. Cod. Palat. Vindobonen. 1826. add. saec. 13. B. — Brev. ms. Admontense 746 a. anni 1439. C. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixien. s. n. D. — Brev. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacen. 143. E. — Brev. Cabilonense imp. Lugduni? 15** F. — 1, 4 gratis A. — 2, 1 Noctis incursu A. — 2, 3 perennis A. — 4, 2 Cum sis sanctorum A. — 5, 3 in throno fehlt A. — Dies Lied ist ein Auszug aus dem Anal. II,

57 mitgeteilten, wobei einige Veränderungen namentlich in Str. 3 angebracht sind. Diese Str. liest der kurze Hymnus immer wie vorstehend, der lange stets wie Anal. H l. c. Vgl. Werner, Die ältesten Hymnensammlungen von Rheinau No. XXIII. — Der längere Hymnus findet sich u. a. noch in folgenden Quellen: Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Vatican. 4928. Hymn. ms. saec. 10. Cod. Casinen. 506. Hymn. ms. S. Severini Neapolit. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Vatican. 7172. Hymn. ms. S. Severini saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Parisin 1092. Psalt. ms. saec. 12 Cod. Neapolitan. VI F 2. Brev. ms. S. Savini in Levitania saec. 14. Cod. Tolosan. 70. Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. Brev. Forojuliense imp. Taurinis 1495.

17. In Transfiguratione DN.

1. Salvatoris eximii
De festis sui filii,
Qui trinitatem colimus,
Fideliter quam novimus.

2. Pater vocavit coelitus
Suum dilectum filium,
Quem obumbravit coelitus
Sancti splendor divinitus.

3. In majestate claruit,
In trinitate apparuit,
Cum inter duos Dominus
Vates in monte visus est.

4. Tres aderant discipuli.
Jam testes fidelissimi,
Trinitatis deificae
Visionis magnificae.

5. Summo patri ingenito,
Transfigurato filio
Cum spiritu paraclito
Gloria sit per saecula.

Brev. ms. S. Laurentii Ulciensis saec. 15. Cod. Taurinen. Palat. 11.

18. In Transfiguratione DN.

Ad Nocturnum.

1. Haec festiva solemnitas
Nobis recurrit annua,
Qua proles Dei unica
Paterna fulsit gratia.

2. Perspicuo nam lumine
Candido tectum podere
Christum in aura hac die
Clari viderunt heroes.

3. O quam digna celebritas,
In qua polorum dignitas
Telluris hujus infima
Irradiavit nebula.

4. O consortes eximii,
Qui hujus tam egregii
Clarum decus prodigii
Suis viderunt oculis.

5. Tu patris nate unice,
Cunctos clementer refove,
Qui tuae festum gloriae
Devote colunt hodie.

6. Laus patri invisibili.
Laus ejus sacro flamini
Lausque sit unigenito,
Orbis terrarum Domino.

Brev. ms Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 544 A. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. B. — 1, 2 recurrit anima B. — 2, 2 Candido secum A. — 2, 3 in auro A.

19. In Transfiguratione DN.

Ad Laudes.

1. Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,
Ostendit suis hodie,
Quam felix sit est reverens.

2. Refulsit sol in clipeos,
Mundo claros et aureos,
Et montes carne terreos,
Sed divina mente flammeos.

3. Christus est sol justitiae
Transfiguratus coelitus,
Mira detectus facie
Apostolis divinitus.

4. Hi sunt et Christi clippei,
Defensores ecclesiae
Ac primates idonei
Christianae militiae.

5. Nondum Christum cognoverant
Esse Deum veraciter,
Quem humane tractaverant
Conversantem humiliter.

6. Tunc clare Dei filium
Paterno testimonio
Sciunt et mirabilium
Adjecto sacrificio.

7. Regratiantur mortui
De completo mysterio,
Quod praedixerunt cernui
De Christi beneficio.

8. Stupent nimis apostoli
Ac procidunt conterriti
Et quasi facti dyscoli
Loquuntur ut insoliti.

9. Hos revocat ad latriam
Consolator propitius
Et ingerit laetitiam,
Dum provocat sublimius.

10. Honor, virtus et gloria
Transfigurato Domino,
Qui nos in sua gratia
Conservet sine termino.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 544. A. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2676. B. — 2, 1 clipeus B. — 2, 2 clavos B. — 3, 1 est fehlt AB. — 3, 4 Apostolos B. — 5, 1 Nam tum Christum A; cognoverat B. — 6, 1 clara B. — 7, 1 Regenerantur A. — 8, 1 Stupentes A. — 9, 1 revocant B, ad atria A.

20. In Transfiguratione DN.

In 2. Vesperis.

1. Lumen verum de lumine,
Christe, redemptor omnium,
Fac nos in tuo nomine
Cives dignos coelestium.

2. Immortali effigie
Pandisti sanctis gloriam,
O quantus dulcor gratiae,
Quantus fervor ad patriam.

3. Ecce, quod relinquentibus
Cuncta dabis finaliter,
Ecce, quod laborantibus
Reddes justis feliciter.

4. Sedet unus ad dexteram
Et ad sinistram alius,
Dat partem quisque liberam,
Tenet in votis plenius.

5. Quid facis tabernacula,
Simon, in mundo misero?
Fac tuis habitacula
In loco coeli prospero.

6. Haec tibi nubes indicat
Patris gerens imperium,
Quae Christum cunctis praedicat
Dilectum ejus filium.

7. Scito ergo, quod loqueris,
Nec turbent mirabilia,
Tu caput gregis diceris,
Et te decent magnalia.

8. Per te Deus illuminat
Caecitatem errantium,
Per Jacobum exterminat
Foeditatem peccantium.

9. Per Johannem ad gratiam
Electum vocat populum
Et inducit per latriam
Ad supernorum pabulum.

10. Sit laus, honor et gloria
Transfigurato filio,
Per quem regnat laetitia,
Salus et benedictio.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 544. A. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2676. B. — 1, 2 Christus B. — 2, 2 sanctus B. — 2, 3 dulcio B. — 2, 4 ad gratiam A. — 3, 1 quid B. — 3, 3 quid B. — 4, 1 Sedet vivis B. — 4, 2 aliis B. — 4, 2 Dat patrem B. — 5, 3 tuis tabernacula A. — 6, 3 Quem Christum A. — 7, 1 quid B. — 8, 1 illuminet A. — 8, 3 exterminet A. — 10, 3 laetitiam B. — 10, 4 Laus et.

21. In Transfiguratione DN.

Ad Laudes.

1. Amor Jesu dulcissime,
Quando cor nostrum visitas,
Pellis mente caliginem
Et nos reples dulcedine.

2. Quam felix es, quem satias,
Consors paternae dexterae,
Tu verae lumen patriae,
Quod omnem sensum superat.

3. Splendor paternae gloriae,
Incomprehensa bonitas,
Amoris tui copiam
Da nobis per praesentiam.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. Carthusiense imp. 1587.

22. In Transfiguratione DN.

1. Plaude, coelum, terra, plaude
in diei gaudio,
Qua perennis voce patris
indicatur filius
Et refulget gloriosus
rex supremus gloriae.

2. Tres apostolos magister
segregatos evocat
In cacumen montis alti
et coruscat gloria,
Veste Jesus fulget alba,
vultus instar solis est.

3. Victor ille Pharaonis
in decore cernitur
Et propheta, quo vocante
ignis hostes devorat,
Christe, tecum de ferenda
morte verba conferunt.

4. Ecce, vox de nube: natus
hic meus dilectus est,
Ille me placabit orbi,
hic placebat unicus,
Hunc habentem verba vitae
cor et auris audiat.

5. Ungis intus, Christe, Petrum,
ecce, quam te diligit;
Unge dulci nos amore,
mitte guttam patria,
Qua refectos post laborem
fonte toto repleas.

6. Sempiterna sit beatae
trinitati gloria,
Aequa patri filioque
laus sit et paraclito,
Unius trinique nomen
laudet universitas.

Hymn. ms. Sanctensis s. n. saec. 15. add. saec. 16. — Mel. Pange lingua.

23. In Quadragesima.

1. Omnis chorus ecclesiarum
Claro modulamine vocum
Dulcem sonat ocius hymnum,
Pangant simul astra polorum.

2. Instant, ecce, quater decem
Soles merito recolendi,
Quorum Deus exstitit auctor
Hominumque Dei mediator.

3. Hujus Moysi vel Eliae
Numeri placuere figurae,
Sub quo pie se macerando
Dominum coluere precando.

4. Hinc turmula Christicolarum,
Imitans sacra vota priorum,
Nunc parcius utitur escis,
Ut possit inesse supernis.

5. Quin spernimus ergo quietem
Pigrique soporis amorem,
Ut clamat ab ore propheta,
Noctis meditamur in hora.

6. Nunc, Christe, rogamus ovantes,
Audi tibi vota ferentes,
Sic vox reboetur in alto,
Ut nos placeamus in actu.

7. Sit doxa Deo genitori,
Ejus genitae quoque proli
Ac spiritui simul almo,
Manet hic Deus unus in alto.

Cod. Sangallen. 898 saec. $^{10}/_{11}$. Verfasser des Hymnus ist Berno von Reichenau, unter dessen Werken er steht.

24. In Quadragesima.

1. Ecce, dierum numerus
Poscit quadragenarius
Instare parsimoniae,
Decimas anni reddere.

2. Hoc tempus acceptabile,
Dies hi salutiferi,
Ornemus piis moribus
Jejunium, quod agimus.

3. Non victus abstinentia
Solum delectat judicem,
Si vinctus liber redditur,
Sic commotus placabitur.

4. Quod abstinenti superat,
Egentis manus capiat,
Largum datorem respicit
Summus dator et diligit.

5. Fraternum nostris cordibus
Inflammet ignem spiritus,
Vera legis impletio
Est proximi dilectio.

6. Praestent pater ingenitus,
Natus de patre filius,
Utrique compar spiritus
Nostris obtentum precibus.

Cod. Sangallen. 433 saec. 11/12.

25. Dominicis in Quadragesima.

Ad Vesperas.

1. Christe, lux vera, bonitas et vita,
Gaudium mundi, pietas immensa.
Qui nos a morte roseo salvasti
Sanguine tuo.

2. Insere tuum, petimus, amorem
Mentibus nostris, fidei refunde
Lumen aeternum, caritatis auge
Dilectionem.

3. Tu nobis dona fontem lacrimarum,
Jejuniorum fortia ministra,
Vitia carnis milia retunde
Framea tua.

4. Procul a nobis perfidus absistat
Satan, a tuis viribus confractus,
Sanctus adsistat spiritus a tua
Sede dimissus.

5. Gloria Deo sit aeterno patri,
Sit tibi semper, genitoris nate,
Cum quo aequalis spiritus per cuncta
Saecula regnat.

Brev. ms. Cavense XIII in. Cod. Caven. 27.

26. De Passione DN.

Ad Vesperas.

1. Da, pater omnipotens, da, coeli maxime rector,
Ut prosit nati passio sancta tui.

2. Utile sit Christum pro nobis tanta tulisse
Horrendumque genus sustinuisse necis.

3. Cui gens sacrilega poenas inferre nefandas
Insonti ausa fuit, verbera saeva dare.

4. Ille hominum stirpem rapuit de faucibus Orci,
Pro nobis voluit vulnera dira pati.

5. Sublimi veteres purgavit sanguine culpas,
Ut fragile humanum scandat ad astra genus.

6. Spinea serta tulit salvator et hac ratione,
Ne genus humanum tartara ad ima ruat.

7. Atque ideo patulis manibus divina potestas
In cruce pendebat; gloria summa Deo.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502. B. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. C.

27. De Passione Domini.

Ad Completorium.

1. Sancta Dei genitrix, moesta comitata cohorte,
Ad nati venit tristia fata sui.

2. Ad quam natus ait: Mulier, tua cura Johannes
Hic erit atque decus praesidiumque tibi.

3. Caro discipulo dixit: solabere Mariae,
Deinde tuam, quae jam multa dolenda tulit.

4. Succubuit postquam vocem cognovit alumni,
Pectora contundens cum nimio gemitu.

5. O quantos illic mater dilecta dolores
Passa est, hoc etenim dicere nemo potest.

6. Nec poterit quisquam digna ennarare loquela,
Quam carus matri filius ille fuit.

7. Illius ingentes dicamus carmine laudes,
Quae populis pandit prima salutis iter.

8. Ergo piae matri sit laus et gloria, cujus
Ipsa libens subiit viscera casta Deus.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. B. — 3, 1 solabete A. — 3, 2 Exinde tuam B. — 6, 2 filius ipse C.

28. Tempore Passionis.

Ad Completorium.

1. Qui noctis in silentio
Te, Christe, morti devoves
Et immolandus traderis,
Noctis quietem consecra.

2. Dum sub tenebris circuit
Quaerens leo, quem devoret,
Quos in dolore parturis,
Nunquam relinque filios.

3. Armis crucis nos induc,
Hostis quibus repellitur,
Et, ne labet victoria,
Adesto dux in proelio.

4. Te, summa Deus trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula.

Hymn. ms. Sanctensis s. n. saec. 15. add. saec. 16.

29. De Passione Christi.

1. Audite omnes gentes
Et dicite prudentes
De passione Christi,
Per quem redempti estis.

2. Benignus est et clemens,
Qui se exinanivit,
Dum formam servi accepit
Et saeculum redemit.

3. Consilium jam factum
Testem adducunt falsum,
Christum volunt damnare,
Qui venerat salvare.

4. Ducitur salvator.
Ut impiis tradatur,
Quem Judas tradidit reus
Propter triginta argenteos.

5. Emerunt salvatorem
Per Judam traditorem,
Venditus est per zelum
Deus et homo verus.

6. Formator cunctae gentis
Emptus ad invidentes
Pergit ad immolandum,
Ut agnus ad tondendum.

7. Genus ut serpentis
Judaeorum stirpes,
Qui Christum negaverunt
Et mortem tradiderunt.

8. Hoc videns Petrus flebat,
Quem Christus jam dicebat,
Arreptum suum gladium
Malcho aurem abscidit.

9. Judas, reus mercator
Et impius falsator,
Osculum signum dedit,
Quando Christum tradidit.

10. Kapite posuerunt
Spineam coronam,
Vestem diviserunt
Et alapa caederunt.

11. Lignis ex duabus
Crucem fixerunt clavis,
Quam Simon tunc portabat,
Qui Christum cruciavit.

12. Mixtum fel et acetum
Spongia miserunt,
Arundinem arripuerunt
Potando porrexerunt.

13. Noxius Pilatus
In vocem excusatus
Aqua manum lavavit
Et Christum cruciavit.

14. Orat pro inimicis,
Quod faciunt, nesciunt,
Pro impiis oravit
Et patrem invocavit.

15. Percussus est in latus
Dominus salvator,
Lympha, aqua manavit
Et mundum restauravit.

16. Qui omnia creavit,
Mortem non dubitavit,
Transeat a me calix
Iste, si fieri potest.

17. Redemerunt vinctum
Unum in diem festum,
Barrabam dimiserunt
Et Christum tenuerunt.

18. Suspensi sunt latrones
Cum Christo salvatore,
Dismas abluit fidem,
Gesmas fuit crudelis.

19. Ter negavit Petrus,
Christus ut non novetur,
Ut hoc adimpleretur,
Quod illi fuit dictum.

20. Ut homines salvaret,
Se voluit tradere
Et sanguinem fudit,
Mundi peccata abluit.

21. Xristus, vocatus unctus,
Rex regum super cunctos,
Mortuus et sepultus
Et nos redemit cunctos.

22. Yecit quem praedixit,
A mortuis surrexit,
Ad inferos descendit,
Quod condidit, redemit.

23. Zelus bonus et magnus,
Christus passus ut agnus
Surrexit de sepulchro,
Vivus ascendit sursum.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — Rundreim nach jeder Strophe: Jam Christus resurrexit. — 1, 2 Lies dicite? — 3, 2 Testes. — 3, 3 Christus velli damnare. — 4, 1 salvatur. — 4, 3 Lies tradit? — 4, 4 argenteus. — 5, 1 Judas. — 6, 1 cunctis. — 6, 3 Perge ad. — 7, 2 zu sprechen estirpes. — 6, 4 Zu ergänzen dem Sinne nach ad. Über das Fehlen der Präpositionen vgl. Anal. VII, 14 Nr. 7. — 8, 4 Malchum aurem abscondit. — 10, 2 Spinea corona; zu sprechen espineam. — 11, 2 clavus. — 12, 1 Mixto. — 12, 2 Sprich espongia. — 12, 3 harundinem. — 12, 4 Putando. — 13, 3 lavabit. — 15, 1 latu. — 15, 4 mundo. — 18, 3 Lies: Disma [h]abuit fidem, oder Dismam abluit fides. — 18, 4 Gestas. — 19, 4 ille — 20, 1 salvare.

30. Feria Quinta Majoris Hebdomadae.

Ad Mandatum.

1. Quo amor est et caritas,
Ibi est Christi pietas,
Cujus amor et passio
Facta nostra salvatio.

2. Jucundemur exsultantes,
Christum timendo amantes
Et nos ex corde sincero
Diligamus semper vero.

3. Qui non habet caritatem,
Christo aptat vanitatem,
Quam sectatur invidia,
Mors, luctus et miseria.

4. Verba Jesu hoc hortantur:
Ubi duo vel tres fantur
De me, horum sum medio,
Hos ducens sine taedio.

5. Congregemur mente pura
Profugata lite dura,
Cessent maligna jurgia,
Sic Christi adest curia.

6. Caritas est summum bonum,
Trinitatis amplum donum,
Per quam nōva et antiqua
Involvuntur Christi plica.

7. Da nobis, rex Jesu Christe,
Ne nos damnet mundus iste,
Ad te ducem confugere
Et tecum semper vivere.

Direct. chori Hallense ms. anni 1532. Cod. Bambergen. Ed. VI 3. — Mit der Aufschrift: „Mandatum novum“. Vgl. Anal. XII, Nr. 27.

31. Sabbato Sancto.

Ad Fontem.

1. Audite vocem hymni
Et vos, qui estis digni,
In hac beata nocte
Descendite ad fontes.

2. Currite sicut cervi
Ad fontes vivos verbi,
Bibite aquam vivam,
Habetis plenam vitam.

3. Donatur nobis signum
A salvatore dignum.
Qui pependit in ligno,
Tradidit nos baptismo.

4. Gaudete baptizati,
A Christo coronati,
Albam habetis vestem,
Chrisma peruncti estis.

5. Kandidati jam estis,
Chrisma peruncti estis,
Hysopo emundati,
Ad fontes vivos renati.

6. Mundate corda vestra,
Ut crescat fides vestra,
In ipsa permanete,
Semper Deum timete.

7. Ex Aegypto venerunt,
Qui mare transierunt,
Virtutes cognoverunt
Et laudes cantaverunt.

8. Gloria tibi, Christe,
Qui regis nos benigne,
Tu miserere nobis,
Qui passus es pro nobis.

Grad. ms. saec. 11. Cod. Capit. Mutinen. O I N 13. — Mit Mel. und folgender Notiz: Hoc expleto incipit omnem ritum baptismi pabulum, quousque stella in coelo apparuit. Visa stella incipit tertia litania; ter pronuntiatur terque respondetur. — 1, 3 Bibete. — 3, 1 Donator. — 3, 2 Ad salvatorem. — 4, 2 Ad Christo. — 5, 1 fehlt eine Silbe; jam ergänzt. — 6, 4 Eine Silbe zu viel; lies nati? — 6, 2 vestras. — 6, 3 ipsum. — 8, 2 regis hanc, über letzterem nos.

32. De Vulneribus DN.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosa
Vulnerum solemnia,
Mentis cedant nubilosa,
Serena sint omnia,
Ut laudentur amoenosa
Summi regis stigmata.

2. Pessumdata luctuosa
Crucis ignominia,
Vivae carnis triumphosa
Receptae laetitia
Quina sibi speciosa
Servavit monilia.

3. Corpus vere suscitatum
Praebuit palpabile,
Non figura simulatum
Phantasiae simile.
Resurrectionis gratum
Munus dat credibile.

4. Veneremur Christi mire
Praeclaram potentiam,
Qui veternam mortis dirae
Mutavit sententiam,
Pristinam filiis irae
Reddens innocentiam.

5. Redemptori laudum vota
Reddant cosmi climata,
Stigmatum cruore lota
Per tanta charismata,
Jubilando solemnizet
Nova psallens dragmata.

6. Laus aeterno genitori
Et coaevo filio,
Laus amborum unitori,
Pneumati salvifico,
Cujus gubernatur mundus
Dulci benificio.

Brev. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 139. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 146. add. saec. 14. B. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 129. C. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 124. D. — Brev. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 38. E. — 1, 4 sint fehlt B. — 2, 1 Pessum luctuosa dat E, luctuosa data B. — 2, 5 Communia sibi E. — 3, 3 stimulatum E. — 3, 6 dat terribile B. — 4, 3 Qui aeternam C. — 5, 2 Reddunt E. — 5, 3 Stigma B. — 5, 6 dogmata B. — 6, 3 unctori BE.

33. De Vulneribus DN.

Ad Nocturnum.

1. Fit porta coeli pervia
Per pretiosa vulnera,
Quae filius altissimi
Tulit pro vita saeculi.

2. Ab hostium formidine
Et noxium phantasmate
Et a morte perpetua
Nos tua salvet gratia.

3. O lux beata trinitas
Et simplex una deitas,
Aeterne rex altissime,
Nos jungas coeli curiae.

Brev. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 146. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 139. add. saec. 14. B. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 129. C. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 124. D. — Brev. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 38. E.

34. De Vulneribus DN.

Ad Laudes.

1. Vexilla regis prodeunt,
Fulgent praeclara vulnera,
Quae caro Christi pertulit,
Dum mortem crucis subiit.

2. Byssina stola principis
His purpurata flosculis,
Qua redimitus hostiam
Patri libat pacificam.

3. O salutaris hostia,
Perlustrans cordis intima,
Quae concitas in jubilum
Praecordia fidelium.

4. Triumphalis, spectabilis
Et virtus admirabilis,
Christus pro peccatoribus
Tot tritus est vulneribus.

5. Adoremus salvifica
Superni regis stigmata,
Praesentis festi gaudia
Recolendo per saecula.

Brev. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 146. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 139. add. saec. 14. B. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 129. C. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 124. D. — Brev. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 38. E. — 2, 3 redimitis BE. — 3, 1 salutaris praecordia E. — 4, 1 O principalis spectabilis B. — 4, 2 Ut virtus B. — 5, 4 Recolenda per gaudia E.

35. De Cruce DN.

1. O crux ave sanctissima,
Spes nostra nobilissima,
Salus mundi verissima,
Omni laude dignissima.

2. In te Jesus dulcissimus
Pependit amantissimus,
Rex noster invictissimus,
Per quem salvari cupimus.

3. Qui te portare voluit
Et stans in cruce doluit,
Cujus amor apparuit,
Pro nobis dum occubuit.

4. O crux plena dulcedinis
Et summae pulchritudinis,
Aspersione sanguinis
Mundificans cor hominis.

5. Qui te laudare nititur
Et dulciter complectitur,
Beatus, qui te sequitur,
Donec vivit et moritur.

6. O crux sole splendidior,
Omni melle suavior,
Tu amore praeclarior
Et balsamo fragrantior.

7. O bona crux amabilis,
In cunctis delectabilis
Et portus venerabilis
Ac valde honorabilis.

8. O crux, decor et gaudium,
Sapor et odor cordium,
Piae mentis solatium,
Et dulce refrigerium.

9. Amor crucis eximius
Nos inflammet interius,
Nihil sit nobis dulcius,
Quam crucifixus Dominus.

10. Sit crucifixo gloria,
Cui benedicant omnia,
Sibi virtus, imperia,
Clara laudum praeconia.

Orat. ms. S. Servuli Venetiarum saec. 15. Cod. Marcian. L III 32 — 6, 3 Tu amor es. — 8, 4 fehlt eine Silbe; et ergänzt.

36. De Corona DN.

Ad Nocturnum.

1. Congressae Sion filiae,
Sertum videte gloriae,
Quod tradidit ecclesiae
Sponso mater perfidiae.

2. Omissa spina criminis
Spinam pensate numinis,
Conum pungentem capitis
In forma diadematis.

3. Res mirae legis veteris
Latent in arca foederis,
Cujus labrum si videris,
Coronam hanc amplecteris.

4. Ornatur autem regio
Forma teres mysterio.
Christus de jure patrio
Judae successit solio.

5. Nec vane tamen pungitur
Spina, qua dum configitur,
Aerumna culpae luitur,
Et gratia revertitur.

6. Amoris magni speculum
Redemptionis populum,
Refectionis poculum
Spinae produxit jaculum.

7. Devotis ergo faucibus
In spinae foraminibus
Moreris, homo, trucibus
Lac sugens ex sanguinibus.

8. Ex quibus quoque poteris
Haurire vinum, sceleris
Punctuum memor vulneris,
Cum puncto dum compungeris.

9. In altis patri gloria
Pro filii victoria
Cum spiritus concordia
Per infinita saecula.

Brev. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1083.

37. De sancta Lancea.

Ad Tertiam.

1. Christus nos pascit corpore
Et inebriat sanguine,
Qui pro nobis accipere
Mortem decrevit pridie.

2. Beata spes mortalium
Verumque nostrum gaudium,
Christus in cruce cithara
David canit hymnidice.

3. Vulnus et cruor corporis,
Medullarum concussio,
Christus in ara placide
Pro nobis planxit hodie.

4. Verum pascha et transitus
Pastor ovium [factus est],
Ovem reducens perditam,
Quam diu sic quaesierat.

5. Gloria tibi, Domine,
Pro nobis passo pridie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 1, 1 Christus servo nos pascit corpore Hs. — 1, 3 Qui pro nobis pridie. — 1, 4 Mortem decrevit accipere. — 2, 2 que ergänzt. — 5, 2 Qui pro nobis pateris pridie.

38. De Clavo DN.

1. Plaude, turba Senensium,
Dono coelesti praedita,
Bonorum sunt immensium
Sacrata in te posita.

2. O Sena, felix civitas,
Civitas dicta virginis,
Tua stupenda dignitas
Implevit omnes gaudiis.

3. Quia, ecce, quo Franciam
Fecit esse mirabilem,
Clavus Christi in gloriam
Tibi inaestimabilem.

4. O cum quam grandi studio
Helena sancta circuit,
Habere, quod cum gaudio
Sena tenere meruit.

5. O hospitale dominae,
Factum es felicissimum,
Nostri Jesu reliquiae
Te reddunt valde inclitum.

6. Mercator venerabilis
Ille, qui tibi talia
Corde devoto attulit,
Coronetur in gloria.

7. In gloria et jubilo
Pleni Senenses concinant,
Et gratiarum actio
Et opera permaneant.

8. Renoventur in spiritu
Religiosi sedule,
Crucis Christi intuitu
Sint in devoto plangere.

9. Clavus corda crudelium
Scindat et reddat avida
Ad pium desiderium
Et ad plangenda vulnera

10. Christi, in cujus manibus
Fixus fuit durissime,
Nec minus in visceribus
Suae matris sanctissimae.

11. O mater beatissima,
Tuae sanctae reliquiae
Implent corda laetitia,
Cunctae liquescunt animae.

12. Et pro sanctis apostolis
Simul et pro martyribus
Civitas est in cymbalis
Cum gaudiis sonantibus.

13. Gloria Deo Domino,
Patri natoque virginis
Cum spiritu paraclito
In aeternum a saeculis.

Cod. Barbarin. XI 95 saec. 15. — 3, 1 lies qui Franciam?

39. De Sepulchro DN.

Ad Vesperas.

1. Victima paschalis, dulcore Deo specialis,
Qua nunquam Domino dulcior ulla fuit,
2. Est bene tunc frixa, dum carne fuit crucifixa.
Exanime corpus pertulit arca sua.
3. Virginis ut corpus pertransiit ille sepulchrum,
Passibile mater, hoc sine morte dedit.
4. Illa redemptorem pariendo contulit orbi,
Regnantem coeli subdidit illa polo.
5. Utrobique tamen permansit et Ezechielis
Porta Dei clausa, gaudeat orbis ei.
6. Virgo gerit pugilem, victorem contulit arca,
Incorrupta prior, tumba foetore sine.
7. Gloria sit Domino, qui sacro claruit antro,
Flamine cum sancto laus, decus atque patri.

Brev. ms. Wratislaviense saec. 15. Cod. Civit. Wratisl. M. 1155. — 4, 2 Regnantem coelibus Hs. — 6, 2 Et corrupta prior Hs.

40. De Sepulchro DN.

Ad Completorium.

1. Tumba sacrum novit illud nova claudere corpus,
Alterius virgo postque nec ante tulit.
2. Nobilis o tumba, sanctissime Christe sepulte,
Tu benedic, salva, Christe sepulte, juva.
3. Virgo, Deum placa, quae virgo Deum genuisti.
Tumba malum mina, daemonis abde minas.
4. O mors, morte tua mortem bona mortificasti,
Vita [tumba] tua vivida cuncta facis.

5. Consepeli tibi nos, rex regum, Christe sepulte,
Consurgamus uti laudibus arce poli.

6. Gloria sit Domino, qui sacro claruit antro,
Flamine cum sancto laus, decus atque patri.

Brev. ms. Wratislariense saec. 15. Cod. Civit. Wratisl. M 1155. — Scheint ursprünglich wohl nur Divisio des vorhergehenden Hymnus.

41. In Litaniis Majoribus.

R° Christe, tuo liberati
miserere sanguine.

1. Aurem flecte pietatis
et extende dexteram
Lacrimanti pro peccatis
et gementi populo.

2. Animalia, jumenta,
Coeli volatilia,
Nos praecedunt naturale
Observando ordinem.

3. Mala, nostris pro commissis
Quae meremur, Domine,
Jam suprema feriendo
Antecedunt tempora.

4. Coelum, terram, mare duo
Atque luminaria
Consueta famulari,
denegant obsequia.

5. Plura sunt, quam sepeliri
valeant, cadavera,
Pro foetore mortuorum
moriuntur alii.

6. Qui residui sunt, modo
moriuntur subito
Fame panis pro peccatis
atque pestilentia.

7. Olim unus famulorum
plebis tuae, Domine,
Mille terruit, fugabat
duodecim milia.

8. Versa vice paganorum
unus decem milia,
Pro dolor, et duo pene
superant ecclesiam.

9. Sectis genibus misellae
Mulieres rugiunt,
Raptis fetibus affectis
Paganorum lusibus.

10. Bella desunt nec in nobis,
publice vigilia
Nostri nobis adversantur
pacis adversarii.

11. Memor esto manus tuae,
quod sit homo luteus,
Testae fragilis ad instar,
fabricator pulveris.

12. Verberati jam furoris
virga tui morimur,
Quare conteris humanum
genus sicut paleas?

13. Mala nostra superpendis,
nos aequamur canibus,
Misereri si desistis,
velut fumus erimus.

14. Manus tua nisi parcat,
nil erit, quod punies,
Nihil erit meritorum,
quod sit dignum munere.

15. Licet tarde jam conversi
totis ad-te viribus,
His verberibus afflicti
postulamus veniam.

16. Si, pater, est castigatus,
miserere filiis,
Te crudelem sustinere
nequit caro misera.

17. Crucifixe, famulorum
da delictis veniam,
Tibi sit cum patre sancto
spirituque gloria.

18. Summae sanctae trinitati
sit honor et gloria,
Ut laudetur nomen tuum,
dona indulgentiam.

Grad. ms. S. Laurentii in Verano saec. 10/11. Cod. Angelicus B III 18. — Nach jeder Strophe wiederholt sich der Rundreim. — 8, 3 Pro dolore duo pene. — 13, 2 non aequamur. — 15, 3 His veribus. — 16, 1 Sic pater. — 18, 1 trinitatis.

42. In Ascensione DN.

1. Ascendit in coelos Deus,
Altissimi proles Dei,
Cujus levatus dextera
Assumptus est in aethera.

2. Stabant duo illic angeli
Albis amicti vestibus,
Qui voce clara apostolos
Affantur his sermonibus:

3. Viri, quid admiramini
Sursum tuentes sidera?
Hic Jesus olim sic redit,
Ut visus est nunc scandere.

4. Illi repleti gaudio
Haec audientes conciti
In urbis altae moenia
Se gratulanter conferunt.

5. Hic semper in coenaculo
Jejuniis ac laudibus
Vacando sanctum invocant
Et praestolantur spiritum.

6. Et nos tui nunc servuli
Te deprecamur supplices,
Ut nobis sancte jugiter
Assis favendo spiritus.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 387. A. — Psalt. ms. S. Laurentii Sangallen. saec. 15. Cod. Sangallen. 16. B. — 5, 1 Sic semper B. — 6, 3 Ut nos sancte A.

43. De Sancto Spiritu.

Ad Vesperas.

1. Gratia tua, spiritus,
Praesens sit nobis omnibus,
Quae corda nostra visitet
Atque in eis habitet.

2. Expulsis inde vitiis
Et omnibus malitiis
Ac nostrae mentis tenebris
Simul cum immunditiis.

3. Amator tu paraclite,
Unctionem tuam mitte
Cordi nostro et animae
Cum tuo claro lumine.

4. Sine te nihil possumus,
Nos ergo a te poscimus,
Ut preces, quas nos fundimus,
Dignae sint tuis auribus.

5. Per te quies sit temporum,
Vitae detur solatium,
Pacis redundet commodum,
Sedetur omne scandalum.

6. Praesta hoc, pater optime,
Christe, tu nate maxime,
Atque tu, spiritus alme,
Qui regnas omni tempore.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. — Aus einem Cursus de S. Spiritu. — 6, 3 tu sancte spiritus alme Hs.

44. De Sancto Spiritu.

Ad Completorium.

1. Te nunc precamur, spiritus,
Emitte nobis coelitus
Dona tua et munera
Ad nostra dura pectora.

2. Noctem obscuram remove,
Omne delictum ablue,
Nobis medelam tribue
Jam et in omni tempore.

3. Praesta, pater piissime,
Praesta per almum spiritum,
Sine quo labor deficit
Et nihil dignum efficit.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482.

45. De Sancto Spiritu.

Ad Primam.

1. Jam nunc, paterna trinitas,
Exaudi precesque nostras,
Ut in diurnis actibus
Nos serves a nocentibus.

2. Visum fovendo contegas
Linguamque nostram [dirigas]
Et actus nostros ordina
Cordaque nostra subleva.

3. Illud concede, trinitas
Et indivisa unitas,
Domos regens pacificas
Aetates per interminas.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482.

46. De Sancto Spiritu.

Ad Tertiam.

1. O lux, beata trinitas,
Et principalis unitas,
Dignare cor accendere
Atque tibi attendere.

2. Sciamus te diligere
Atque mundana spernere,
Mores nostros corrigere,
Bona aeterna poscere.

3. Illud concede, trinitas.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. — 2, 1 Ut sciamus te Hs.

47. De Sancto Spiritu.

Ad Sextam.

1. Rector trinus per omnia
Et unus in substantia,
Rege tua ovilia
Daque eis utilia.

2. Absterge omne noxium
Fugaque omne pessimum,
Confer salutem corporum
Veramque pacem cordium.

3. Istud concede, trinitas.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. — 1, 4 Daque ei Hs.

48. De Sancto Spiritu.

Ad Nonam.

1. O trinitas laudabilis,
Esto nobis placabilis,
In omnibus laudabilis
Scutumque in periculis.

2. Illumina cor hominum,
Absterge sordes mentium,
Resolve culpae vinculum,
Everte moles criminum.

3. Istud concede, trinitas.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. — 1, 3 wohl verschrieben. — 2, 1 Illumina corda Hs.

49. De Sancto Spiritu.

Ad Completorium.

1. Te deprecamur, trinitas,
Ante noctium tenebras,
Ut pie nobis remittas
Omnia mala et culpas.

2. Artus solutos recrea
Mentesque fessas alleva,
Noctem quietam nobis da
Nobiscumque sit pax tua.

3. Istud concede, trinitas.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 482. — 1, 1 Te Deum precamur Hs.

50. In Pentecoste.

Ad Completorium.

1. Anni peractis mensibus
Tanta recurrunt gaudia,
Votisque dudum credulis
Optatus advenit dies.

2. In quo spiritus Domini
Terras replevit gaudiis,
Coelestia adventus sui
Mundo decurrunt lumina.

3. Sic namque filius Dei
Apostolis spoponderat,
Celsos petisset cum polos,
Missurum sanctum spiritum.

4. Quod est probatum testibus
Apostolorum vocibus,
Cum sint diversis oribus
Variis locuti gentibus.

5. Tanto redempti munere
Patris ac nati spiritus
Juges agamus gratias
Deo perenni saeculo.

Brev. ms. Halberstadiense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za. 42. — 1, 3 credula Hs. — 3, 1 Te namque Hs. — 5, 3 Ingens agamus Hs. — Vgl. Stephenson 95.

51. In Festo Corporis Christi.

Ad Vesperas.

1. Ad coenam agni providi
Et stolis albis candidi
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.

2. Cujus corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore ejus roseo
Gustando vivimus Deo.

3. O vere digna hostia,
Per quam Christi vestigia
Sequentibus laetitia
Hic et in poli curia.

4. Quibus vitae substantiam
Hora sui memoriae
Carnem suam per propriam
Subministrat quotidie.

5. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus hoc das edulium,
Prosperum serves exitum.

Brev. ms. Langheimen. saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VI 11. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Ebracense saec. 12. Cod. Herbipolen. Mp. th. f. 110. add. saec. 14/15. B. — Noct. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Herbipolen. Mp. th. O. 9. add. saec. 15. C. — Hymn. ms. Egmontensis saec. 15/16. Cod. Hagen. X 1. D. — Hymn. ms. Egmontensis saec. 14/15. Cod. Hagen. X 4. E. — DE beginnen mit Str. 3.

52. In Festo Corporis Christi.

Ad Nocturnum.

1. O fidei mysterium,
Mundos, fortes nos efficc,
Quo intremus in gaudium
Trinitatis deificae.

2. Ut cum sanctis feliciter
Conregnantes praeconia
Tibi laudum perenniter
Immolemus in gloria.

3. Quaesumus, auctor omnium.
Ut hoc vitae mysterio
Ab omni mortis impetu
Tuum defendas populum.

4. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus das hoc edulium,
Prosperum serves exitum.

Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VI 11. add. saec 15. A. — Brev. ms. Ebracense saec. 12. Cod. Herbipolen. Mp. th. f. 110. add. saec. 14/15. B. — Brev. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Herbipolen. Mp. th. O. 9. add. saec. 15. C. — Hymn. ms. Egmontensis saec. 15/16. Cod. Hagen. X 1. D. — Hymn. ms. Egmontensis saec. 14/15. Cod. Hagen. X 4. E. — In ABC Divisio des vorhergehenden Hymnus; in DE mit Str. 3 und 4 des vorhergehenden ein Hymnus ad Laudes. — 2, 2 Conregnantes per omnia A. — 2, 3 laudum peremnia A.

53. In Festo Corporis Christi.

Ad Laudes.

1. Sacro tecta velamine
Pietatis mysteria
Mentes pascunt dulcedine,
Quas satiant coelestia.

2. Sit ergo cum coelestibus
Nobis commune gaudium,
Illis, quod se praesentavit,
Nobis, quod se non abstulit.

3. Splendor superni luminis
Laudisque sacrificium,
Coenam tuam da numinis
Tui post carnis transitum.

4. Saturatus opprobriis
Adhuc cruci configeris
Et irrisus ludibriis
Crudeli morte plecteris.

5. Tu enim, coeli gloria,
Lux beata credentium,
Redemptionis hostia,
Tuarum pastus ovium.

6. Cujus cultu memoriae
Dirae mortis supplicio
Nos de lacu miseriae
Educ, qui clamas: sitio.

7. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus das hoc edulium,
Felicem dones exitum.

Noct. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2880. — Das Brevier stammt augenscheinlich aus einem niederländischen Cisterciensernonnenstifte, wie die Eintragung: domicellae Elisabeth de Bemmel, bezeugt.

54. In Festo Corporis Christi.

Ad Laudes.

1. O vere potens victima,
Holocaustorum optima
Cunctaque sacrificia
Perficiens legalia.

2. Non agnum neque vitulum
Nobis offers in pabulum,
Immo subcinericium
Das panem, corpus proprium

3. Tradis in potum sanguinem
Bene procurans hominem
Hic in praesenti gratia,
Ut vivat post in gloria.

4. Os tangis signi specie,
Cor tangis rei serie,
Pascis panis in nubilo.
Pascas in rei jubilo

5. Honor et laus ingenito
Patri et unigenito
Cum spiritu paraclito
Pro sacramento tradito.

Brev. ms. Speciosae Vallis saec. 14. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 150.

55. In Festo De Corporis Christi.

Ad Completorium.

1. Ad coenam paschalis agni,
Qui in mensa regis magni
Cibatur a fidelibus,
Christo sit laus ab omnibus.

2. Cujus corpus crucis ara
Morte sui dum amara,
Cruore ejus roseo
Gustando vivimus Deo.

3. O vere digna hostia,
Quae spolias daemonia,
Captivis das remedia
Vitae praestando praemia.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto flamine
Nunc et semper sine fine.

Psalt. et Hymn. ms. S. Laurentii Lausannen. saec. 13. Cod. Lausannen. V 1184. A. — Offic ms. BMV. saec. 15. Cod. S. Nicolai Friburgen. s. n. B. — Brev. Lausannense imp. 1509. C. — Mel: A solis ortus cardine A.

56. In Festo Corporis Christi.

Ad Completorium.

1. In suis filiis mater ecclesia
Sinceris mentibus, dulci melodia
Devote recolat haec pia gaudia,
Ut digne laudetur divina sophia.

2. Cum nostrae facta sit salutis hostia,
Quamdiu mundus est, nostra flagitia
Non cessat tollere, operatoria
Est quoque virtutum et harum gloria.

3. Amoris validi cogente copia
Se nobis reliquit, se dat cibaria
Mentis et corporis, sui memoriam,
Coelestis aditus introductoriam.

4. Pater et filius atque concordia
Aeternae gloriae donet convivia,
Ut sine termino laudum praeconia
Solvamus jugiter in vera patria.

Brev. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 704. A. — Brev. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 796. B. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VII 7. add. saec. 15. C. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VI 10. add. saec. 15. D. — Brev. ms. Langheimense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VII 11. add. saec. 15. E. — Brev. ms. Ebracense saec. 12. Cod. Herbipolen. Mp. th. f. 110. add. saec. $^{14}/_{15}$. F. — Brev. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Herbipolen. Mp. th. O. 9. add. saec. 15. G.

57. In Translatione s. Sanguinis.

1. O lapis, salus hominis,
O flos et fructus virginis,
Prae nive candens oreris,
Prae rosa rubens moreris.

2. Candens ex innocentia
Rubes ex patientia,
Dum fundis propter hominem
Septena vice sanguinem.

3. Tu puer circumcideris,
Sudore rubro tingeris,
Cruentat flagellatio
Te, demum coronatio.

4. Manus pedesque pateris
Clavari, tandem lateris
Apertione profluit
Sanguis, qui mundum abluit.

5. Hic cruor lavat crimina,
Hic coeli pandit limina,
Hic cordis sitim terminat,
Hic mens virtutes germinat.

6. De salvatoris fontibus,
Innocui cum sontibus,
Haurite, quo mundemini,
Vivatis, fecundemini.

7. Sit trinitati gloria
Pro sanguinis victoria,
Qui superatis hostibus
Nos coeli reddit postibus.

Brev. ms. Gengibacense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Geo. 22. — 5, 1 Sic cruor Hs.

58. In sancti Salvatoris.

Ad Vesperas.

1. Berithi dum Christicola
Urbis maneret incola,
Uni colenti idola
Suam locavit cellulam.

2. In qua cum fit convivium,
Tunc unus discumbentium
Videns miratur nimium
Salvatoris imaginem.

3. Et commotus in furia
Dicit danti convivia:
Lege vivens Hebraica
Adoras Christi statuam?

4. In Christi contumeliam
Illi facit injuriam
Et multam verecundiam
Hunc accusans praesulibus.

5. Qui accusam recipiunt
Concilium et faciunt
Et accusatum cupiunt
Propter iconam laedere.

6. Sit salvatori gloria,
Cujus iconae Syria
Multa fecit opprobria,
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 2, 3 mirantur. — 3, 3 Hebraea. — 5, 1 Lies Qui ac causam?

59. In sancti Salvatoris.

Ad Laudes.

1. Imago patris unice,
Tibi psallentes respice,
Tuo redemptos sanguine
Ab omni purga crimine.

2. In forma primo carnea
Idemque passus lignea,
Mundo salutis gaudia
Mandans per crucis praemia.

3. Ut quondam carne languidos
Ligni cruore validos
Fecisti, sic nos crimine
Sancto munda spiramine.

4. Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 3, 4 Sancto mundi.

60. In sancti Salvatoris.

In 2 Vesperis.

1. Salvator mundi, Domine,
Patris nate de lumine,
Intende preces supplicum
Et solve nexus criminum.

2. Qui primum propter hominem
Carnis fudisti sanguinem,
De ligni quoque schemate
Sacrato rubes aemate.

3. Colaphis et opprobriis,
Flagris et poenis variis
In ligno tunc pro miseris,
Ut quondam carne, tunderis.

4. Nunc, Christe, votis omnibus
Tibi grates referimus,
Tu solita clementia
Nostra dele flagitia.

5. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi patrique gloria
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Gratae Pergamen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Ambrosian. T 43 sup. — 2, 4 aemate = *αἵματε*. — 3, 4 tonderis.

61. In Sancti Salvatoris.

Ad Vesp. et Laud.

1. Apparuit benignitas
Omnipotentis Domini,
Noctis illustrans semitas
Et reddens caecos lumini.

2. Pati dignatur iterum
Rex potens in certamine,
Ut credat genus miserum
Verbum patris in homine.

3. Sanctum Christi persequitur
Nomen Judaea rabies,
Diris flagris afficitur
Ejus dulcis effigies.

4. Sacrae latus imaginis
Ferro confossum scinditur,
Aquae rivus et sanguinis
Foris ubertim mittitur.

5. Sanat quoscunque languidos
Sanguis a ligno proditus,
In Christi laude fervidos
Reddit lux missa coelitus.

6. Stupens Judaea natio
Sanctum baptisma suscipit,
Rectorum generatio
Sic incrementum rapuit.

7. Laus tibi, Christe Domine,
Qui solvis nostra vincula,
Patri cum sancto flamine
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. add. saec. 15. A. — Breviarium Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B. — 4, 2 confossus AB.

62. In Sancti Salvatoris.

Ad Nocturnum.

1. Regi superno psallite,
Qui facit mirabilia,
Et admirantes cernite
Salvatoris prodigia.

2. Dum Judaeorum pessima
Beryti saevit concio,
Christi quondam durissima
Renovellatur passio.

3. Qui dudum crucifixerant
Aeterni patris filium,
Ejus iconam lacerant
Et ponunt in opprobrium.

4. Imago Christi caeditur
Septa corona spinea,
Ligno clavis affigitur
Et perforatur lancea.

5. O res valde mirabilis
Magno tollenda nomine,
Species insensibilis
Aqua fluit et sanguine.

6. Hic cruor aegros liberat
A variis languoribus,
Christum Judaeis reserat,
Quos sacris jungit ovibus.

7. Te, summa Deus trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. add. saec. 15. A. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a. B. — 2, 2 Berinthi AB. — 3, 3 iconiam AB, laeserant B. — 5, 2 tollendi AB. — 6, 3 Judaei AB, reserant B.

63. In Apparitione cujusdam miraculi Corporis Christi.

Ad Vesperas.

1. Jesu, creator orbis et redemptor,
Corporis sacri munera qui praestas,
Tribue nostris animis salutem
Sanguine tuo.

2. Tu nobis vitam praeparas felicem,
Panem et vinum dono tu concedis,
Regis quo nostros et gubernas actus
Pius et mitis.

3. Semper tu nostras illustrare terras
Mentesque summis confirmare signis
Curas et omnes salvos esse tuos,
Quos redemisti.

4. Non fuit nostris saeculis perlata
Fama tam grandis operis praeclari,
Ut Deus ipse tribuit benignus
Famulis suis.

5. Ut luce sexta creditur venisse
Coelo rex ille, miseratus nostra
Crimina ferre, uterum complere
Virginis almae.

6. Sic nobis demum incarnatus venit
Iterum dare populum salute,
Ferant ut omnes tanto sacramento
Laudes immensas.

7. Ergo tu, Christe, gaudia qui praestas
Vitae praesentis et futurae promis,
Nobis adesto, supplices precamur,
Gratia tua.

8. Ut grates uno pariterque trino,
Totum qui regit et gubernat orbem,
Solvere queat munere pro tanto
Chorus hic noster.

Brev. ms. S. Ambrosii Florent. anni 1518. Cod. Laurent. Conv. sup. 90. A. — Offic. ms. S. Ambrosii saec. 15. Cod. Florent. Magliabecc. Cl. XXXVI. 70. B. — 2, 4 mictis A. — 3, 2 Mentesque suis summis confirmare si magis A. — 7, 1 gaudia fehlt A. — 8, 3 queant A.

64. In Apparitione cujusdam miraculi Corporis Christi.

Ad Nocturnum.

1. Rerum aeterne arbiter,
Noctis nostrae qui tenebras
Illustras tua gratia,
Largire nobis veniam.

2. Ut insignis prodigii,
Quod tui colunt famuli,
Digne possimus agere
Puro corde solemnia.

3. Excussa primum mentibus
Peccatorum caligine
Fideque recta cernere
Sic decet illam speciem.

4. Non unius imaginis,
Sed multiplex objicitur
Pro vitae sanctae merito
Et virtutis praeconio.

5. In fide vera dubio
Vel peccatorum pondere
Depresso nullo cernitur
Figura tam mirifica.

6. O alma spes credentium,
Per sacramenti meritum
Nostra resolve crimina
Sortis misertus pauperum.

7. Nos quoque tuae famulae,
Quae tanti sumus hodie
Miraculi participes,
Simus et regni gloriae.

Brev. ms. S. Ambrosii Florent. anni 1518. Cod. Laurentian. Conv. sup. 90. A. — Offic. ms. S. Ambrosii saec. 15. Cod. Florentin. Magliabecc. XXXVI. 70. B. — 3, 3 Fide quem recta cerne A. — 4, 1 Nunquam hujus imaginis B. — 4, 2 Vultus plebs obliviscitur B. — 5, 1 In fide nec dubio A. — 5, 3 nulla B. — 6, 1 O fehlt A. — 7, 1 famulae; San Ambrogio war ein Benediktinerinnen-Kloster.

65. In Apparitione cujusdam miraculi Corporis Christi.

Ad Laudes.

1. Optata saeculis surgunt solemnia,
Quae nova perferunt animis gaudia,
Cum haec mirifica nobis sunt praestita
De fonte sancto gloriae.

2. Namque recolitur clarum prodigium,
In Christi corpore ostensum largiter,
Quod nos accepimus in fine saeculi
Miro patratum ordine.

3. Monstratur sanguinis figura sensibus,
Carnisque speciem vinum subinduit,
Sic ter convertitur terque dividitur
Trinam in partem veniens.

4. Quae demum trinitas una essentia
Monstrata claruit tanto miraculo,
Redit in pristina conserta cumulum
Novo mutandi genere.

5. Relata praesuli Dei magnalia,
Ornantur optime ampla prodigia,
Ter namque Dominus terret in somniis,
Quod nondum se remiserit.

6. Cunctorum protinus currit frequentia
Tantique muneris tendunt ad gratiam
Ejusque merito narrant insignia
In templo sancto Domini.

7. Te, sancta deitas unaque, poscimus,
Mentes ut abluas, crimina reseces,
Praestes et famulis aeterna praemia
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. S. Ambrosii Florentini anni 1518. Cod. Laurent. Conv. sup. 90. A. — Offic. ms. S. Ambrosii saec. 15. Cod. Florent. Magliabecc. XXXVI. 70. B. — 3, 1 Mutatur sanguinis A. — 4, 3 concerta B. — 5, 3 terreat A, somnis AB.

66. In Dedicatione Ecclesiae.

Ad Vesperas.

1. Hoc honoris tui templum
cum decoris gloria
Tibi, Christe, praeparatum
de supernis visita.

2. Te precamur, hic adesto,
conditor sanctissime
Atque consecrator ipse,
hic adesto jugiter.

3. Haec est tibi consecrata
micans aula similis
Hierusalem, quae est nostrum
celsa mater omnium.

4. Cujus multae mansiones
insunt amplis moenibus,
Namque suis quisque sedem
sumit factis congruam.

5. Mater ibi tua, Jesu,
turmas ducens virginum
Locum tenet intra laetae
muros urbis optimum.

6. Illic est apostolorum
sacer adest numerus,
Urbis celsae qui credenti
portas plebi reserat.

7. Carmen Christo triumphale
chorus cantat martyrum,
Quanto plura passus isthic,
illic tanto laetior.

8. Rectos corde cunctus unum
replet ibi gaudium,
Qui distincta pro distinctis
sumunt dona meritis.

9. Exsultantes manifestam
Dei cernunt faciem,
Dant aequalem coaeternae
trinitati gloriam.

10. Gloriosa Deo patri
dilectoque filio
Laus et honor et potestas
sit cum sancto spiritu.

Psalt. ms. Turicense saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Civit. Turicen. C 63. A. — Psalt. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Taurinen. E IV 27. B. — Brev. Augustanum imp. 15**. C. — BC haben nur die Str. 1, 2, 3, 4, 10; von 3, 3 an ist der Hymnus entlehnt aus dem alten Abcdarius Anal. XII, 38. — 2, 1 Te deprecamur BC; adesse B. — 4, 1 Hujus BC. — 4, 4 factis congruam fehlen A. — 9, 2 faciem fehlt A. — 10, 4 atque sancto spiritu A.

67. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Christe immense dominator sancte,
Conversa plebem, quam tu redemisti,
Sanguine sacro tuo pretioso
Ipse salvasti.

2. Conserva plebem tuam, Jesu Christe,
Et fac haeredes tecum perseverent
Semper adsistant pariterque omnes
Laudes referre.

3. Tibi, redemptor alme, bone pastor,
Gratias tibi agimus immensas,
Tua nos semper dextera conserva
Per cuncta saecla.

Hymn. ms. Neapolitan. saec. 13/14. Cod. Neapolitan. VI G 29.

68. In Commemoratione Animarum.

1. Jesu, fili Dei, rex et sacerdos
Hostiaque digna, parce redemptis,
Animas purgandas pie consolans.
2. Tuorum spiritus carne solutos
Non tradas opprimi labe pollutos,
Sed mundatos a te releva puros.
3. Ne sinas amplius hos cruciari,
Pro quibus anima tua sacrata
Cruce laboravit caput inclinans.
4. Expansis manibus flens et lacrimans
Voceque valida clamans rogasti
Patrem pro salvandis, solve captivos.
5. Da eis quietis loca beata
Cum sanctis omnibus regno coelesti,
Ad quod sunt creati et recreati.
6. Aeterna gloria cito recepti
Exsultent amodo te collaudantes,
Te glorificantes atque dicentes:
7. Laus tibi, trinitas, laus et potestas,
Te laudant pariter sancti gaudenter
Sine fine laeti tecum amantes.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — „Nota sicut: Martyr egregie.“

69. Lessus Poenitentis.

1. Deus, orbis reparator,
lux aeternae gloriae,
Mihi, quaeso, poenitenti
praebe pius veniam.
2. Ut commissa delitescant,
facinoris cumulus,
Quorum gravi mole cogor
anxiari spiritu.
3. En, ad rutila polorum
non sum dignus sidera
Infelices pro delictis
sublevare oculos.
4. Nisi tu clemens mearum
lacrimarum rivulos
Ope tuae pietatis
digneris respicere.
5. Ut ablata vitiorum
sorde puro pectore
Tibi regi sempiterno
grates queam solvere.
6. Ergo pius obstinati
duritiam corculi
Et mollesce et moerorem
sere medicamine.

7. Qui cum patre sempiterno
regni tenes solium
In unitate perenni
atque sancto spiritu.

Cod. Capit. Veronen. 90 saec. 9. — 2, 1 delitescat. — 2, 4 auxiaris. — 4, 2 lacrimarum volis. — 4, 3 Opem. — 5, 1 oblata. — 5, 4 gratesque absolvere. — 6, 1 obstinate. — 6, 2 torculis. — 6, 3 molleste et moerore. — 7, 2 tene.

70. Versus de Poenitentia.

1. Anima nimis misera,
Infelix, scelestissima,
Probra gessisti omnia,
Tormenta lues pessima.

2. Brevi pro luxu saeculi
Plorabis in perpetuum
Frustraque ab imo pectoris
Altis gemes suspiriis.

3. Caloremque libidimis
Luxuriando reficis,
Stridentibus in mediis
Flammis rugitus tribues.

4. Dedisti gulae operam
Saturatura ad crapulam.
Serpentibus flammivomis
Rodenda in visceribus.

5. Elegeras in gloria
Vana laetari modicum,
Ad imum usque foetidi
Humilianda barathri.

6. Fornicata es post idola
Sectando avaritiam,
Implenda plumbo, sulphure,
Pice, nigro bitumine.

7. Gaudensque malis proximi,
Invidens bonis socii,
Amare lutum nimium,
Dirum lues judicium.

8. Haesisti omni vitio,
Omni digna supplicio,
Quapropter sine venia
Torqueberis per saecula.

9. In die, quando misera
Hoc absolveris corpore,
Cogita, quam terribiles
Tibi occurrent daemones.

10. Kaminus ignis torridi,
Vermes mortem impavidi,
Nox, grando, gelu, glacies,
Pruina te suscipiet.

11. Laudes boni dabunt Deo,
Ardebis cum diabolo,
Et cui culpa similis,
Poena plecteris simili.

12. Magnus erit clangor tubae,
Quo mortui vivent saeclo,
Stolam binam justi sument,
Dupla morte tu peries.

13. Nulla erit his susceptio
Salutis vel remedii,
Janua clausa thalami
Completis sponsi nuptiis.

14. O quam infelix anima,
Privata convivio,
Quae ultra in memoriam
Non revertetur Domini.

15. Pete Deo clementiam,
Ex toto corde veniam.
Fructusque poenitentiae
Dignos age in corpore.

16. Quam putas justus Dominus
Digna donabit meritis,
Si pro verbo inutili
Vindictam dat judicii?

17. Recogita, miserrima,
Quae egisti in saecula
Et plora ante Dominum,
Ut det misericordiam.

18 Sola est namque gratia,
Lapsi qua solent surgere,
Qua publicanus, meretrix,
Latro salvatur credulus.

19. Tua pone in faciem
Peccata, gesta noxie
Et poenas tibi debitas,
Sanctorum sedes lucidas.

20. Venturum regem conspice
Paterna in majestate,
Ignem qui justi judicis
Vultum praeibit fulgidum.

Cod. Parisin. (ol. S. Martial.) 1154 saec. 10. Nach den ungeraden Strophen R° Lugendum nimis, quia aeternis es torquenda cruciatibus; nach den geraden: Succurre, Christe, quia benignus es, et da misericordiam. — 3, 4 tribuis. — 10, 3 Lies Nix? — 20, 4 praeibis.

71. Versus de ploratu poenitentiae.

1. Totius mundi machinae creator,
Qui poli summa resides in arce,
Aure clementi modo me misellum,
Deprecor, audi.

2. Non queo verbis tibi confiteri
Cuncta, quae coram mala te peregi,
Ablui postquam merui sacrati
Fontis in unda.

3. Fraude deceptus lubrici draconis
Non dedi factis requiem nefandis,
Dum mihi virtus fuit et facultas
Id peragendi.

4. Fraus, furor, luxus, crapula, libido,
Livor et zelus, dolus et cupido
Me suo sicut studuere servo
Semper abuti.

5. Tu procul hostem remove malignum,
Tu dolos ejus laqueosque rumpe,
In quibus strictum studuit frequenter
Me religare.

6. Unde, cunctorum dominator alme,
Me potes, si vis, scio, liberare
Et tua rursum pietate sacra
Purificare.

7. Ut dies casum mihi cum suprema
Vexerit mortis, precor, invenire
Nil in me possit ditionis suae
Pestifer anguis.

8. Angelus sed tunc mihi sanctus adsit,
Omnibus qui me vitiis piatum
Te, Deus, statim requiem jubente
Ducat ad almam.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154 saec. 10.

72. De eodem Argumento.

1. Christe, rex regum, dominans in aevum,
Lumen aeternum patris atque verbum,
Qui regis cunctum pietate mundum,
Factor egentum,

2. Flebilem multum miserere servum,
Mente corruptum recreans alumnum,
Sis memor dudum tibi recreatum
Atque redemptum.

3. Fac mihi signum, pie rex, benignum,
Quin et indignum, rogo, redde dignum,
Ut canam laudum tibi, Christe, metrum
Nunc et in aevum.

4. Corrigas ipsam, precor, alme, vitam,
Fraude devictam vitiisque tritam,
Ut tibi dignam, Deus, obsequelam
Jam modo solvam.

5. Tende praecelsam, precor, sancte, dextram
Et fuga foedam variamque lepram,
Pelle jam noxam, nimium nocivam
Delue culpam.

6. Expia vernam reparando formam,
Exhibe gratam citius medelam,
Forte ne taetram ruar in gehennam
Daemone plenam.

7. Nempe tu pridem, Deus, hunc in orbem
Veneras, omnem recreare plebem,
Omnibus pacem populisque lucem
Fore perennem.

8. Tuque mortalem, Deus alme, carnem
Sumpseras idem, homo factus autem
Fuderas dulcem simul et salubrem
Sponte cruorem.

9. Huncque per mortem religando fortem
Liberas omnem, reparator, orbem,
Vasa coelestem revehens ad arcem
Rege nitentem.

10. Tanta tu, pastor pariterque doctor,
Perpes adjutor jugis atque tutor,
Feceras, ductor, sator et redemptor,
Lucis et auctor.

11. Sis mihi factor, mihi sis et altor,
Esto protector jugiterque rector,
Esto defensor, necis o peremptor,
Semper et ultor.

12. Esto salvator simul et ducator,
Sis gubernator velut es creator,
Sis triumphator mihi sive victor
Et superator.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154 saec. 10. — Aufschrift: Versus cujusdam. — 4, 2 uniusque tritam. — 11, 1 Lies Sis mihi fautor?

73. De eodem Argumento.

℟ O Deus, miserere,
Miserere servi,
Heu, quid evenit mihi!

1. Ex quo enim me jussisti
Hunc in mundum nasci,
Prae cunctis ego amavi
Caritate pasci.

2. Tu me, Domine, fecisti,
Ut servirem tibi,
Ego miser te dimisi
Et longe abivi.

3. Tu me quoque redemisti
De jugo servili,
Et ego te non agnovi
Nec ad te redivi.

4. Mandata, quae praecepisti,
Proh dolor, reliqui,
Fateor voce lugubri,
Nimium deliqui.

5. Almam legem, quam dedisti,
Denique neglexi
Et illa, quae vetuisti,
Avide dilexi.

6. Cuncta bona praeterivi
Animo libenti
Ac multa mala peregi
Pectore ferventi.

7. Voluptates non dimisi,
Sed his me addixi
Et totius me peccati
Vinculis devinxi.

8. Iram tuam provocavi
Crimine frequenti
Ideoque te offendi
Offensa ingenti.

9. Sed quid plura dicam tibi,
O pia lux saecli?
Mala quoque, quae permisi,
Cuncta miser feci.

10. Ergo jam sucurre flenti,
Domine, clienti
Scelera tibi fatenti,
Veniam petenti.

11. Affer opem indigenti
Jam manu clementi,
Vulnera quae det egenti,
Medere languenti.

12. Subveni te invocanti
Et in te speranti,
Dextram da, quem redemisti,
Jam periclitanti.

13. Interea omnes sancti,
Cohaeredes Christi,
Exorate prece dulci
Pro me infelici.

14. Alma tu Maria, tui
Virgo mater Dei,
Interventu nunc salubri
Memor esto mei.

15. Sancte Michael, insigni
Supplicato regi,
Deprecamur, atque cuncti
Angelorum chori.

16. Claviger quoque praecelsi,
Sancte Petre, regni,
Socios adjungens tibi
Preces funde patri.

17. Martyrumque gloriosi
Beatorum globi,
Flagitate pro miselli
Peccatis alumni.

18. Patriarchae quin electi
Et prophetae sancti,
Suffragamini pententi
Precibus clienti.

19. Virgines o clarae, vestri
Per amorem sponsi
Memoramini nunc mei
Delictis oppressi.

20. Insuper vos, summi Dei
Confessores almi,
Opem ferte peccatori
Oratu instanti.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — „Versus Godeschalchi et oratio.“ — 4, 2 dolo. — 6, 3 Atque multa. — 10, 1 jam succu lenti. — 12, 3 quam. — 15, 2 Supplicator egi. — 15, 3 Deprecemur.

74. De Accusatione Facinoris.

1. Audi me, Deus, de coelo
respice me miserum
Pro tanta, quae egi infelix
prava in hoc saeculo.

2. Bonus es tu, Christe, cunctis
vivis atque mortuis
Mortuus et in sepulchro
mihi manum porrige.

3. Certus ego nequam ero
pro meo malo merito,
Si per baptismi lavacrum
non fuerit remissio.

4. Depravatus a peccato
periensque sitiens,
In labore juventutis
decepit me zabulus.

5. Ego omnia commisi
cum peccata impia,
Putas, ero remissurus
de igne perpetuo?

6. Felix, natus non fuissem,
nec talia agerem,
Multa mala feci miser,
non sum dignus vivere.

7. Gementem exaudi, Christe,
et succurre misero,
Dum in die magno illo
judicaveris saeculum.

8. [H]omni hora in inferno
modulantur animae,
Putas, ero remissurus
de fornace ignea?

9. Ibi ignis est accensus.
sine fine terminus,
Inde miser contremisco
cum amaro gemitu.

10. Klaritas ibi clarescit
his, qui bene fecerunt,
Mihi semper praeparantur
lubrico incendia.

11. Lumen ibi non lucescit,
nec sol diem inluminat,
Sanctis ibi lumen erit,
mihi semper tenebrae.

12. Mala mea recognosco,
cujus fui famulus,
Tota prava et iniqua.
me cum illis devorant.

13. Non sunt ibi blandimenta
sicut hujus saeculi,
Sed judicia sunt recta,
ubi non sunt praemia.

14. Omnis homo est peccator,
nullus mihi similis,
Ego pater sum peccati
et Deo horribilis.

15. Pauperem non erogavi
neque Deum dilexi,
Miser ego, quid faciam
in die judicii?

16. Quanta sunt ibi flagella
et tormenta impia,
Ubi vermes depascuntur,
qui dicunt blasphemiam.

17. Reges, regna et tormenta
sistant uno numero,
Ibi reddunt rationem
de quod male fecerunt.

18. Sunt et dicunt ibi vera
et recta judicia,
Ibi servus liber adstat
ante Dei praesentiam.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 1, 2 misero. — 2, 2 unus atque mortuis. — 7, 1 Geminatum exaudi. — 7, 4 Lies judicabis? — 9, 2 Lies termini? — 10, 1 Claritas. — 10, 4 lubricus incendiis.

75. De eodem Argumento.

R° Jesu, clementer tribulantes subveni.

1. Audi me, Deus, peccatorum nimium,
Satis afflictum corpus vel spiritum,
Inique egi in conspectu Domini.
2. Bona sunt lucra in terrena patria,
Si quisque fruens cum divina gratia
Optime data de supernis militat.
3. Coelum resplendet de sanctorum merita,
Terra depremit insita malitia,
Ego misellus incurri per tenebras.
4. Deus aeterne, ad te clamo jugiter,
Lumen effunde et fervorem tribue,
Tamdiu vixi in meis miseriis.
5. Ecce, gravatus, per reatum saucius,
Computruerunt cicatrices nimium,
Insipienter defluxi in laqueo.
6. Facilis fui verbo et in opere,
Subministravi ventrique ingluvie
Pocula miscens et Falerna plurimum.
7. Gaudebam miser dignitate saeculi,
Oblitus eram in mandatis Domini,
Cursus incertum rugiebam nimium.
8. Heu, quid dicam, tristis cano carmina,
Singultus gaudet, vocem nescit scilicet,
Peccavi, Deus, miserere, pietas.
9. In bonis mihi reformare actibus,
Quousque tandem vita fui reprobus,
Ut tibi psallam liberatus laudibus.
10. Kastum conserva corpus atque animam,
Iram repelle et furorem tempera,
Praesta, largitor, mihi patientiam.
11. Labia et munda, pelle procul maculas,
Sobrie vivam, Christi jussis paream,
In domo Dei ut lucerna ardeam.

12. Miserque homo vel qui tanta tempora
Vixi infelix in meis negotiis,
Auxi peccata, cumulavi crimina.

13. Nutritus demum vita regulariter,
In domo Dei conversavi dulciter,
Jugum suscepi, Christianus habitum.

14. Ortat me sermo fragilem dominicus,
Quacunque die peccator revertitur,
Visum divina gratia hunc recipit.

15. Pietas Christi, me peccantem suscipe
Et patienter negligentem sustine,
Vocat ad regnum, invitat ad praemium.

16. Quanta qualisque Dei patientia
In me misello contemptore merito
Vita post mortem et amara dulcius.

17. Regem adoro, protectorem veneror,
Reatum meum relaxante opere,
Rosaeque vernae merces in altissimo.

18. Solemnem diem libertatis teneo,
In quo ereptus de morte pestifero
In aula Christi quietus resideam.

19. Te decet, Deus, laus in altissimo
Patri coaevo, nobis unigenito,
Terram misisti de paterno solio.

20. Ueritas lucet de terra justitia,
Cui contradicit diaboli astutia,
Captivus miser in superna patria.

21. Gloria Deo, decus sapientiae,
Patri coaevo et coaeterno filio,
Immo cum patre sanctoque spiritu.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 5, 2 cum putruerunt. — 6, 2 ventreque gluvio. — 8, 2 vocem nesciliat. — 9, 2 Quousque tam Dei vitam. — 9, 3 liberatis. — 11, 2 jussit pariem. — 11, 3 ardeant. — 14, 1 fragili. — 14, 3 recepit; hunc ergänzt. — 17, 3 Rosique verni. — 18, 3 resideat. — 19, 3 patrono solio. — Aufschrift: „Item unde supra“.

76. Contra Inimicos Oratio.

1. Respice de coelis, Deus,
respice propitius,
Da salutem, da virtutem
in te confidentibus,
Ubi Deus est eorum?
ne dicant in gentibus.

2. Judas, ecce, resurrexit,
ecce, venit impius,
Proditor magistri venit
perdere discipulos,
Ad te nostra fuga tantum
erit, Dei filius.

3. Inimicus veritatis,
inimicus patriae
Corde dolos machinatur,
accusator vulnere
Scorpionis more ferit
et doloso gutture.

4. Cui nos servire cernit,
parere fideliter,
Cui haerere mandatis,
corde toto quaerere,
Hunc dormire nunquam sinit
stimulus invidiae.

5. Fratrum turba Dei dono
quamque novit crescere,
Hanc prosternere molitur,
hanc vult interficere,
Cunctis simul desolatis
solus credit vivere.

6. Accusator fratrum venit,
ecce, stat post ostium,
Nuntiat, qui pennas habet,
hostis antiquissimus.
. . . . . .
. . . . . .

7. Time, Judas, time Deum,
time, draco perfide,
Animam a te malignus
in hac nocte auferet,
Faciem et linguam tuam
vermes cooperient.

8. Sustinentes innocentes,
sustinentes modicum,
Suo adhaerent pastori
timore deposito,
Congaudentes et laetantes
sunt modo cum Domino.

9. Quisquis tale prosecutus
fuerit officium,
Sit in domo maledictus,
sit in agro profugus,
In secessum intestina
mittat sicut Arrius.

10. Foris pustulis marcescat,
Crescat juxta uterum,
Ejus dies pauci fiant,
cadat in interitum,
In profundo suo ruat
cum patre diabolo.

11. Hujus artus extendantur
cum immenso pondere,
Acutissimo et duro
feriatur cuspide,
Centrum esca fiat suum
prorumpente stercore.

12. Respice de coelo, Deus,
respice propitius,
Tolle nobis inimicum,
tolle adversarium,
Tua salva nos virtute
in potenti brachio.

Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. — 3, 3 doloso. — 3, 5 scorpiones. — 5, 3 Hanc prostare demolitur. — 6, 2 hostium. — 6, 4 ostis. — 7, 6 cooperiret. — 9, 3 in domo Dei. — 10, 1 postulis. — 10, 5 In profundo suorum ad. — 11, 1 arcus extendatur. — 11, 5 Centum. — 12, 5 Tua sal nos.

77. De Signis Judicii.

1. Ab aquilone venite,
Omnes reges, in virtute,
Gladios et acuite,
Armaturam vos tollite,
Reddam retributionem.

2. Bellatores mei estis,
Ego rex vester coelestis,
Quae vos mando, facietis,
Contendere non potestis,
Reddam retributionem.

3. Coenam volo praeparare,
Omnes reges invitare,
Babyloniam civitatem
Cum suis exterminare,
Reddam retributionem.

4. Deinde nati sunt tauri
Magnis cornibus armati,
Destruxerunt Hierusalem,
Cum sua matre lactentem,
Reddam retributionem.

5. Ergo eam vobis tradam,
Manus vestras confortabo,
Destruite Hierusalem,
Pereat ejus memoria,
Reddam retributionem.

6. Faciamus hunc sermonem,
Dicunt omnes ad invicem,
Nec in ira nos disperdat
Propter unam meretricem;
Reddam retributionem.

Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. — 1, 3 Gladio et aguite. — 1, 4 o vos tollite. — 3, 1 Coena. — 3, 3 Babillonia. — 4, 4 matre laetantem. — 5, 1 eum. — 5, 2 vestrasque confortabant. — 6, 3 in ergänzt; ira non disperdam; oder Ne in ira (ne iratus) vos disperdam?

78. De Extremo Judicio.

1. Adpropinquat finis saecli,
Declinantur tempora,
Turbabuntur omnes gentes
Ante conspectum Domini,
Santo trement in judicio
De majestate Domini.

2. Benedictus Jesus Christus,
Qui fuit ante saecula,
Mater virgo ipsum portavit
Pondus nullum sentiens,
Per aurem virginis introivit,
Exit per portas aureas,
Virginitatem non corrupit
Portantem Dei filium.

3. Congregabuntur omnes gentes
Ante conspectum Domini,
Sol et luna exstinguentur,
Redient ad ministerium,
Sancti fulgent in judicio
Ante conspectum Domini.

4. Dies illa erit magna
Quasi mille anni,
Ubi venient hostes antiqui
Parata ad proelia,
Rugientes sicut leones
Ad devorandas animas,
Quae per eorum blandimenta
Eorum egerunt opera.

Cod. Capit. Veronen. 88 (83) saec. 10. add. saec. 10. — 2, 8 Potestatem Dei. — 3, 4 Lies: ad interitum?

79. De Extremo Judicio.

1. Quique de morte redempti
Et per crucem liberati,
Pretioso comparati
Sanguine filii Dei,
Sursum corda praeparate
Et Jesum desiderate.

2. Diem illum formidate,
Quando mundum judicare
Christus, imperator coeli,
Venerit fulgens virtute
Et in magna claritate
Regnum sanctis praeparare.

3. Cum aperta coeli arce
Fulgurans ab oriente
Luce vultus Jesu Christi
Apparebit mundus omnis,
Obviam volabunt sancti
Ante pium redemptorem.

4. Cum aperta coeli astra
Usque ad terminos terrae
Coeperit tuba canere
Sancti archangeli Dei,
Voce magna proclamare
Et electos congregare.

5. Tunc ad vocem regis magni
Resurgent omnes defuncti,
Recepturus unusquisque
Non solum de pravo facto,
Sed de verbo otioso,
Prout gessit in corpore.

6. Cum ab igne rota mundi
Tota coeperit ardere,
Saeva flamma concremare,
Coelum ut liber plicare,
Sidera tota cadere,
Finis saeculi venire.

7. Dies irae, dies illa,
Nebulae et caliginis,
Dies tubae et clangoris,
Dies luctus et tremoris,
Quando pondus tenebrarum
Cadet super peccatores.

8. Qualis pavor tunc aderit,
Quando rex iratus venerit,
Et infernus apparebit,
Qui impios absorbebit,
Sulfur, flamma atque vermis
Cruciabunt peccatores.

9. Quid dicturi erunt pravi,
Quando ipsi trement sancti
Ante tantam majestatem
Jesu Christi, filii Dei?
Et si justus vix evadet,
Impius ubi parebit?

10. Non est locus evadendi
Nec inducias petendi,
Sed tempus discutiendi
Amara districtione,
Ubi mente accusante
Torquebuntur puniendi.

11. Jesu Christe, salus mundi,
Tunc succurre pie nobis,
Qui cum patre nunc te unum
Atque cum sancto spiritu
Adoramus verum Deum,
Salvatorem saeculorum.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — 1, 1 redempti estis. — 3, 2 Fulgorans. — 3, 3 Lucet vultus. — 7, 2 Dies nebulae. — 10, 3 Sed est tempus.

80. De Extremo Judicio.

1. Quique de morte redempti
Et per crucem liberati,
Pretioso comparati
Sanguine filii Dei,
Sursum corda praeparate
Et Jesum desiderate.

2. Diem magnam formidate,
Quando mundum judicare
Christus, imperator caeli,
Venit fulgens in virtute
Et in magna claritate
Regnum sanctis praeparare.

3. Cum aperta coeli astra
Fulgurans ab oriente
Luce vultus Jesu Christi
Apparebit mundus omnis,
Obviam volabunt sancti
Suo pio redemptori.

4. Cum ab igne rota mundi
Tota coeperit ardere,
Simul flamma concremare,
Coelum ut liber plicare,
Sidera tota cadere,
Finem saeculi venire.

5. Dies irae, dies illa,
Dies nebulae et turbinis,
Dies tubae et clangoris,
Dies nebulosa valde,
Quando tenebrarum pondus
Cadet super peccatores.

6. Quid acturi erunt pravi,
Quando ipsi tremunt sancti
Ante tantam majestatem
Jesu Christi, filii Dei?
Et si justus vix evadit,
Impius ubi parebit?

7. Illi nimium timebunt,
Qui gaudium obtinebunt
Quique regnum possidebunt,
Prae fulgore vultus sui,
Quanto amplius iniqui,
Peccatorum sorde pleni?

8. Ibi angeli timebunt,
Archangeli formidabunt,
Throni atque principatus,
Potestates et virtutes,
Cherubim atque Seraphim,
Simul dominationes.

9. Tunc sedente Jesu Christo
In aeternitatis throno
Adstante choro sanctorum
Hominum et angelorum,
Omnium Apostolorum,
Martyrum et confessorum,

10. Tunc videbunt omnes Christum,
Pro hominibus crucifixum,
Quid aderunt tunc dicturi,
Qui se nolunt emendare?
Et videbunt plagas ferri
In corpore Jesu Christi.

11. Jam quod oculus non vidit,
Nec unquam auris audivit,
Nec in cor hominis ascendit,
Quanta Deus praeparavit,
Sanctis suis, quos dilexit
Et de hoc mundo elegit.

Cod. Bruxellen. 8860–67. saec. 10. in. — 1, 1 sunt redempti. — 3, 2 Fulgorans. — 3, 3 Lucet vultus. — 6, 3 tanta majestate. — 8, 2 Et archangeli. — 9, 3 Adstante chorum. — 10, 3 Quid aderunt. — Dies Lied ist zum Teile mit dem vorhergehenden ein und dasselbe. Die Abweichung der beiden Texte ist aber eine so weitgehende, dass es rätlicher erschien, jeden für sich zu geben.

81. De Beatitudinibus.

1. Beatus homo, qui pauper est spiritu,
Quoniam illi regnum coeli dabitur,
Beatus homo.

2. Est maledictus, qui cibis est deditus
Atque intentus gulae voluptatibus,
Est maledictus.

3. Beatus homo, qui semper est humilis,
Quoniam terram habebit perpetuam,
Beatus homo.

4. Est maledictus, qui carnis libidinem
Exercet vivens frequenter in opere,
Est maledictus.

5. Beatus homo, qui luget in Domino,
Quia de coelis ipse consolabitur,
Beatus homo.

6. Est maledictus, habens avaritiam,
Et sub quo manet infelix cupiditas,
Est maledictus.

7. Beatus homo, qui manet misericors,
Quoniam ejus Deus miserebitur,
Beatus homo.

8. Est maledictus, qui in ira permanet,
Quod profert ore, si vertit in opere,
Est maledictus.

9. Beatus homo, qui mundus est animo,
Poterit quia Deum ipse cernere,
Beatus homo.

10. Est maledictus, qui malam tristitiam
Gestat in corde prolixo sub tempore,
Est maledictus.

11. Beatus homo, qui semper est patiens,
Quoniam Dei filius vocabitur,
Beatus homo.

12. Est maledictus, qui in suis actibus
Laudari sese cupit ab hominibus,
Est maledictus.

13. Beatus homo sustinens injurias,
Tolerat mala qui propter justitiam,
Beatus homo.

14. Est maledictus, qui portat superbiam,
Pro qua de coelo ceciderunt angeli,
Est maledictus.

15. Beatus homo, qui sperat in Domino
Et cujus semper Christus est fiducia,
Beatus homo.

16. Est maledictus, qui spem ponit in homine
Et qui in ejus confidit potentia,
Est maledictus.

17. Gloria patri semper est in filio,
Semper qui manet cum sancto spiritu
Nunc et in aevum.

18. Gloria patri, ad beatitudinem
Qui nos perducat atque ab immunditiis
Nos semper purget.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. A. — Cod Capit. Veronen. 90. saec. 9. B. — 1, 1 et spiritu B. — 2, 2 Intentus gulae suae suis voluptatibus B. — 3, 1 est fehlt B. — 4, 1 libidine B. — 4, 2 exercens B. — 5, 1 lugit B. — 5, 2 Quoniam ipsum rex coeli consolabitur B. — Str. 7—14 fehlen B; statt dessen:

Beatus homo, qui sitit et esurit,
Quoniam cibo coeli saturabitur.

14, 1 habensque superbiam B. — 14, 2 Per quam. — Str. 15 ff. fehlen B; statt dessen:

Gloria patri, gloria sit filio,
Nunc et per cuncta saeculorum saecula.

82. Salutatio BMV.

1. Virgo, mater ecclesiae,
Aeterna porta gloriae,
Esto nobis refugium
Apud patrem et filium.

2. Gloriosa Dei mater,
Cujus natus est ac pater,
Ora pro nobis omnibus,
Qui memoriam agimus.

3. Stella maris, lux refulgens,
Stirps regalis, sancta parens,
Roga patrem et filium,
Ut det nobis paraclitum

4. Virgo clemens, virgo pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Exaudi preces omnium
Ad te pie clamantium.

5. Funde preces tuo nato,
Crucifixo, vulnerato
Pro nobis et flagellato,
Spinis puncto, felle potato.

6. Alma mater summi regis,
Lux et porta celsi caeli,
Inclina te miserrimis
Gementibus cum lacrimis.

Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. I 197 inf. A. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Ambrosian. H 267 inf. B.

83. De Domina Nostra.

1. Te, sancta Dei genitrix,
Quae porta coeli diceris,
Collaudamus unanimes
Devotione fervidi.

2. Sicut in vellus pluvia
In te coelestis gratia
Descendit, ut redimeret
Adoptionis filios.

3. Honor, decus, imperium,
Quae per Mariam virginem
Redemit omne saeculum,
Sit trinitati unicae.

Hymn. ms. Egmontensis saec. 15/16. Cod. Hagen. X 142.

84. De beata Maria V.

1. Laude dico gloriosae
Mariae praeconia,
Cujus nitet instar rosae
Vita plena gratia,
Per quam nobis gratiose
Dat Deus salubria.

2. Haec est virgo Christi mater,
Pia, prudens, humilis,
Per quam noster factus frater
Est Jesus amabilis,
Ut volebat Deus pater
Miseris placabilis.

3. Virgo David stirpe nata
Absque culpae macula,
Angelo praenuntiata
Exstat per oracula,
Prophetis manifestata,
Pangenda per saecula.

4. Virgo Christi Joseph nupta
Divino consilio
Spirituque fecundata
Summi Dei filio,
Sicut Gabriel testatur
Missus coeli solio.

5. Virgo parit Deum verum
Hominemque pariter,
Expellens hostem severum
A nobis benigniter,
Ut cor nostrum fiat merum
Fide Christi jugiter.

6. Quam sit potens haec regina,
Coeli, terrae domina,
Pangunt carmina divina
Super coeli culmina,
Plangit hostis pro ruina
Dejectus a femina.

7. Nam est reconciliatus
A lapsu gravissimo,
Sensit vitae Deo datus
Theophilus piisimo,
Per Mariam liberatus
Ab hoste nequissimo.

8. Nunc, o virgo, mater Christi,
Omni plena gratia,
Cui semper placuisti
Cum virtutum gloria,
Transfer nos a morte tristi
Ad coeli palatia.

9. Ut in coelo jucundemur
Cum sanctorum coetibus
Atque Deum reveremur
Cum sanctorum coetibus
Et in ipso gratulemur
Pleno bonis omnibus.

10. Gloria sit trinitati
Laudis polo jugiter
Simplaeque divinitati
Virtus aeternaliter,
Qui Mariae caritati
Jungat nos perenniter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultrajectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Gaude dico gloriosae; die Hs. ändert fast alle Initia so um, dafs dieselben mit einem der Grufsworte Ave, salve, gaude, vale beginnen. Auch liegt zweifellos eine stümperhafte Veränderung vor, ohne dafs sich bestimmt erkennen liefse, wie der unveränderte Text gelautet hat. Vielleicht Attollamus gloriosae. Jedenfalls verdankt auch der Singular dico der Umänderung sein Dasein. — 5, 2 Hominemque parit Deum. — 9, 4 verschrieben.

85. In Conceptione BMV.

1. Maria, virgo regia,
David stirpe progenita,
Non tam paterna nobilis
Quam dignitate sobolis.

2. Tu nos avulso veteri
Complanta novo germini,
Per te sit genus hominum
Regale sacerdotium.

3. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. Monasticum saec. 12. Cod. Arch. S. Petri in Vaticano D 156. — Vgl. Anal. XI, 40.

86. In Conceptione BMV.

Ad Vesp. et Noct.

1. Si res miranda canitur per orbem,
Numquid enormem percredimus eam,
Cum sit divina, conceptam Mariam
Concelebrare?

2. Si non fuisset concepta, non esset
Nata beata, quae nostra peccata
Redemit orta, per Christum assumpta
Carne Humana.

3. Non est mirandum, valde sed laudandum,
Conceptum vere virginis Mariae
Concelebrare, cum Christus in tali
Stare deberet.

4. De coelo sursum angelus praemissus
A patre magno muntiavit Annae
Conceptum quidem virginis Mariae,
Quod celebramus.

5. Hoc Isaias ait prophetando:
De coelo virgo veniet portando
Secum puerum, qui nobis in Deum
Dabitur quidem.

6. Ergo colendum, quia est supernum,
Festum solemne fuit nobis inde,
Vita redempta, erat quae perempta
Stulte per Evam.

7. Laudemus Deum, patrem summum verum,
Ejusque natum, spiritum sacratum,
Qui genitricem voluit victricem
In sempiternum.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patavini B 56. add. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Brev. ms. S. Petri Perusini saec. 14. Cod. Laurentian. Conv. sup. 461. B. — 1, 1 Vires miranda A. — 1, 3 divinam B. — 1, 4 Celebrare B. — 2, 1 non esset fehlen B. — 2, 2 Nata fehlt B. — 3, 2 virginis fehlt B. — 3, 3 Celebrare debere cum B. — 4, 1 permissus AB. — 4, 2 patri A. — 6, 1 quia fehlt B. — 6, 2 fuit in fide B. — 6, 4 Stulta A. — 7, 2 Que ejus natum spiritum sanctum B.

87. In Conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. O coeli gemma genitrixque Dei,
Maria virgo, porta, scala coeli,
Janua lucis, Christum, quem perducis,
Pro nobis ora.

2. O rosa mundi, lilium coelorum,
Solium regis, laus angelorum,
Natum divinum fac nobis amoenum,
Virgo decora.

3. O myrrha fragrans, redolens amomum,
Nardus confortans, sanans cinnamomum,
Genitrix Christi, ut simus dilecti,
Fac sine mora.

4. O praeconcepta mundi ante coepta,
Cella divina, stella matutina,
Maria virgo, cum Christo benigno
Nos revigora.

5. O vas amoris, templum Jesu Christi,
Ortus, fons solis, Maria, fuisti,
Tu Jesum Christum ut nostrum delictum
Tollat, exora.

6. O plenitudo gratiae pudoris,
Vitis fecunda, mater salvatoris,
Precibus tuis adsit Christus nobis
Mortis in hora.

7. O Deus alme, Christe, rex aeterne,
Per tuam matrem semper nos defende,
Donec praesentis vitaeque sequentis
Adsint dulcora.

8. Laudemus Deum, patrem summum verum,
Ejusque natum, spiritum sacratum
Et genitricem Christi, ut felicem
Dent mortis horam.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patavini B 56. add. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Brev. ms. S. Petri Perusini saec. 14. Cod. Laurentian. Conv. sup. 461. B. — 1, 3 Christum quem perducis fehlen B. — 2, 1 E rosa mundi B. — 2, 2 laus zweisilbig. — 3, 1 cinamomum B. — 4, 3 benigne B. — 5, 1 Quas amoris B. — 5, 3 nostrum dilectum B. — 6, 2 Pacis fecunda B. — 6, 3 nobis fehlt A. — Str. 7 fehlt A. — 7, 3 Christi fehlt B.

88. In Conceptione BMV.

Ad Vesperas.

1. Rex gloriose virginum
Et conservator omnium,
Tu nobis da psallentibus
Psallere puris mentibus.

2. Laudando regis filiam,
Matrem misericordiae,
Quae nobis petit veniam
Supplicando quotidie.

3. Haec regis virgo nascitur
David ex stirpe nobili,
Per quam salus jam redditur
Mundo per Evam flebili.

4. Lactavit Anna genitrix
Hoc lumen indeficiens,
Hoc sibi matrem luminis
Christus patre praeeligens.

5. Quaesumus, mater, filium
Tuum rogo diutius,
Ut conferat auxilium
Nobis in hostem coelitus.

6. Ut cum ipso tu veneris
Orbem totum dijudicans,
Tu nos juva cum ceteris
In parte dextra collocans.

7. Patri ejusque genito
Reddatur laus et gloria
Spirituique inclito
Per Mariae solemnia.

Brev. ms. Benedictin. Pisan. anni 1326. Cod. Laurentian. Strozzi 11. — 5, 2 Tu roga. — 5, 4 hoste. — 7, 3 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — „In festo Conceptionis sive Sanctificationis Beatae Mariae Virginis.“

89. In Conceptione BMV.

Ad Primam.

1. Aurora stellae lucidae,
Maria plena gratiae,
Mater misericordiae,
Crimina tolle nunc Evae.

2. Tu genita per Dominum,
Cujus portasti filium,
Qui veniens ad saeculum
Tulit Evae periculum.

3. Gloria tibi, Domine,
Qui permisisti hodie
Matrem tuam concipere,
Mariam plenam gratiae.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patav. B 56. add. saec. $^{14}/_{15}$.

90. In Conceptione BMV.

Ad Horas.

1. Mariae jam conceptio
Adsit nostra defensio
Et daemonum obstaculum
Reorum solvens laqueum.

2. Ave, rigata coelitus
Conceptaque divinitus,
Qui te creavit provide,
Defendat nos a daemone.

3. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. in. Cod. Capit. Patavini B 56. add. saec. $^{14}/_{15}$.

91. In Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

1. Gaude, mater salvatoris,
Magni vellus Gedeonis,
Rubus, igne qui non uris,
Veri templum Solomonis

2. Sponsa Dei, stella maris,
Porta coeli tu vocaris,
Mundi salus, saevientis
Caput caedens Holofernis.

3. Mare sicco calle transis
Currus mergens Pharaonis
Inque Sion dominaris
Pulsis inde Jebusaeis.

4. Assueri regis sceptrum
Caput tangens, virgo, tuum
Mori fecit laqueatum
Aman sanctis inimicum.

5. Babylonis rex in praedam
Non abduxit te captivam,
Philistaei nec Goliae
Es transfixa pugione.

6. Sicut suum sol nitorem
Nunquam perdit nec decorem
Primi patris nec tu labem
Ullam sentis nec foetorem

7. Tu sol occasum nesciens
Lunaque semper rutilans,
Tu sidus lumen pariens,
Delicti nubes profugans.

8. Nullus in te confidentes
Unquam vidit infelices,
Vere tibi nam devotus,
Est necesse, sit beatus.

9. Ad te ergo nos clamantes
In hac valle lacrimarum
Ad nuptias aeternales
Fac venire triumphantes.

Mariale Bernardini de Busti imp. Argentinae 1498. Enthält ein Officium de Conceptione BMV., das 1480 von Sixtus IV. approbiert wird und wohl zweifellos von Busti verfafst ist. Er ist also auch als Dichter der zugehörigen Hymnen zu betrachten.

92. De Conceptione BMV.

Ad Nocturnum.

1. O benedicta femina,
Quam coeli laudant agmina,
Te confitemur hodie
Conceptam sine crimine.

2. Sicut solaris radius
Corruptionis nescius
Intrasti matris viscera,
O gloriosa domina.

3. Nullum redemit filius
Ex omni gente dignius,
Qui te servavit provide
Mundam ab omni scelere.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Mariale Bernhardini de Busti imp. Argentinae 1498.

93. De Conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. Exsultet coeli concio
Mariae dulci filio
Nosque laetemur hodie
Conceptione dominae.

2. Maria, mundi gloria,
Lucis aeternae filia,
Te praeservavit filius
Ab omni labe penitus.

3. Originalis macula
Cuncta respersit saecula,
Sola post natum vitiis
Nunquam contacta diceris.

4. Maria, mater gratiae,
Exemplar innocentiae,
Te deprecamur intime
Nos a peccato protege.

5. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria
Atque Mariae virgini
Per infinita saecula.

Mariale Bernhardini de Busti imp. Argentinae 1498.

94. In Nativitate BMV.

1. Magnificemus Domini
Magnum nomen in virgine,
Quae vitam reddit homini
David procedens sanguine.

2. Cujus ortus amabilis
Ad vitam pandit aditum,
Cujus partus mirabilis
Mundum salvavit perditum.

3. Nunc vox exsultet omnium
Dicens: O plena gratia,
O deitatis scrinium,
Jesu mater et filia.

4. Tibi devotis filium,
Maria repropitia,
O clemens, o pia, pium,
O dulcis virgo Maria.

5. Jesu, tibi sit gloria.

Orat. ms. Carthusiae Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). — 2, 4 salvat. — 4, 3 fehlen zwei Silben; pium ergänzt.

95. In Nativitate BMV.

1. Ave, Maria, per quam prophetia
Legis completa, tu miseriae meta,
Tu maris stella, porta clementiae,
Per quam procella cessat discordiae.

2. Ave, regina, culpae medicina,
Porta salutis, praesidium virtutis,
Aura favoris, aurora gratiae,
Pignus amoris, foedus concordiae.

3. Ave, flos florum, decus angelorum,
Rosa pudoris et lilium candoris,
Jubar astrorum, decor ecclesiae,
Robur castrorum, palma victoriae.

4. Chorus decoris virginei floris
Hymnum honoris et canticum amoris
Mente devota psallat quotidie
Procul amota peccati carie.

5. Clamant ancillae: pia, miserere,
Fluunt maxillae, miseriis medere,
Audi clamorem, ad fletum respice,
Aufer tremorem placato judice.

6. Virgo benigna, omni laude digna,
Votis adspira, nos judicis ab ira
Tuo defendas scuto clementiae,
Lapsis impendas favorem gratiae.

7. Monstra te matrem imperando nato,
Hortet ut patrem latere praesentato,
Sicut tu natum placas per ubera,
Patrem et natus placet per vulnera.

8. Gloria patri, decus trinitati,
Honor sit matri, per quam sumus renati,
Lapsis succurrat praesens potentia,
Lapsis occurrat matris clementia.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 5, 1 omni fehlt. — 6, 4 et ergänzt. — Die zweite Zeile jeder Strophe hat eine Silbe mehr als die anderen Verse

96. In Nativitate BMV.

Ad Laudes.

1. Hortus conclusus mater Christi,
Circumseptus manu Dei,
Nam vernans gignis lilium,
Mundem regens universum.

2. Hujus umbram quisquis adit,
Aestus carnis non timebit,
Ac redolet partus virginis,
Cujus fructu saginamur.

3. Ibi nostrum fige gressum,
Ne perdamus vitae portum,
Contemplantes tantum partum
Trabea carnis obsitum.

4. Pro liberis flecte patrem,
Decet, inquam, decet matrem,
Quibus reddit paradisum,
Ne ferat in interitum.

5. Gloria tibi, Domine.

Diurn. ms. Brisacense saec. 15. Cod. Friburgen. 56 A. — Brev. Constantiense imp. s. l. et a. B. — 1, 3 vergens B. — 2, 4 fructus AB.

97. In Illatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Exsultando mater gaude
Felix nunc ecclesia,
Dies adest digna laude
Per annorum spatia,
Pro serpentis redit fraude
Virgo plena gratia.

2. Ab aeterno ordinata
Templum nunc ingreditur,
Quae prophetis praesignata
In scripturis creditur
Ac mox Deo fecundata
Neque partu laeditur.

3. Veni, dulcis virguncula,
Hostia dignissima,
Verbi divini gerula,
Virgo sacratissima,
Indigna nostra verbula
Audi, benignissima.

4. Haec, quaesumus, precamina,
Qui coram te adstamus,
Nostra solvat peccamina,
Ut coelum subeamus,
Malorum et examina
Ibidem evadamus.

5. Illo tecum in patria
Perenniter fruamur,
Quem hic in via latria
Orando veneramur,
Ne ad inferni atria
Sinistre perducamur.

6. Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Gratiarum actio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

Brev. Verdense imp. s. l. 1480. — 1, 4 Per amorem. — 3, 3 divini ergänzt. — 5, 2 perfruamur. — 5, 6 praedicamur.

98. De Visitatione BMV.

1. Ave, stella maris,
Parens expers paris,
Quod in te sit orta
Lux in Sion porta.

2. Scandis ad montana,
Ubi veterana
Noverat expresse,
Quod sis virga Jesse.

3. Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Schisma saevum pelle,
Da, sit unum velle.

4. Monstra teque matrem
Apud Deum patrem,
Cujus novit natum
Clausus vates vatum.

5. Viam praesta puram
Ad pacem futuram,
Ut te matre duce
Vivamus in luce.

6. Laus sit patri Deo
Natoque ab eo,
Pneumati et piae
Virgini Mariae.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 4 Lux sic Sion porta. — 3, 4 Dat sic unum. — 5, 1 Vitam.

99. In Visitatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Sacra solemnia recolit debite
Mater ecclesia virginis inclitae,
Gestantis Dominum, factorem hominum
Et redemptorem omnium.

2. Clausum virgineo plasmantem pectore
Miles femineo recumbens viscere
Sensit divinitus, nondum progenitus,
Ex unctione spiritus.

3. Gaudet obsequio senex puerperae,
Parvus alloquio matris Christiferae,
Maria visitat, cognata praedicat,
Virgo Deum magnificat.

4. Felices uteri ferunt hilariter,
Laetantur pueri praecelsi pariter,
Mundus insolito congaudet jubilo
Regi, matribus, famulo.

5. Regina famulae ministrat usibus
Humilis sedule tribus sic mensibus,
Virgo felicia post tot officia
Revertitur ad propria.

6. Patri sit gloria semper ingenito,
Regnum, victoria sit unigenito,
Decus paraclito, laus sine termino
Uni trinoque Domino.

Brev. Verdense imp. s. l. 1480. — 1, 3 factorem omnium. — 2, 2 recumbens pectore. — 3, 1 Laudet obsequio. — 6, 1 Matri sit gloria.

100. In Visitatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Praecedentem nos in via
Christi matrem adeamus,
Et ut nobis dux sit pia,
Dulci laude concinamus.

2. Pande viam, quae fuisti
Reparare sola digna
Mundum lapsum et dedisti
Lapsis vitam, tu benigna.

3. Jesum Christum condonatum
Per te nobis ut sciamus,
Et dum scimus nobis datum,
Nobis pium videamus.

4. Stellam maris te Mariam
Solam novimus ductricem,
Tuque fac, nos per hanc viam
Te sequamur viatricem.

5. Tu praecedas, nos sequamur,
Visitare servitricem,
Cum qua Jesum fateamur,
Quae te novit genitricem.

6. Matrem veram patris tui
Te proclamat infecunda,
Laeta proles ventris sui
Alvo gaudet praejucunda.

7. Te precamur, quae conducis
Jesum, praestes, ut cernamus
Lumen verum verae lucis,
Tecum semper procedamus.

8. Patri decus sit aeterno,
Honor nato, quem sumpsisti,
Flamini laus coaeterno,
De quo Deum concepisti.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

101. In Visitatione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Diu mundo exspectatum
Exhibuisti, domina,
Signis tu praefiguratum
Vera monstrans per lumina.

2. Digna mater creatoris
Electam matrem legeras,
Sed quae foret sic honoris,
Vere, virgo, non noveras.

3. In te praemium sensisti,
Quod promissum jam sciveras,
Per quem senium fovisti
Gremio sacro bajulans.

4. Venter almus hunc portavit,
Quem nequit orbis capere,
Nosque virgo visitavit,
Quo coepit mundus vivere.

5. Tu, quem alma genuisti,
Ostende nobis filium,
Et, de quo hunc concepisti,
Patrem et sanctum spiritum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — 1, 3 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — 2, 1 o mater. — 4, 4 Quo concepit.

102. In Visitatione BMV.

Ad Laudes.

1. Tu veniae vera mater
Mundo fecisti veniam,
Tibi summus Deus pater
Supremam dedit gloriam.

2. Excitasti praecursorem
Tu visitando sterilem
Et infantem in amorem
Firmans senemque debilem.

3. Illum novit creatorem
Hic laetus alvo gestiens,
Quem dedisti redemptorem
Puella ventre deferens.

4. Hic tersit mundi crimina,
Peccata delinquentium,
Nostra tulit facinora
Super se lumen gentium.

5. Laudemus hanc et filium,
Nos visitans praesidium,
Glorificemus unicum
Patrem et sanctum spiritum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527.

103. De Purificatione BMV.

1. Maria, virgo, virginum,
Quae genuisti Dominum
Sine virili semine,
Verum lumen de lumine.

2. Quem die quadragesimo
Repraesentasti in templo,
Turturum pullis redimens
Et legem Moysis implens.

3. Tunc Simeon Christum novit,
Dum spiritus senem movit,
Spiritu in templum venit
Et gaudens illum suscepit.

4. Cum Christum in ulnis portat,
In pace dimitti orat,
Lumen gentium praedicat,
Cantico cum Deum laudat.

5. Senex puerum gerebat,
Sed puer senem regebat,
Dum portantem cuncta gerit,
Matris dolorem praedicit.

6. Cum positus in ruinam
Morietur hic filius,
Tuam ipsius animam
Tunc pertransibit gladius.

7. Rogemus matrem populi
Per passionem filii,
Ut vitam nobis impetret
Et indulgentiam donet.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. — Das Lied ist in der Hs. als hymnus bezeichnet und trägt auch die Hymnenform.

104. In Purificatione BMV.

1. Exsultet omne saeculum
Lati per orbis circulum,
Hymnum canat concentibus,
Quis non stupet de talibus.

2. Cum pater formans omnia
Formatus est ex femina
Nullo virili semine,
Sed casta natus virgine.

3. Fit parvus hic infantulus
Subjectus et parentibus,
Observat et legalia
Nostrae salutis gratia.

4. Quem Simeon susceperat,
Anna decantaverat,
Aetas aut sexus concinat,
Jam Christus advenerat.

5. Cui laus, potestas, gloria
Per saeculorum saecula,
Qui regnat unus numine
Cum patre et sancto pneumate.

Cod. Sangallen. 898. saec. 10/11. — Der Hymnus ist wohl von Berno von Reichenau, unter dessen Werken er steht.

105. In Purificatione BMV.

Ad Laudes.

1. Celsus de superis venit ad infima
Praeco, terrigenis optima nuntia
Pandens a Domino, qui pereuntia
Salvans saecula liberat.

2. Ergo praeco Dei nuntia Joachim
Annaeque sterili continuans ait:
En, vestris precibus ac elemosynis
Excelsus Deus annuit.

3. Conceptam pariet Anna videlicet
Prolem, quam Domini gratia coelitus
Implens ex utero diliget amplius,
Illi nempe sacrabitur.

4. Ut virgo maneat perpeti munere,
Quam commune nihil tangere debeat,
Haec coeli Domino sancta dicabitur
Et Maria vocabitur.

5. Aeterni patris haec virgo puerpera
Natum concipiet atque viri sine
Contactu pariet, qui reparabit haec
A dira nece saecula.

6. Haec dixit Dominus, factaque credimus,
Nam virgo peperit virgoque permanet,
Cujus terrigenis est generatio
Condigne venerabilis.

7. Oramus, Domine, conditor optime,
Qui festum colimus virginis inclitum,
Fac nos concipere mente, quod approbas,
Fructus et pios gignere.

8. Nobis hoc genitor annue maxime,
Hoc tu, nate Dei et bone spiritus,
Praesta perpetuo, fulgida trinitas,
Regnans saecla per omnia.

Brev. ms. Metense saec. 14. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 103. — 2, 1 praeco diei. — 4, 1 Et virgo; perpetim. — 4, 2 Quem numen nihil. — 5, 2 viri semine. — 7, 3 nos fehlt. — 7, 4 et fehlt. — 8, 4 saecula.

106. De Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. Plange, mater pietatis,
Tuum cernens filium,
Praeceptorem veritatis,
Christum, tuum filium,
Inauditae feritatis
Trahi ad supplicium.

2. Plange mecum, plebs fidelis,
Hicque illam socia,
Ut sis comes et in caelis,
In perenni gloria
Pro amaro gustu fellis
Mira sumens gaudia.

3. Plorent omnes cum Maria
Et effundant gemitus,
Contristentur mente pia
Et relinquant penitus
Hac in die solatia
Atque vacent fletibus.

4. Ut cum illa sentientes
Nati sua vulnera
Atque prorsus innitentes
Super crucis foedera
Consequamur post lactantes
Diva Christi munera.

Offic. BMV. sec. usum Romanae curiae imp. in Castro Lauro Curtis majoris 1503.

107. De Compassione BMV.

Ad Matutinum.

1. Ligno crucis dum pendebat
Natus Mariae virginis,
Plangens mater colligebat
Fluentis undas sanguinis.

2. Post de cruce quaerebatur
Ad coelos mittens gemitus.
Quod in ea mactabatur
Ipsius unigenitus.

3. Fera nimis et crudelis,
Quem induebam tunica,
Tu cruore ex flagellis
Pro veste tegis serica.

4. Ego illum amplexari
Saepe solebam brachiis,
Quem tu strictum perforari
Clavis fecisti ferreis.

5. Ego pavi hunc infantem
Dulci lacte virgineo,
Tu affligis morientem
Amaro potu felleo.

6. Caput ejus tam decorum
Corona pungis spinea,
Quod ornabam sertis florum
Inter convallis lilia.

7. Flecte ramos, arbor alta,
Et redde mihi filium,
Vel cum ipso simul macta
Matrem dolentem nimium.

8. O Maria, nos privatos
Patre misericordiae
Ne facias et orbatos
Te nostra matre gratiae.

9. Sed fac, ut tecum plangere
Hic semper simus fervidi,
Ut post possimus scandere
Ad coenam agni providi.

Offic. BMV. sec. usum Romanae curiae imp. in Castro Lauro Curtis majoris 1503.

108. De Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Juxta crucem deplorabat
Maria, virgo virginum,
In qua nudus exspirabat
Coelestis splendor luminum.

2. O Judace scelerate,
Haec meo reddis filio,
Stulte nimis et ingrate,
Pro tanto beneficio?

3. Ille tuis reparavit
Claudis gressum, caecis visum.
Verbum mutis propinavit
Omnem curans et leprosum.

4. Ipse tibi suscitavit,
Quos plangebas jam defunctos,
Aures surdis adaptavit,
Cunctos sanans et aegrotos.

5. Ille pro te Pharaonem
Cum Aegypto flagellavit,
Tua manus ejus carnem
Flagellando laceravit.

6. In columna post ducatum
Ad terram fecit optimam,
Ad columnam tu ligatum
Ad poenam damnas pessimam.

7. Ipse tibi per desertum
Dulce manna ministravit,
Sed tuum fel et acetum
Os illius toxicavit.

8. Tu das illi pro regali
Sceptro cannam, pro corona
Dira nimis et crudeli
Caput ejus pungis spina.

9. Hic te semper exaltavit,
Quem prae cunctis despexisti,
Super omnes te ditavit,
Quem ut furem suspendisti.

10. Ergo saltem jam occissum
Deprecare meum natum,
Tam inique crucifixum,
Tuum parcat ut reatum.

Offic. BMV. sec. usum Romanae curiae imp. in Castro Lauro Curtis majoris 1503.

109. De Commendatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Lauda, mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui suae digne virginis
Matris pellit tristitiam.

2. Maria, mater Domini,
Plena tanta moestitia
Cernensque poenas filii
In crucis vehementia.

3. Dolent materna viscera,
Condolent pontus, aethera,
Cernentes regem gloriae
In cruce contumeliae.

4. Ni sciret vitae medicum
Gentis ferre antitodum,
Ut a morbo multiplici
Poenis curetur medici,

5. Deficeret moestitia,
Sed credidit fiducia,
Ab ipsa fauce tartari
Redire ad vitae limina.

6. Surgentem cum victoria
Jesum credit ab inferis,
Cum luctu miscens gaudia
Secreta noscens foederis.

7. Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui matris pia viscera
Confortat in tristitia.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A. 14. — 2, 2 Repleta tanta. — 4, 4 curaretur. — 5, 1 Deficit ex moestitia. — 6, 2 credidit ab.

110. De Gaudiis BMV.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Nullus sit finis cantibus
Pro Mariae tripudiis.

2. Laetentur cuncti homines
Atque sanctorum agmina
Et concinant unanimes
Illi jucunda carmina.

3. Omnia quoque sidera
Cum ejus matre gaudeant,
Quem terra, pontus, aethera
Colunt, adorant, praedicant.

4. Et tu, benigne Domine,
Qui es illius gaudium
Fac nos cum ipsa virgine
Duci ad regni solium.

Offic. BMV. sec. usum Romanae Curiae imp. in Castro Lauro Curtis majoris 1503.

111. De septem Gaudiis BMV.

Ad Vesperas.

1. Laudes perpetuae dignaque praemia
Inducunt animos gaudia promere,
Nam sanctus Gabriel nuntiat angelus:
Dulcis mater, ave, sit tibi gratia.

2. Et cognata senex Elisabeth tua
Concepit puerum semper amabilem,
Applaudens igitur mater in intimis
Montes difficiles scandere nititur.

3. In noctis medio nascitur insuper
Rector perpetuus virginis inclitae,
Incorrupta manent candida viscera,
Congaudent parili angelici chori.

4. Ducebat rutilans sole micantior
Reges stella pios visere parvulum,
Conceptu puerum virgineo satum,
Et praestant Domino munera plurima.

5. Certant dulcisonis astra, solum, mare
Hymnorum modulis psallere principi,
Dum surgit tumulo Christus et inferi
Dum frangit pariter tristia tartara.

6. Ascendit superos arbiter omnium,
Ad dextram residens ingeniti patris,
Spirat Christicolis lumine flammeo
Sanctum de patrio pectore spiritum.

7. Tandem virgineis mater honoribus
Coelestis solii sancta cacumina
Transcendit jubilans, magnaque gloria,
Ingens laus et honor sit tibi, trinitas.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A. 14.

112. De septem Gaudiis BMV.

Alius Hymnus.

1. Virgo, dum scandis superos meatus,
Angeli laudis cytharam resolvunt,
Et super sanctos veneraris omnes,
Sancta Maria.

2. Sicut sol lucet gelida sorore
Clarior Phoebe, tua sic refulget
Claritas longum superis per aevum,
Sancta Maria.

3. Tu patris summi regis atque sceptra,
Illius celsum solium gubernans,
Jure te laudant igitur beati,
Sancta Maria.

4. Ergo supremo frueris triumpho,
Trinitas templum tibi dat secundum,
Omne, quod poscis, pater atque donat,
Sancta Maria.

5. Corde qui puro tua festa servant
Et tuos semper celebrant honores,
Regiam post hanc capient coronam,
Sancta Maria.

6. Coelites cuncti tua gratiarum
Dona condigno resonant honore
Teque laudantes jubilant frequenter,
Sancta Maria.

7. Gloriam praestat chorus angelorum,
Quae per immensum veneraris aevum,
Sint Deo laudes igitur supremo,
Sancta Maria.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcar. A. 14. — Mel.: Ut queant laxis. — 2, 1 Sicut illucet Hs. — 7, 1 praestant.

113. In Assumptione BMV.

1. Laudibus eximiis resonent nunc organa vocis,
Orbis ubique tonet laudibus eximiis.

2. Festivitas celebris haec est super aethera sanctis,
Coetibus angelicis festivitas celebris.

3. Rex pius, ut decuit, matrem super astra locavit
Et dominam statuit rex pius, ut decuit.

4. Haec domuit vitium pravorum germine cretum,
Cum genuit Dominum, haec domuit vitium.

5. Spina rosam genuit, gens aspera mollia fudit,
Quae miseranda ruit, spina rosam genuit.

6. Stella Maria maris, genitrix pomposa tonantis,
Sis pia tu miseris, stella Maria maris.

7. Corpore virgineo genuisti gaudia mundo,
Nunc super astra manens corpore virgineo.

8. Fac precibus placidum semper, beatissima, natum
Et famulis Dominum fac precibus placidum.

9. En, tua festa micant, plebs undique te prece pulsat,
Da sibi nil noceat; en, tua festa micant.

10. Nil, tibi quod deceat, mundus valet asmate ferre,
Mens hominum cogitat nil, tibi quod deceat.

11. Tu tamen esto pia, meritis succurre, polosa,
Crimina nos lacerant, tu tamen esto pia.

12. Filius, ecce, tuus, quem non capit ordine mundus,
Quem colit orbis ovans, filius, ecce, tuus.

13. Dat tibi, quaeque cupis, pietas clarissima prolis
Nilque negans Dominus dat tibi, quaeque cupis.

14. Dic: miserere tuis semper, placidissima, nate,
Sanguine quos laveras, dic, miserere tuis.

15. Gloria lausque patri, virtus genitae quoque proli,
Spiritui pariter gloria lausque patri.

Cod. Casinen. 109. saec. 11. (mit Neumen).

114. In Assumptione BMV.

1. Virgo, Dei mater, Judaeae gloria gentis,
Virgo, Dei mater, populi miserere dolentis,
Virgo, Dei mater, prae cunctis sola beata,
Virgo, Dei mater, per te mors est superata.

2. Angelus adveniens, sancta Dei genitrix,
De coelis Gabriel, nobilis aula Dei,
Supplice voce tibi, sancta Dei genitrix,
Verba benigna tulit, nobilis aula Dei.

3. Sit Dominus tecum, sancta Dei genitrix,
Gratia te replet, nobilis aula Dei,
Virginitatis honor, coeli clarissima stella,
Virginitatis honor, salve, veneranda puella.

4. Virginitatis honor, coeli regina Maria,
Virginitatis honor, salva nos regis ab ira,
Tu Domini mater, virginitatis honor,
Sponsa Dei summi, stella Maria maris.

5. Janua coelorum, virginitatis honor,
Porta beatorum, stella Maria maris,
Gloria cunctorum, virginitatis honor,
Hunc defende chorum, stella Maria maris.

6. Hac fuit orta die coeli regina Maria,
Quae Christum genuit, hac fuit orta die;
Sit benedicta dies, in qua tu nata fuisti,
Dicite, pontifices, sit benedicta dies.

7. Sit benedicta dies, in qua sibi lac tribuisti,
Omnis homo dicat: sit benedicta dies.
Praefinita dies venit, regina Maria,
Qua coelos scandas, vade, beata nimis.

8. Occurrunt proceres coeli, regina Maria,
Omnia laeta vides, vade, beata nimis;
Angelicus coetus, coeli regina Maria,
Obvius, ecce, venit, vade, beata nimis.

9. Agmina coelorum, coeli regina Maria,
Undique laeta fluunt, vade, beata nimis.
Filius, ecce, tuus, coeli regina Maria,
Te laturus adest, vade, beata nimis.

10. Quae regina fuit carne deducta triumpho?
Nulla quidem, nulla; gloria magna tibi;
Gloria magna tibi, summa jam sede locatae,
Et nunc et semper gloria magna tibi.

Cod. Casinen. 194. saec. $^{11}/_{12}$. add. saec. 11. (mit Neumen). — 9, 4 Te lanurus adest.

115. In Assumptione BMV.

Ad Processionem.

Sancta Maria quid est? si coeli climata scandis,
Esto benigna tuis. Sancta Maria quid est?
Unde fremit populus vel cur vexilla coruscant?
Quid sibi vult strepitus? unde fremit populus?
Quare volant faculae, lucent per strata coronae,
Lumine cum lunae quare volant faculae?
Astra nitent radiis, rutilant et tecta laternis,
Cuncta rubent flammis, astra nitent radiis.
Edita consulibus numerasti, Roma, triumphos,
Signa moves planctus, edita consulibus?
Quae tibi causa mali, felix o gloria mundi?
Cur manant oculi, quae tibi causa mali?
Plaude, parens patriae, rorantia lumina terge,
Spem retines veniae, plaude parens patriae.
Martyrii pretio cecidit si prima propago,
Stas renovata modo martyrii pretio.
Limina primus adit silvis digressus arator,
Nunc tua piscator limina primus adit.
Pulvere multiplici crines foedaverat ille,
Hic te mundat aquis pulvere multiplici.
Paulus ovile tuum pascens educit aquatum,
Atque refert stabulis Paulus ovile tuum.

Respondet Roma:

Quid memoras titulos aut cur insignia prisca
Objicis in vultum? quid memoras titulos?
Enitui facie toto memorabilis orbe,
Callida sed vulpes enitui facie.

In mediis opibus meretrix nocturna cucullos
Induo prostituens in mediis opibus.
Nec metuens Dominum projeci carmine vultum,
Offendens nimium nec metuens Dominum.
Semino nunc lacrimas ad serae gaudia messis
Et post delicias semino nunc lacrimas.
Gaudia sustinui, lucrum si prima recepi,
Lucrificante Deo gaudia sustinui.
Nec procul est opifex gemmam carbone refingens
Et gremium pandens, nec procul est opifex.
En, ubi vultus adest quaerens oracula matris,
Prae natis hominum, en, ubi natus adest.
Vultus adest Domini, cui totus sternitur orbis,
Signo judicii vultus adest Domini.
Ergo fremunt populi nec cessant tundere pectus
Matres cum senibus, ergo fremunt populi.
Sistitur in solio Domini spectabile signum
Theotocosque suo sistitur in solio.
Hinc thymiama dabunt, hinc balsama prima reponunt,
Thus myrrhamque ferunt, hinc thymiama dabunt.
Dat schola Graeca melos et plebs Romana susurros
Et variis modulis dat schola Graeca melos.
Kyrie centuplicant et pugnis pectora pulsant,
Christe faveto, tonant, Kyrie centuplicant.

Invitatio ad orationem:

Sollicitemus ob hoc Dominum prece, carmine, lingua
Et matrem Domini sollicitemus ob hoc.
Virgo Maria, tuos clementius adspice natos,
Exaudi famulos, virgo Maria, tuos.
Supplicibus lacrimis tibi grex cum spargitur urbis,
Alma Maria, fave supplicibus lacrimis.
Turba gemit populi modico discrimine leti.
Sancta Maria, tibi turba gemit populi.
Sancta Dei genitrix, Romanam respice plebem
Ottonemque fove, sancta Dei genitrix.
Tertius Otto tuae nixus solamine palmae
Praesto sit veniae tertius Otto tuae.
Hic tibi, si quid habet, devoto pectore praestat,
Spargere non dubitat hic tibi, si quid habet.
Gaudeat omnis homo, quia regnat tertius Otto,
Illius imperio gaudeat omnis homo.

Pontificale Romanum ms. saec. 10. Cod. Casinen. 451 (246). — Ein Prozessionshymnus aus der Zeit Otto III. „Incipit carmen in Assumptione sanctae Mariae in nocte, quando tabula portatur." Dies wird erklärt durch die folgende (auch in dieser Hs. befindliche) Stelle des Ordo Romanus: „In ipsa vespera vigiliarum praeparatur quoddam portatorium in sancto Laurentio

apud Lateranos superpositaque tabula imagine Christi Domini nostri insignita a medio noctis concurrente populo exeunt cum letania ad sanctam Mariam minorem mundatis praeviam plateis et suspensis per domos lucernis ibique in gradibus sanctae Mariae deposita aliquamdiu icona omnis chorus virorum ac mulierum genibus humiliter ante eam flexis pugnis etiam pectora caedentes una voce per numerum dicunt centies Kyrie eleison, centies Christe eleison, item centies Kyrie eleison fusisque lacrimis et precibus per sanctum Adrianum recta via vadunt ad Mariam majorem auditaque missarum celebritate ad palatium revertuntur.“

116. In Assumptione BMV.

1. Gaude, regina inclita,
Nata de stirpe regia,
Campos mundi convallium
Ornans virtutum gratia.

2. Ad te voces clamantium
Exaudi, benignissima,
Super thronos regnantium
Elevata clarissima.

3. Regina mundi domina,
Supra coelorum culmina
Sublimi regnans gloria,
Duc nos ad tua gaudia.

4. Assumpta supra angelos
Sis memor nostri, domina,
Hostes fuga tartareos
Et dele nostra crimina.

5. Gloria tibi, Domine,
Exaltans matrem hodie
Cum patre et spiramine
In sempiterno tempore.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultrajectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Vale virgo inclita; da die Hs. die meisten Liedesanfänge verändert und bei dem überlieferten Texte eine Silbe fehlt, ist der Anfang wie vorstehend gestaltet.

117. In Festo Mariae Nivis.

In 2. Vesperis.

1. Quem pia virgo genuit
Sacro perfusa spiritu,
Regi perennis gloriae
Hymnum canamus jugiter.

2. Quem semper super sidera
Laudat coelestis curia,
Sanctae Mariae virgini
Grates reddendo debitas.

3. Haec virgo venerabilis,
Prole fecunda nobili,
Locum elegit inclitum
Suo sacrandum nomini.

4. Quem praeter morem solitum
Mensis Augusti tempore
Pressis solis ardoribus
Totum replevit nivibus.

5. In visione docuit
Tanti causam mysterii,
Solemnis habitaculi
Benigne pandens ordinem.

6. Sic templum solemnissimum
Fundat papa Liberius,
Opes dispensat largius
Johannesque patricius.

7. Nos tuos salva famulos,
Christe, natus de virgine,
Qui pia festa colimus
Matris tuae sanctissimae.

Brev. Pataviense imp. Venetiis 1508. — Die beiden ersten Strophen Daniel I, 259.

118. De beata Maria V.

1. Ave, gloriosa
Stirpis Jesse rosa,
Coelum stillat rorem,
Virgo paris florem.

2. Ave, pretiosa
Flore vernans rosa,
Jericho plantata
Et Sion firmata.

3. Ave, mundi sidus,
Coeli paradisus,
Virgo fons hortorum,
Laus et spes reorum.

4. Ave, radiosa
Stella matutina,
Nos, imperiosa,
Serves a ruina.

5. Ave, vas decoris,
Rutilans aurora,
Eja, stilla roris,
Siccum cor irrora.

6. Ave, vitae via,
Nos solare, pia,
Nato concilia,
Dulcis o Maria.

7. Ave, gratiosa,
Veni sine mora,
O cum flore rosa,
Asta mortis hora.

Orat. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacen. 3702.

119. De beata Maria V.

In Sabbato.

1. Maria, mater Domini,
Aeterni patris filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

2. De Deo vero genitum
Tu genuisti filium,
Qui non habet initium,
Ex te sumpsit exordium.

3. Maria, virgo virginum,
Deposce nobis omnium
Remissionem criminum
Tuum placando filium.

4. Gloria tibi, Domine,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15. — Str. 1 und 2 vgl. Anal. IV, 47.

120. De beata Maria V.

In Sabbato.

1. Gaude, origo gaudii,
Mater aeterni filii,
Perqu am Christus, flos montium,
Flos est factus convallium.

2. Da nobis spei gaudia,
Da amoris suspiria,
Da, ut nos amor vulneret
Et vulnerando suspiret.

3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

4. Per tuum, virgo, filium,
Per patrem et paraclitum
Adsis nobis ad obitum
. . . . . .

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15.

121. De beata Maria V.

In Sabbato.

1. Maria, coeli regia,
Ad te clamantes adjuva,
Audi preces miserorum
Et deprecare Dominum.

2. Qui a te nasci voluit
Et nos a morte eruit,
Pro nobis ipse mortuus,
Et nos per ipsum vivimus.

3. Memento, salutis auctor,
Nostri quod olim corporis
Ex illibata virgine
Nascendo formam sumpseris.

4. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

5. Gloria tibi, Domine.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15.

122. De beata Maria V.

In Sabbato.

1. Gaude, prima laetantium,
Primitiae gaudentium,
Quae edidisti omnibus
Desideratum gentibus.

2. Da mane sine vespera,
Da corda nobis libera,
Da primae pacis prospera,
Da unitatis foedera.

3. Da sanctitatis munera,
Da honestatis opera,
Da fidei constantiam
Da veram sapientiam.

4. Da laetam patientiam,
Da gratam verecundiam,
Da spiritus modestiam,
Da puram conscientiam.

5. Bona mater, bone fili,
Laudi vestrae amabili
Totus mundus obediat
Et cum amore serviat.

6. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

7. Gloria tibi, Domine.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15.

123. De Omnibus Sanctis.

1. Deus, piorum gaudium,
Spes, vita ac virtus, praemium,
Laudes tibi canentibus
Clemens adesto servulis.

2. Haec festa nobis prosperans
Dicata sanctis omnibus,
Qui dante te coelestibus
Jam perfruuntur sedibus.

3. Quo virgo fulget virginum,
Tui genitrix filii,
Quo jugiter te splendidi
Laudant, adorant angeli.

4. His junctus et consortio
Praecursor et cognomine,
Cum patriarchis omnibus
Vatumque gaudet coetibus.

5. Quae lingua, quae vox explicet
Apostolorum gloriam,
Aut candidati martyres
Quibus coronis emicent?

6. Donantur illic praemia
Aeterna confessoribus,
Agnum sequentes virgines
Novo resultant cantico.

7. Horum precatu protege
Hic nos gementes exsules
Et his beatae patriae
Adjunge tandem civibus.

8. Quo te, pater, cum filio
Una cum sancto spiritu
Possimus omni tempore
Laudare puro pectore.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. A. — Hymn. ms. saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. H. 1217. B. — Hymn. ms. Egmontensis saec. 15/16. Cod. Hagen. X 142. C. — Brev. ms. Quedlinburgense saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 132 D. — Mel.: O gloriosa domina C. — 1, 2 ac fehlt BC. — 1, 4 Adesto clemens B. — 2, 1 prospera A. — 4, 1 junctis C. — 4, 2 est cognomine B. — 5, 3 Aut quae candidati A. — 6, 2 Aeterna fehlt B. — 7, 1 precatu sup tege B. — 7, 3 Ex his A. — 8, 1 patrem BC. — 8, 2 Et spiritu paraclito BC. — 8, 3 Laeto canentes pectore BC. — 8, 4 Laudemus omni tempore B.

124. De Omnibus Sanctis.

1. Lumen cunctorum luminum,
Illustrator fidelium,
Tibi quo possint reddere
Laudes omni in tempore,

2. Nobis perseverantiam
Atque dona constantiam,
Ut, ore quod proferimus,
Mente constet divinitus.

3. Licet gravemur nimium
Pressi mole facinorum,
Preces tamen, quas fundimus,
Audi benigne, quaesumus.

4. Mater Maria nobilis,
Tui factoris sobolis,
Virgo post partum integra,
Haud secus atque antea,

5. Tuum exora filium,
Quem nos colimus unicum,
Ne ulcisci sic libeat,
Ut culpa nostra indicat.

6. Chori virtutum omnium,
Coelestium spirituum,
Coeli cives archangeli,
Cherubim atque angeli,

7. Lapsis nobis succurrite
Multi peccati pondere
Apud illum suppliciter,
Cui adstatis jugiter.

8. Patriarcharum concio
Ac prophetarum legio,
Vobis praescitum coelitus
Modi, quis venit Dominus.

9. Nostrum firmum praesidium
Estote ac refugium,
Vobis possimus gaudium
Habere quo perpetuum.

10. Gloriosi apostoli,
Evangelistae Domini,
Electi mundi principes,
Prudentes Christi milites,

11. Deum nobis propitium
Reddite ad judicium,
Cum nostra fit discussio
Ac culparum discretio.

12. Caterva innocentium
Atque sanctorum martyrum,
Parvipendendo terrea
Adepti coeli gaudia.

Legend. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 11. Cod. Vatican. 1274.

125. De Omnibus Sanctis.

1. Benigne pater, cordibus fidelium,
Mitte salutis aeternae auxilium,
Quo verum Deum semper possit colere
Ac trinitatem, sicut est, cognoscere.

2. Mater et virgo, omnibus nobilior,
Fulgida stella, prae cunctis splendidior,
Tu reparatrix omnis orbis perditi,
Gratiam tui nobis posce filii.

3. Virtutes coeli, cives admirabiles,
Christi ministri, angelorum ordines,
Nos imbecilles illi fortes reddite,
Cui adstatis semper sanctus dicere.

4. Fide praeclari patriarchae primitus
Atque prophetae, cognovistis coelitus
Venturum regem, qui constet propitius
Nobis misellis sanctis vestris precibus.

5. Qui propter Deum ad cuncta supplicia
Artus dedistis passos multa verbera,
Agni qui stolas lavistis in sanguine,
Pro nobis Deo dulces preces fundite.

6. Praesules sancti, confessores lucidi
Ac eremitae, omnes sancti monachi,
Vestra praeclara nobis sit confessio,
Vobis si placet, aeterna salvatio.

7. Judices saecli, vera mundi lumina,
Spiritus sanctus vos docuit omnia,
Claves qui coeli sui estis gratia,
Nostra jubete deleri peccamina.

8. Sanctarum genus gloriosum virginum
Ac viduarum simul continentium,
Quo quimus verum pleniter omnimode,
Nos imploramus, gaudium acquirere.

9. Perpetuale nancisci suffragium,
Sanctorum choros flagitamus nimium,
Nobis ab illo, qui condidit omnia,
Manens ubique regit cuncta saecula.

10. Omnes devote studeamus Domino
Odas pro tanto ferre beneficio,
Quod nos ad suam creavit imaginem
Atque ostendit nobis suum ordinem.

11. Eja, jucunde fratres benedicere
Illi sumamus atque laete psallere,
Ut mereamur suo sancto munere
Fore repleti omni quidem tempore.

12. Gloria patri, virtus invisibili
Ejusque nato ac sancto spiritui,
Sit coaequalis atque individua
Simul regnando per aeterna saecula.

Legend. ms. S. Gregorii in Urbe saec. 11. Cod. Vatican. 1274. — 1, 4 trinitati; zwei Silben fehlen, sicut ergänzt. — 7, 4 Jubete celeri. — 9, 1 nanciscit.

126. De Omnibus Sanctis.

1. Trinitati altissimae,
Matri Christi sanctissimae,
Choris sanctorum flaminum
Et prophetarum omnium,

2. Apostolis principibus,
Piis Christi martyribus,
Virginibus, doctoribus
Almisque confessoribus,

3. Solemnitas laudabilis
Ac cunctis venerabilis
Sanctis devotis mentibus
Nunc celebretur omnibus.

4. Isti patris potentia
Natique sapientia,
Paracliti clementia
Coelesti fulgent gloria.

5. Ut lilia sic germinant,
Fulgore rosae rutilant,
Palmam ferunt victoriae
Regi coelestis patriae.

6. Deposita tristitia
Sumamus sacra gaudia,
Ut beatorum agmina
Digne colamus merita.

7. Rogemus flexo poplite
Cives coelestis curiae,
Ut laudis cum libamine
Regem exorent gloriae.

8. Ut quidquid impotentia
Peccamus, ignorantia
Vel per cordis duritiam,
Indulgeat per gratiam.

9. Ut sempiterno lumine
Vultu divinae gloriae
Coelestis sponsi nuptiis
Fruamur atque gaudiis.

10. Sit laus patri cum filio
Sancto simul paraclito,
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus.

Hymn. ms. Ambrosianus saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Trivulzian. A 102. A. — Brev. ms. Abiaschen. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Ambrosian. X 22. sup. B. — Psalt. ms. Ambrosianum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Basil. Ambrosian. s. n. C. — Brev. ms. Ambrosianum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 7. D. — 3, 1 Solemnis laudabilis B. — 3, 2 A cunctis A. — 4, 2 Natisque B. — 4, 4 fulget B. — 5, 1 Et lilia B. — 5, 2 roxae B. — 5, 3 floruit victoriae B. — 5, 4 supernae patriae B. — 8, 2 Peccavimus B. — 8, 3 pro cordis duritia B. — 9, 1 Et sempiterno B. — 9, 2 Vel thux divinae B. — 10, 1 sq. Gloria tibi A.

127. De Omnibus Sanctis.

1. O salutaris virgo, stella maris,
Generans prolem, aequitatis solem,
Lucis actorem, retinens pudorem,
Suscipe laudem.

2. Coeli regina, per quam medicina
Datur aegrotis, gratia devotis,
Gaudium maestis, mundo lux coelestis
Spesque salutis.

3. Aula regalis, virgo specialis,
Posce medelam nobis et tutelam,
Suscipe vota precibusque cuncta
Pelle molesta.

4. Virtutum chori, summo qui rectori
Semper adstatis atque jubilatis,
Ovis remotae memores estote
Nosque juvate.

5. Felices estis, patriae coelestis
Cives, cunctorum nescii malorum,
Quae nos infestant miseramque praestant
Undique vitam.

6. Unde rogamus atque supplicamus,
Ut foveatis atque muniatis
Vestros conservos, quorum rex super vos
Cum patre regnat.

7. Patriarcharum atque prophetarum
Pollens senatus diluat reatus,
Sedens in thronis, renitens coronis,
Vestibus albis.

8. Ordo sanctorum nos apostolorum
Regat docendo, doceat regendo,
Votis intendant, supplices defendant,
Vincula solvant.

9. Pacis augmentum poscat innocentum
Grex candidatus, quos rex perturbatus
Jussit necari, metuens privari
Culmine regni.

10. Triumphatores mundique rectores
Fide vicerunt, gloriam spreverunt,
Nobis suorum donent triumphorum
Gaudia secum.

11. Impetret votum chorus sacerdotum
Nec non cunctorum coetus confessorum,
Omnes qui gratum Deo famulatum
Exhibuerunt.

12. Grex virginalis oret, ut de malis
Saecli praesentis simul et sequentis
Eripiamur et, quae postulamus,
Accipiamus.

13. Universorum cunei sanctorum
Coelo gaudentes nobis sint clementes,
Quibus adjuti mereamur uti
Luce perenni.

14. Omnes electi, compotes effecti
Vitae beatae, Dominum rogate,
Nobis ut laetam donet et quietam
Ducere vitam.

15. Praestet levamen nobis et juvamen,
Quo mundi fluctus gehennaeque luctus
Sic evadamus, ut, quae nunc speramus,
Obtineamus.

16. Lux sempiterna, pie nos guberna,
Pater ac nate parque deitate
Spiritus sancte, Deus unus ante
Saecula trinus.

Cod. Vatican. 311. add. saec. 15. — 3, 3 cucta Hs.; ursprünglich wohl tota. — 3, 4 Perle molesta.

128. De Omnibus Sanctis.

Ad Processionem.

R^{o} Humili prece et sincera devotione
Ad te clamantes semper exaudi nos.

1. Summus et omnipotens genitor, qui cuncta creasti,
Aeternus Christus, filius atque Deus,
Nec non sanctificans dominator spiritus almus,
Unica majestas trinaque sola Dei.

2. Ipsa Dei genitrix reparatrix et inclita mundi,
Quae Dominum casto corpore concipiens
Perpetua semper radias cum virginitate,
Indignos famulos, virgo Maria tuos.

3. Angelici proceres, coelorum exercitus omnis,
Aeterno semper lumine conspicuus,
Agmine ter trino radians per sidera regem
Laudibus aeternum concelebret Dominum.

4. Petrus cum Paulo, Thomas cum Bartholomaeo
Et Jacob sanctis nos relevent precibus,
Andreas, Mattheus, Barnabas atque Johannes,
Matthias, Lucas, Marcus et altisonus.

5. Coetus apostolicus, duodeno sidere comptus,
Cunctos propitius protege nos famulos,
Et quos multiplices lacerant per crimina pestes,
Peccata absolve, fac bona cuncta sequi.

6. Nunc Stephanus, Linus, Clemens, Anacletus et almus,
Sixtus, Alexander Corneliusque pius,
Hippolytus, Vitus, Laurentius atque Modestus
Chrysogonusque pius nos miserando juvent.

7. Senesi, martyr Domini, miles quoque fortis,
Tuque, Theoponti, regis amice pii,
Nos precibus vestris defendite, namque potestis,
Credimus experti munera tanta Dei.

8. O decus immensum, nostri lex, gloria, census,
Pax, columen, requies, semita recta, duces,
Ferte, Graeci, curam, patriam prece reddite tutam,
Ne pupus incautis vincula nectat eis.

9. Vos tempestates, vos noxia quaeque fugate,
Non aestus laedant, non pluviae noceant,
Morbos atque famem subitamque repellite mortem,
Quidquid et huic vestro posset obesse loco.

10. O vos martyrii decorati nomine Christi,
Conspicui veste purpurea proceres,
Qua bello invicti superastis daemonis iras,
Confortate manus, vincere morte minas.

11. O venerande pater, Silvester, pastor amande,
Mens calet obsequiis invigilare tuis,
Ecclesiam quondam per te quia novimus auctam
Et synagoga suum perdidit auxilium.

12. Cum Judaea suos tibi perfert stulta magistros,
Lege sua cecidit et veniam petiit.
A te sub nodis perstricta fauce draconis
Plebs moribunda suae dona salutis habet.

13. Nunc igitur nostri constrictis faucibus hostis
Eripe nos mortis casibus et laqueis
Et nos assiduas tibi dantes cordibus odas
Causa tui meriti sistas in arce poli.

14. Adriane, Dei miles fortissime summi,
Nobis nunc famulis auxiliare tuis,
Nil sic perspicuum poterit vox clara referre,
Ut decet in tali nunc patris obsequio.

15. Hic tibi perpetuis resonant concentibus aedes,
Ossibus et sacris semper habetur honor,
Cum laeti famuli celebrant hic festa benigni
Laudibus instantes nocte dieque tuis.

16. Dirige corda pius et tempora dirige nostra
Atque dies laetos ducere da famulos,
Ut semper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoque coelesti cernere duce poli.

17. Urbanus, Damasus, Gregorius Ambrosiusque,
Hilarius, Zeno, Maximus atque Leo,
Martinus, Proculus, Caesarius Eusebiusque
Orent pro nostris criminibus variis.

18. Ordo confessorum sacratus praecipuorum
Auxilio tutos undique redde tuos
Atque tua nosmet prece dimittendo reatus
Nos fragiles mundi cladibus omnigenis.

19. Paulus et Antonius, Macarius Arseniusque,
Pachomius, Beda, Attala, Paphnutius,
Bertulphus, Libertinus, Basilius atque
Hieronymus doctor nos miserando juvent.

20. Summe Dei cultor, monachorum rector et abbas,
O Benedicte sacer atque benigne pater,
Istud coenobium coetumque tibi famulantum
Nostraque sanctificans cuncta tuere simul.

21. Maurus et Othmarus, Simeon, Gallusque Columba
Et simplex Paulus Hilarionque simul,
Solentur precibus, vitare queamus ut hostis
Praestigium cauti versutiamque lupi.

22. O dilecte Dei radians virtute corusca,
Sancte Anselme pater, junge preces pariter,
Intercede pius veniam poscendo misellis
Aureque jam blanda carmina percipiens.

23. Felicitas felix, Eulalia digna, Verena,
Petronillaque cum perpete Perpetua,
Agnes atque Agathes, Christina, Euprepia, Thecla,
Eufemia, Regula, Eugenia atque bona.

24. Helena cum Paula, Scholastica cum Juliana,
Candida cum Fusca Febroniaque pia,
Margarita simul, Donatilla, Caecilia, Flora,
Dent veniam nostris saepe rogando probris.

25. Virginitate chorus resplendens, candidularum
Turba puellarum, integritate nitens,
Quae geminis gaudens pulchrum decorata coronis,
Laude pudicitiae martyriique simul.

26. Omnes nunc sancti, nostris succurrite lapsis
Et veniam cunctis ferte juvando malis,
Nam vestris precibus petitis quaecunque rogantes,
Annuit ipse pius nilque regat Dominus.

27. Pacem perpetuam rogitamus perfice, Christe,
Et sanae vitae gaudia longa diu,
Temperiem coeli tribuens, ut copia frugum
Omnibus abundet ubere laetitia.

28. Agne Dei patris, mundi qui crimina tollis,
Optatae pacis munera dona tuis.
Κύριε παντοκράτωρ, ἰσως σωτήρ δέ τε παντός,
Σὺ βασιλεὺς ἡμῶν. Χριστ', ἐλέησον ἡμῶν.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343 Sessorian. 62. — Die Litanei Humili prece ist von Hartmann von St. Gallen verfafst. Während dieselbe sonst häufig verkürzt erscheint, ist sie hier bedeutend erweitert und verändert, weshalb sie in vorliegender Bearbeitung hier aufgenommen. Vgl. Migne PP. LL. 87, s. 32, 138, 1082 u. f. — 2, 3 radians. — 3, 1 omnes. — 4, 2 relevet. — 6, 4 juvet. — 13, 4 sistat. — 14, 3 poterit nos clare. — 16, 4 Tuoque coelestis. — 18, 1 sacratus confessorum. — 18, 3 tuos nosmet impetres. — 19, 4 juvet. — 20, 3 Istum coenobium. — 23, 1 serena. — 26, 2 ferte vincendo. — 27, 1 rogitamus perspicue. — 27, 2 Ut sanae. — 27, 4 laetitiae. — 28, 3 Kyrie pantocrator isoso disse te pante. — 28, 4 Sub basileos ymnum Kyrie, eleisson ymas. — Diese beiden Verse fehlen bei Migne l. c., finden sich aber in der Prager Hs. VI G 10 saec. 14. in, wo sie lauten:

Kyrie panton craton ysos sodisse te pantos
Sub basiles ymon Christe eleison ymas.

129. In Natali Apostolorum.

1. Ad te nostras, Domine,
Preces omni tempore
Supplicantes fundimus,
Hymnos quando psallimus.

2. Sancte pater, solitam
Tuam per clementiam,
Nos et nostras pariter
Audi voces jugiter.

3. Adest dies celebris,
Valde venerabilis,
In quo nos officium
Celebramus mysticum.

4. Bis nam sena sidera
Atque lunae cornua
Sol perlustrat propriis
Annuatim radiis.

5. Christi splendor fulgidus,
Chorus apostolicus,
Cujus lucis gratia
Coruscat ecclesia.

6. Hi sunt terrae principes,
Omnis mundi judices,
Quorum voce fidei
Orbis iter obtinet.

7. Pietatem Domini
Deprecemur seduli,
Ut per apostolicam
Nos conservet gratiam.

8. Tibi, Christe, gloria,
Honor, benedictio,
Gratiarum actio
Per infinita saecula.

Hymn. ms. Fredelariensis saec. 11. Cod. Casselian Theol. IV 25.

130. De Apostolis.

1. Bella qui carnis nova protulistis,
Regis aeterni stabiles amici,
Quae damus vobis Domino ferenda,
Sumite vota.

2. Vos crucis Christi probra multa passi,
Munus acceptum moriendo facti,
Quidquid in nobis viget impudicum,
Mortificate.

3. Qui minas regum, rabiem ferarum,
Flagra vicistis fidei triumphis,
Nos in aeternum precibus juvate
Vincere mundum.

4. Hostis antiqui laqueis solutos
Atque culparum maculis piatos,
Mortuos mundo, date nos beatos
Vivere Christo.

5. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

Brev. ms. Palatin. Vindob. 1826 saec. 12. A. — Brev. ms. Superioris Altae saec. 12. Clm. Monacen. 9633. B. — „In festo Sancti Jacobi“ A. — Doxologie nur begonnen AB.

131. In unius Apostoli.

1. En, adest festum gratiae,
Tollens malum moestitiae,
Quo vir hic apostolicus
Praefectus et catholicus

2. Reliquit cuncta terrea,
Caduca et phantastica,
Ascendit super sidera
Ad gaudia coelestia.

3. Hic fuit cancellarius
Et verus secretarius,
Quem Jesus lumen saeculi
Misit doctorem populi.

4. Eja, dulcis apostole,
Quem veneramur hodie,
Devote te colentibus
Adesto clemens omnibus.

5. Per te donetur venia
Et gratiarum munera,
Per quam possimus vivere
Ad regulam justitiae.

6. Sit tibi, alma trinitas,
Laus, honor et sublimitas
Pro tali, tanto nuntio,
Quem tu misisti saeculo.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363 saec. 15.

132. In unius Martyris.

1. Dies solemnis agitur,
In qua hic martyr colitur,
Qui sustinens poenalia
Scandit ad aeternalia.

2. Quam felix es, qui vincere
Poenas tortorum quiveras,
Ut Christum lucrifaceres
Et in aeternum plauderes.

3. Jam nunc in coelo jubilas
Et signis novis rutilas,
Qui cunctis infirmantibus
Confers medelae gratiam.

4. Idcirco nullus hodie
Diffidat te accedere,
Cum plenus sis dulcedine
Et pietatis opere.

5. Christi athleta inclite,
Te venerantes respice,
Ut tua per suffragia
Nostra solvantur crimina.

6. Laus tibi, sancta trinitas,
Quae martyrem glorificas,
Nobis praestans subsidia
Per ejus digna merita.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363 saec. 15. — 2, 2 lucrifacere.

133. In Festis Martyrum.

Ad Laudes.

1. Rex Christe, splendor gloriae,
Laudes referimus tibi,
Qui profluo miraculo
Sanctorum ornas atrium.

2. Qui in pace ecclesiae
Florentes more lilii
Praedicaverunt populum,
Ut replerent paradisum.

3. Sumentes arma bellica
Contra hostis nequitiam
Gestabant scutum fidei,
Gladium spiritus sancti.

4. In quorum ore Deus est,
In quorum corde Christus est,
In quorum corde pietas,
Justitia et veritas.

5. Orti de faece pulveris
Pro bonis suis meritis
Similes facti angelis
Fruuntur claris gaudiis.

6. Ad quorum ossa mortua
Ad magnam Christi gloriam
Nova crescunt miracula,
Dantur plebi suffragia.

7. Dum datur salus languidis,
Redditur vita mortuis,
Lumen refunditur caecis,
Capiunt gressum debiles.

8. Te nunc oramus, Domine,
Eorum nos munimine
Ab omni malo protege,
Oblata vota tribue.

Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 387. A. — Brev. ms. Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 413. B.

134. In unius Confessoris Pontificis.

1. Gaude, fidelis concio,
Et benedic altissimo
In die hac laetitiae,
Quae confert dona gratiae.

2. Nam praesul tam sanctissimus,
Cujus nunc festum colimus,
Migravit ab hoc pelago,
Laetatur in empyreo.

3. Hic fuit lux in populo,
Exemplar toti saeculo,
Fulsit doctrinae radiis,
Resplendet nunc prodigiis.

4. Eja, intende precibus,
Quas actu ad te fundimus,
Stantes, ne cadant, robora,
Lapsos, ut surgant, adjuva.

5. Erroris pelle nubilum
Per lucis tuae radium,
Fac Deum semper colere
Et spem in ipsum ponere.

6. Laus trinitati debita,
Honor, potestas, gloria,
Quae sua ex clementia
Praestat salutis praemia.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15. — 2, 3 Migratur ab.

135. De Confessore Pontifice.

1. Christe, pastorum caput atque princeps,
Praesulis gaudens celebrare festum,
Debitas sacro pia turba psallit
Carmine laudes.

2. Ille non vano tenuit tremendam
Spiritu sedem proprio nec ausu
Sed sacrum jussus Domino vocante
Sumpsit honorem.

3. Strenuum bello pugilem superni
Chrismatis pleno tuus unxit intus
Spiritus cornu posuitque sanctam
Pascere gentem.

4. Hic gregis pastor fuit atque forma,
Lux erat caeco, misero levamen,
Providus cunctis pater omnibusque
Omnia factus.

5. Christe, qui sancti meritis coronam
Reddis in coelis docili magistrum
Fac sequi vita similique tandem
Fine potiri.

6. Laus redemptori Domino perennis,
Aequa laus summum celebret parentem,
Spiritus sancti resonet per omnem
Gloria mundum.

Hymn. ms. Sanctensis s. n. saec. 15. add. saec. 16.

136. De uno Confessore.

1. Confessor aeterni patris,
Invicte miles filii,
Athleta fortis spiritus,
Nobis fave poscentibus.

2. Christi crucem tu bajulas
Christoque confixus cruci,
Jucunda spernens saeculi
Gaudes modo in regno Dei.

3. Tu nempe felix gaudia
Ovans conscendis ardua,
Coeligenarum epulis
Fruiturus perennibus.

4. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Praesens adesto cominus
Omne impetrando commodum
Et post perenne gaudium.

5. Tui precatus munere
Nostros reatus dilue,
Arcens mali contagium,
Vitae removens taedium.

6. Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis,
Nos solve vinclis saeculi
Amore filii Dei.

7. Hujus, o Christe, meritis
Nostris adesto precibus,
Quo tibi laudum debita
Deferamus obsequia.

8. Tibi patrique gloria
Cum sancto sit spiramine
In summa coeli curia
Nunc et per cuncta saecula.

Orat. ms. Tegurin. anni 1470. Clm. Monac. 20021. — De sancto Benedicto. — Zu vergleichen ist Morel 289 und 296, die aber nur Str. 1, 2, 4 und eine andere Doxologie enthalten. Verfasser ist Ekkehard von St. Gallen. Vgl. Migne 87, 48.

137. In unius Confessoris.

1. Coelum, terra et maria
Cunctaque abyssalia
In his et exsistentia
Deo decantent carmina.

2. Qui confessoris merita
Et opera magnifica
Ostendit nunc in patulo
In hoc fluenti saeculo.

3. Hic sanctitate floruit,
Orando multis profuit,
Et haec, quae Christus docuit,
Vita pro posse tenuit.

4. Corpus mactavit jugiter
Et vixit regulariter,
Abstractus a terrestribus,
Suspensus in coelestibus.

5. En, supplices nos quaesumus
Et preces ad te mittimus,
Aufer rancoris odium
Tolle vindictae impetum.

6. Fatiscat omne vitium,
Splendor nitescat mentium,
Et tandem lux perpetua
Nos satiet in saecula.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363 saec. 15. — 3, 2 profluit.

138. De Confessoribus.

1. Laudemus Christi gratiam,
Confessorum constantiam,
Quorum doctrina fulgida
Splendet mater ecclesia.

2. Qui carnis continentiam
Servantes propter Dominum
Fraglantes velut lilium
Reddunt odorem optimum.

3. Quorum, Deus, suffragiis
Absolve nos a vinculis,
Peccaminum resticulis,
Quibus gravamur nimium.

4. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Lucen. 1463. A. — Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. B. — Brev. ms. Benedict. Brixinen. saec. 13. Cod. Univ. Bononien. 2493. C. — Von der Doxologie nur der Anfang B.

139. De pluribus confessoribus.

1. Coelum digne tripudiat,
Terra gaudiis intonat,
Sanctorum pro solemniis
His orbis totus jubilat.

2. Quos mundus hic dum tenuit,
Vitam horum obstupuit,
Quod praeter carnem vixerint
Nec non signis claruerint.

3. Horum ergo precatibus
Absolve nos reatibus,
Quorum concedis hodie
Solemnia recolere.

4. Oramus vestris precibus
Culpis mundemur omnibus,
Jungamur piis coetibus,
Agni sequamur choreas.

5. Praesta, solus ingenite,
Praesta, Deus tu genite,
Praesta, sacer paraclite,
Rex per aeterna saecula.

Brev. ms. Sitanstettense LXXXV saec. 15. A. — Brev. ms. Novacellense anni 1501. Cod. Oenipontan. 405. B. — 1, 4 Is orbis B. — 2, 2 vixerunt A. — 2, 4 claruerunt A. — 3, 1 precibus A. — In B als de ss. Ingenuino et Albino ad Nocturnum.

140. In unius Virginis.

1. O virgo venerabilis,
Decora et spectabilis.
Tu gemma pudicitiae
Et speculum munditiae.

2. Tu facta es eburnea
Vincendo carnis lubrica,
Candens virtutum flosculis,
Laudanda es in populis.

3. Fuisti virgo sapiens,
In cunctis bene vigilans
Adeptaque centesimum
Fructum, immo milesimum.

4. Quam felix es, quae ingredi
Quivisti regis thalamum,
Portans accensam lampadem
Per vitae claritudinem.

5. Sis nostri memor, domina,
Dum pangis agno cantica,
Gravatos sorde libera
Delendo mortis crimina.

6. Praesta, beata trinitas,
Ut virginalis castitas
Exstinguat flammam igneam
Det mentemque virgineam.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15.

141. De una Virgine.

1. Hymnum beatae virgini
Dic, turba, voce supplici,
Lauda Deum per omnia
Ejus canens miracula.

2. Infirma mundi eligit
Et magna spernens projicit,
Infirmat idem fortia,
Confortat autem vilia.

3. Quod nunc in alma virgine
Palam valemus cernere,
Sexum domans quae labilem
Vitam gerebat caelibem.

4. Pomposa mundi gaudia
Contempsit ut ludibria,
Soli Deo se subdidit
Illique totam tradidit.

5. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Sangallensis anni 1446. Cod. Sangallen. 16. — Mel: Votiva orbi gaudia.

142. De una Electa.

1. Jubilo cordis et voce canora
Matrem plebs sanctam fidelis honora,
Ipsius opem jugiter implora
Hac die sacra.

2. Qua vitae hujus finito labore,
Virtutum pollens vario decore,
Petiit coelum celebri honore
Carne soluta.

3. Haec mundum vicit dimicans cum mundo,
Hostem prostravit carnem macerando,
Pervigil orat Christum invocando
Mente devota.

4. Pauperum mater, orphanorum nutrix,
Pascit egenos pupillorum tutrix,
Sanat aegrotos moestorum solutrix,
Famine grata.

5. Sobria, prudens, pia, clemens, mitis,
Casta, pudica, dulcis Sunamitis,
Impetra nobis, generosa vitis,
Regna beata.

6. Quod, pie Deus, praestare digneris
Precibus hujus sanctae mulieris,
Qui trinus unus universa regis
Per cuncta saecla.

Brev. ms. Glogaviense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Wratislavien. I Q 251.

143. De una Electa.

Ad Vesperas.

1. Gratuletur ecclesia,
Nam summi regis filia
Post hujus mundi tristia
Scandit ad vitae gaudia.

2. Haec vera Christi famula
Inventa sine macula
Deum amavit sedula,
Cum quo regnat per saecula.

3. Nobili stirpe genita,
Sed virtutibus praedita,
Mundi contempsit gloriam
Adepta Christi gratiam.

4. Igne flagrabat fidei
Amore succensa Dei,
Signis effulgens variis
Coeli potitur praemiis.

5. Haec de valle miseriae
In patriam laetitiae
Ad regem omnis gloriae
Laeta pervenit hodie.

6. Laus uni Deo et trino,
Qui nos beatae precibus
Peracto vitae termino
Conjungat coeli civibus.

Brev. ms. Teplense anni 1353. Cod. Pragen. VII F 23. A. — Brev. ms. Melitensium in Pedepontis 8. anni 1398. B. — Brev. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI G 6. C. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. IV F 4. D. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Liechtensteinen. 1. 4. 13. E. — Clichtoveus, Elucidatorium ecclesiasticum imp. Basileae 1517 F. — 1, 3 vitae tristia E. — 1, 4 coeli gaudia AF. — 2, 1 Ludmilla Christi A; Tu N Christi D; Haec Jesu Christi E. — 2, 4 Christo regnat E. — 3, 2 Sed virtutibus est E. — 3, 4 Christi meretur gratiam A. — 4, 2 Succensa amore fideli E. — 6, 1 Deo et triplici E. — 6, 2 Qui nos N precibus A—E. — Als de una vidua ADEF, de sancta Ludmilla C, de s. Maria Aegyptiaca B.

144. De una Electa.

Ad Nocturnum.

1. Haec summi regis famula
Effulsit mundo celebris,
Quae ut sidus de nebula
Et lux prodit de tenebris.

2. Gloriam mundi penitus
Spernens virtute claruit,
Illustrata divinitus
Deo servire studuit.

3. Carnis soluta nexibus
Infertur coeli solio,
Quae nobis piis precibus
Succurrat in exilio.

4. Laus uni Deo et trino,
Qui nos Ludmillae precibus
Peracto vitae termino
Coeli conjungat civibus.

Brev. ms. Teplense anni 1353. Cod. Pragen. VII F 23. A. — Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI G 6. B. — Brev. ms. Pragense IV F 4. saec. 15. C. — Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. D. — 1, 2 mundo coelitus B. — De vidua. In laudibus A.

145. De una Electa.

1. Hic dies nobis gaudia
Praestet et beneficia,
Quo sancta haec ad aethera
Scandit, quam actu colimus.

2. Quam felix es, o domina,
Quae cuncta mundialia
Sprevisti, summo studio
Ut adhaereres Domino.

3. Cujus te amor compulit
Vim magnam tibi inferens,
Ut et pro posse faceres,
Quae hic in terra docuit.
4. En, gemina dilectio
Replevit tua viscera,
Quae recreasti pauperes
Per pietatis opera.
5. Suppeditando vitia
Spirasti ad coelestia,
Supremum bonum venerans
Et pro peccatis rogitans.
6. Eja, o Christi famula,
Nos supplices te petimus,
Ut places regem gloriae,
Offensum multo crimine.
7. Praesta, pater omnipotens,
Cum coaeterno filio
Et procedenti pneumate
Remissionem scelerum.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19 363. saec. 15.

146. De sanctis Poenitentibus.

Ad Mat. et Laud.

1. Salus reorum, Christe, deifica,
Patens assylum tu poenitentium,
Irae paternae suavis placatio,
Tibi pangimus pectoris intimo.
2. Desperatorum, Jesu, spes unica,
Publicanorum dapsilis venia,
Tu meretricum clemens munditia,
Lava benignus nostra piacula.
3. Profligatorum redux tu pretium,
Ovem captivam reduc ad patriam,
Errantes rege, correctos protege,
Corda emundans nostra tu posside.
4. Sit trinitati gloria unicae,
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans quae Deus unus est,
Per cuncta semper saecula saeculi.

Hymn. ms. Sangallensis saec. 12. Cod. Sangallen. 18.

147. In plurimorum Sanctorum.

1. Sanctorum omnium, quorum solemnia
Hac die celebrat mater ecclesia,
Horum suffragia et magna merita
Pro posse mihi postulo.
2. Vos omnes pariter laudo ac veneror,
Vobis congratulans, qui post certamina
Pro Deo habita in valle misera
Adepti estis coelica.
3. O quam magnifica vos cingit gloria
Coelestis patriae, quae nunquam desinit,
Sed semper incipit se ipsam renovans
In saeculorum saecula.

4. En, me temptamina mundi et daemonis
Carnisque propriae impugnant graviter.
Idcirco deprecor vestram clementiam.
Ut succurratis misero.

5. Ne fractus impetu tantorum hostium
Compellar cadere in malum aliquod,
Per quod offenderem summam essentiam,
Quam debeo diligere.

6. Praesta, piissime Deus omnipotens,
Sit impetrabile, quod sancti rogitant
Hac die celebri pro me et populo
Apud te fontem gratiae.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15.

148. In Festo Patronorum Hildesheimensium.

1. Voces erigite, laudate Dominum,
Matrem diligite, quae vitam hominum
Utero detulit, saeculo protulit
Christum, qui pacem attulit.

2. Genitrix regia, tutrix ecclesiae
Hujus egregia, serena facie
Respice supplices, protege simplices,
Hostes repelle complices.

3. Christi discipuli, martyres, praesules,
Virgines Domini, coelorum ordines,
Tenetis atria beata patria
Deum colentes latria.

4. Vos singulariter electos Domini,
Precamur pariter patronos, nomini
Vestro qui psallimus, laudes attollimus,
Fastigia recolimus.

5. Culpas abluite precibus sedulis,
Pacem tribuite Domino credulis
Justosque vivere gratiae munere,
Beato fine pergere.

6. Patri sit gloria semper ingenito,
Regnum, victoria sit unigenito,
Decus paraclito, laus sine termino
Uni trinoque Domino.

Hymn. ms. Hildesheimensis saec. 14. Cod. Beverin. 695. A. — Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Beverin. 686 b. B. — Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. C. — Brev. ms. Hildesheimense imp. s. l. et a. D. — Brev. Hildesheimense imp. Lipsiae 1516. E. — 4, 4 Suffragia recolimus A. — 5, 3 gratiae munere fehlen A. — Verfasser des Hymnus ist Lippoldus von Steinberg.

149. De Patronis Emmeramensibus.

1. Pro diversorum nominum
Sanctis laudemus Dominum,
Quibus in hac ecclesia
Disposuit cubilia.

2. Hic martyres sunt rosei,
Hic confessores cerei,
Nec desunt virginalia
Praesenti loco lilia.

3. Hic Emmeramus aries,
Wolfgangus gregis paries,
Hic pausat Dionysius
Hostem vincens Parisius.

4. Hi superant aromata,
Decoris isti schemata,
Mirificis hi floribus
Adspirant et odoribus.

5. Jam quantum Deo placeant,
Cum cineres hic jaceant,
Signis hoc jam creberrimis
Patet et celeberrimis.

6. Quos ergo Deo noscimus
Tam gratos, horum poscimus
Absolvi sanctis precibus
A peccatorum faecibus.

7. Sit trinitati gloria,
Sit nato, sit paraclito
Istorum pro victoria,
Quorum salvemur merito.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14600 A. — Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14824. B. — Diurn. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14664. C. — Diurn. ms. Emmeramense saec. 14. Cod. Palat. Vindob. 1968. D.

150. De Patronis Emmeramensibus.

Ad Nocturnum.

1. Continet multos sinus hujus aulae
Jam polo fultos, quibus astra caulae,
Quos probat caelis positos medelis
Turba fidelis.

2. Hic cinis quorum tegitur sepulchro,
Spiritus horum Deus ipse pulchro
In sinu stringit, fovet atque cingit
Luceque pingit.

3. Ergo jam cuncti, quibus ista vernant
Templa, conjuncti mala quaeque pellant,
Corrigant mores, superos decores
Dent et honores.

Diurn. ms. Emmeramense saec. 14. Cod. Palat. Vindob. 1968. A. — Diurn. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14664. B. — Diurn. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14824 C. — 3, 1 vernant fehlt.

151. De Patronis Emmeramensibus.

Ad Laudes.

1. In patronorum meritis
Deo canamus inclitis,
Cum summi regis gloria
Sit militum victoria.

2. Hi fidem veram praedicant,
Virtute polo emicant,
Hi violenti rapiunt
Coelum palmamque capiunt.

3. Istos impugnant daemones,
Hos caro, illos homines,
Sed sui ducis gladio
Triumphant in hoc stadio.

4. Adjutor hic pugnantium,
Hic merces triumphantium,
Quos firmat hic in acie,
Illic satiat facie.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14913. — 3, 2 Hos conus (corus) illos daemones Hs.; der Sinn fordert ein Wort in der Bedeutung Welt, das aber zweisilbigen männlichen Reim haben müfste, weshalb homines nicht das Rechte sein kann.

152. In Festo Patronorum Salisburgensium.

Ad Vesp. et Noct.

1. Patroni nostri incliti
Confessoresque lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in coelestibus.

2. Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Ut Christi laudes debitas
Persolvamus alacriter.

3. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri cum filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. Salisburgense imp. Venetiis 1482.

153. In Festo Patronorum Salisburgensium.

Ad Laudes.

1. Jesu, corona omnium,
Perpes corona praesulum,
In hac die clementius
Nostris faveto vocibus.

2. Nam rite mundi gaudia
Hujus dum vana respuunt,
Cum angelis coelestibus
Laeti fruuntur praemiis.

3. Horum, benignus, annue
Nobis sequi vestigia,
Horum precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

4. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi patrique gloria
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Salisburgense imp. Venetiis 1482.

154. In Festo ss. Reliquiarum.

Ad Vesperas.

1. Sanctum sanctorum collaudemus Dominum,
Qui nos paterna respicit clementia
Et nobis larga salutis remedia
Per mirificas providit reliquias.

2. Quas isti sacrae donavit ecclesiae
Atque stupendis praeditas miraculis
Glorificavit ac decore induit,
Ut per has sua monstraret magnalia.

3. Nam aegros sanant et caecos illuminant,
Lepram depellunt, auditum restituunt,
Linguam resolvunt et contractos erigunt,
Daemones fugant defunctosque suscitant.

4. O venerandae earundem animae,
Hunc gregem nostrum et devotum populum,
Studentem vestris laudibus assiduis
Specialius adjuvate precibus.

5. In hujus mundi salo nos dirigite,
Adversitatum procellas compescite
Et post peracta tot laborum tempora
Ad portum verae salutis perducite.

6. Quod nobis summa atque individua
Trinitas praestet, cui est et permanet
Potestas aequa, laus et vera gloria
Per infinita saeculorum saecula.

Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12. — 3, 1 mundi fehlt.

155. In Festo ss. Reliquiarum.

Ad Nocturnum.

1. Deus, lumen de lumine,
Fons et origo gratiae,
Maximus es in minimis,
In omnibus mirabilis.

2. Vivunt ex tua gratia
Sanctorum quaeque minima,
Eorundemque merita
Ossa ostendunt mortua.

3. Ergo illorum precibus
Nostris parce reatibus,
In hac vita nos protege
Et post da thronum gloriae.

4. Quo patri est cum filio
Et spiritu paraclito
Laus et perennis gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12.

156. In Festo ss. Reliquiarum.

Ad Laudes.

1. Excelse coeli Domine,
Audi preces familiae,
Tuam canentis gloriam
In sanctorum memoria.

2. Ad quorum hic reliquias
Tua refulget pietas,
Nam sanitas languentibus,
Coelum patet pulsantibus.

3. O vos piorum animae,
Quas veneramur hodie,
Pro nobis intercedite,
Vitam perennem poscite.

4. Praestet pater per filium,
Per spiritum paraclitum,
Ut virtutum profectibus
Vestris jungamur coetibus.

Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12.

157. De Sanctis Reliquiis.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosae
Splendorem laetitiae,
Lux illuxit radiose
Praesentis ecclesiae,
Qua coluntur pretiosae
Sanctorum reliquiae.

2. Lunda laude gratuletur
Exsultans praeconio,
Dulci melo moduletur
Clara cleri concio,
Tota simul animetur
Populi devotio.

3. Vos ut aurum depuratum
Fornacis incendio,
Quo plus fulget inflammatum
Fervens tribulatio,
Cor dat magis elevatum
Coeli desiderio.

4. Quanta passi vos tormenta,
Quos insultus austeres,
Ob divina testamenta
Voluntate pauperes,
Detestati blandimenta
Dilexistis carceres.

5. Vos in polo jam sublimo
Gaudetis per saecula,
Vester odor fragrat primo
Plus unguento, rosula,
Cinnamomo, nardo, thymo,
Costo, cypro, fistula.

6. Vos unguento nos virtutum
Supplices perungite,
Vos Leviathan versutum,
Ne laedat, repellite,
Vos in hostes arma, scutum
Potenter porrigite.

7. Trinum Deum unitate
Veneremur jugiter,
Unum Deum trinitate
Collaudemus pariter,
Cujus in aeternitate
Numen est perenniter.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. — 2, 6 Poli devotio. — 5, 6 nardo, cimo. — 7, 6 Tuimen est.

158. De Sanctis Reliquiis.

Ad Laudes.

1. Laudant astra matutina
Conditorem omnium,
Quorum robur in ruina
Mane dilabentium
Subiit chorum angelorum
Coelus resurgentium.

2. Mane novum, mane laetum
Praecessit in capite,
Quod aeternum et quietum
Capietis inclite,
Christo freti, per hoc fretum
Nos sibi traducite.

3. Vos scintillae coruscantes
Igne veri luminis,
Cito cursu transmeantes
Stipulas arundinis,
Christum passum contestantes
Unda vestri sanguinis.

4. Illustrandos claritate
Vos decet agilitas,
Mira cum subtilitate
Fit impassibilitas,
Larga Dei pietate
Corporis haec qualitas.

5. Corpus gaudens sanitate,
Pollens pulchritudine,
Libertate, voluptate,
Valens fortitudine,
Vigens immortalitate,
Festivum certamine.

6. Vos concordes, vos potentes
Pares amicitia,
Vos honore praeminentes,
Pleni sapientia,
Vos securi, vos gaudentes,
O miranda gloria!

7. Summo patri sit potestas,
Nato laus, victoria,
Sancto pneumati majestas,
Coaequalis gloria,
Deus unus, vitam praestas
Et aeterna gaudia.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. — 1, 5 Subiit quorum angelorum.

159. De Sanctis Reliquiis.

Ad Nocturnum.

1. Hac in die jucundemur
Spiritali gaudio,
Hoc in templo collaetemur
Sanctorum collegio,
Quorum coelis perfruemur
Perenni consortio.

2. Lignum crucis fert insignem
Titulum victoriae,
Dulce lignum, ligans ignem
Caritatis numine,
Christianae dans insignem
Triumphum militiae.

3. Ubertate debriatis
Verae vitis germine
De torrente voluptatis
Haustum praebes, Domine,
Certis de jucunditatis
Stolae dote geminae.

4. Pie praesul, o Marine,
Tuis da precatibus,
Ut a cladis hinc marinae
Transferamur fluctibus,
Portum pacis da divinae
Junctis coeli civibus.

5. Qua quiescis, Euphrosyna,
Virgo sacratissima,
Nobis aurem huc inclina,
Prece fac piissima,
Ut mundemur a sentina
Culparum putrissima.

6. Flori florum Christo flores,
Felix o Florentia,
Hunc, oramus, ut exores,
Ut sua clementia
Nobis coeli pandat fores
Post haec vitae spatia.

7. Patri summo jubilamen,
Cujus est creatio,
Nato perpes moderamen,
Cujus reformatio,
Sacrum nos illustret flamen,
Criminum remissio.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. — 3, 5 jucunditate. — 4, 4 Juncti coeli.

II.

DE SANCTIS.

160. De sancto Adalberto.

1. Exsultet coelum gaudiis,
Terra plaudat solemniis,
In Adalberti praeconiis
Plebs sonet ex praecordiis.

2. Nos saecli hujus aemulos
Carnis domando stimulos
Per sanctitatis titulos
Vertat in Dei famulos.

3. Sic coelum scandit libere
Nullius in itinere
Hostis complex, enomere
Ut nobis donet vivere.

4. Cujus precatu solvitur
Languor, et salus redditur,
Justis beatus jungitur,
Ut propheta promittitur.

5. Ut Christus cum advenerit,
Horrorque mundum cinxerit,
Jungamur, si non abnuerit,
Nos quoque sibi junxerit,

6. Patri dato eulogio
Ejusque soli filio,
Sancto simul paraclito
In regno hoc perpetuo.

Brev. ms. Strigoniense saec. 14. ex. Cod. Palat. Vindobonen. 1829. — 1, 3 Eine Silbe zuviel; lies In Alberti? Da der ganze Hymnus nichts Spezifisches vom hl. Adalbert enthält, ist der Name vielleicht hier statt eines andern eingeschoben. — 2, 1 Vos saecli; falsche Initiale des Rubrikators. — 3, 1 Lies Hic coelum? — 3, 3 enomere soll wohl soviel sein und heifsen als *ἐννόμως*. — 4, 4 Ut et propheta. — 5, 3 hat eine Silbe zuviel; lies sin abnuerit oder si adnuerit? — 6, 4 In fehlt. Der Reim legt die Vermutung nahe, dafs entweder die ganze Doxologie nicht ursprünglich oder 6, 3 und 4 verdorben sind. — Den Hymnus hat aus eben dieser Hs. Dankó, Vetus Hymnarium Ecclesiasticum Hungeriae, S. 171 ediert, hat aber an einer ganzen Reihe von Stellen falsch gelesen.

161. De sancto Adalberto.

Ad Vesperas.

1. Ave, Dei clare
Miles Adalberte,
Respice canentes
Tibi supplicantes.

2. Nobis, fac, ut pius
Miserator Christus
Indulgeat cuncta
Perperam commissa.

3. Annuet in cunctis,
Quaecunque rogabis,
Cujus caritati
Totum te vovisti.

4. Igne mali grana
Penitus cremata
Per de redivivum
Protulere fructum.

5. Graviter crudeles
Vicisti Fresones,
Preme cunctos hostes
Nobis adversantes.

6. Ut corde securo
Famulantes Christo
Possimus gaudere
Tecum sine fine.

7. Doxa patri summo,
Laus aequalis nato
Cum spiritu sancto
Nunc et in aeternum.

Hymn. ms. Egmontensis saec. 15/16. Cod. Hagen. X 142.

162. De sancto Adriano.

Ad Tertiam.

1. Martyr Christi Adriane,
Miles fortis et inclite,
Tuis edocti monitis
Vitemus iram judicis.

2. Gregem tuere proprium,
Hostem repelle improbum,
Ut caritate fervidi
Vincamus artes invidi.

3. Athleta fundens sanguinem
Pro Christo victor nobilem
Regnum scandisti polorum,
Regnaturus in aeternum.

4. Precamur omnes sedule,
Nobis, beate, subveni,
Quo tibi melos gloriae
Pangamus omni tempore.

5. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laus utriusque flamini
In saecula laudabili.

Orat. ms. saec. 14 in Cod. Guelfenbyteran. 1544 (H. 1420).

163. De sancto Adriano.

1. Sancte Martyr Adriane,
Miles Christi inclite,
Tua prece commendare
Nos tu Deo satage,
Ut pro sua clementia
Nostra laxet scelera.

2. Votis nostris annue,
O tu cohors beata,
Huic in martyrio
Aeque comparata,
Nostra quod intentio
Fiat Deo grata.

3. Laude digna tu probaris,
Nam a Deo veneraris
Usa jugi gaudio
In coeli palatio,
Pro curtae poenae praemio
Potiris sacra laurea.

4. Nos licet sumus indigni
Et in actis tam maligni
Ac ingrati servuli,
Vestris interventibus
Placate Deum citius,
Ut nobis sit propitius.

5. Te, summe Deus, petimus,
Faveto nostris precibus,
Remitte, quae commisimus,
Ea luendo mitius
Et post vitae curricula
Nos coelicis associa.

Antiph. ms. S. Mariae Trajecten. saec. 13. Cod. Ultrajectin. 406. add. saec. 15. A. — Antiph. ms. S. Mariae Trajecten. saec. 14. Cod. Ultrajectin. 407. add. saec. 15. B. — 2, 6 Domino grata AB. — Mel.: Urbs beata Hierusalem.

164. De sancto Aegidio.

1. Gaude, fidelis concio,
Sancto plaudens Aegidio,
Ejus namque solemnia
Sacra colit ecclesia.

2. Confessor est eximius
Christi sanctus Aegidius,
Quem oriundum Graecia
Dei lustravit gratia.

3. Laudabuntur per saecula
Virtutes et miracula,
Quae divina potentia
Patravit ab infantia.

4. Aetatis puer tenerae
Viro languenti misere
Vestem dedit, remedia
Per quam cepit salubria.

5. Per hunc omnis infirmitas
Fugit, cessit sterilitas,
Recuperata copia
Gavisa fuit Gothia.

6. Perfecte quia credidit,
Vitam defuncto reddidit,
Ipsius ad imperia
Fugata sunt daemonia.

7. Sanctum quisquis Aegidium
Digne colit, propitium
Christum habet nec gratia
Caret petita venia.

8. Veneremur hunc pariter,
Oremus unanimiter,
Ut ad aeterna gaudia
Nos perducat prece pia.

9. Gloria tibi, trinitas,
Laus tibi, sancta unitas,
Ex cujus sapientia
Sunt et reguntur omnia.

Brev. Aquilejense imp. Venetiis 1481.

165. De sancto Aegidio.

Ad Vesperas.

1. Aeterno regi gloriae
Hymnum canamus hodie,
Aegidii miracula
Qui divulgat per saecula.

2. Istum profudit Graecia
Stirpe creatum regia,
Docilem Dei gratia
Et praeclarum scientia.

3. Ejus tunica largitur
Aegro, qui sanus redditur,
Veredemio jungitur,
Eremus quibus colitur.

4. Terra, quae fuit sterilis,
Ejus prece fit fertilis,
Aeger sanatur debilis,
Famam fugit vir humilis.

5. Linquitur Veredemius,
Intrat saltum profundius,
Cerva pastus Aegidius
Est pro nutrice saucius.

6. Construxit monasteria
Et fugavit daemonia,
Per hunc diversa talia
Fecit Deus magnalia.

7. Sit laus patri cum filio
Paraclitoque hagio,
Sanctorum qui consortio
Fungi dedit Aegidio.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — 3, 4 Eremis.

166. De sancto Aegidio.

1. Insigni Dei athletae
Laudes nos canamus laeti,
Celebri Aegidio
Graecorum stirpe progenito.

2. Hic Athenis oriundus,
Ibi fulsit miraculis
Adolescens, cita prece
Nunc succurre debilibus.

3. Felix valde Gallia,
Quem generavit Graecia,
Tu patronum defensoremque
Habes divino munere.

4. Qui mota sedat maria,
Captorum solvit vincula,
Nos ad portum salutis trahe,
Peccatorum solve vincula.

5. Clamamus ad eum omnes:
Sancte Aegidi confessor,
Da nobis cor contritum,
Os confessum servare jugiter.

6. Nobis Christi gratiam posce,
Ut carnis ejus sacramentum
Valeamus accipere
Ad salutem animae.

7. Demum, sancte Aegidi,
Nos defendas in agone
Per juvamen, ut Christum
Videamus in perpetuum.

8. Praesta, pater ingenite,
Jesu, cum sancto flamine,
Ut precibus Aegidii
Jungamur in coelestibus.

Brev. ms. Capit. Dusseldorpin. saec. 15. Cod. Dusseldorpin. C 64. — Ich habe am Texte keinerlei Verbesserungen vorgenommen, da der unheilbaren Schäden doch zu viele bleiben.

167. De sancta Afra.

1. O virtus Dei praepotens,
Tuos exaudi supplices
In his festivis gaudiis
Beatae Afrae martyris.

2. Quae cum ad votum judicis
Servire nollet idolis,
Corpus, in quo peccaverat,
Incendiis obtulerat.

3. Hinc a ministris rapitur,
Igni cremanda traditur,
Sed manet imperterrita
Tamquam dolorum nescia.

4. Tendens in altum lumina,
Dum palmas premunt vincula,
Solo relictis artubus
Coelum capessit spiritus.

5. Hinc trinitati debita
Laus, honor et victoria
Perenniter sit omnia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Fuldense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 81. — 3, 1 Hic a ministris. — 5, 1 dedita.

168. De sancta Afra.

1. Christe, salus credentium,
Unica spes moerentium,
Peccanti poenitentiam,
Da poenitenti veniam.

2. Sancta nobis hoc obtine
Afra, quae scis optime,
Quis possit hunc invenire,
Qui per se cupit perire.

3. Per te memento perisse,
In ulnis Christi redisse,
Quibus imponas precibus,
Nos te supplices petimus.

4. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito,
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84.

169. De sancta Agatha.

Ad Nocturnum.

1. Age, lingua, gloriosae
Comple festa martyris,
Prosa, cantu copiose
Fini laudem virginis,
Quam implevit gratiose
Donum sancti flaminis.

2. Gaude, virgo, cum connexu
Patris atque filii
Sponsi tui in amplexu
Pro palma martyrii,
Fragili contenta sexu,
Sertum geris praemii.

3. Alma mater et patrona
Praesentis familiae,
Fulgens quoque cum corona
Virginalis gratiae,
Deprecare nobis . . . . . .
. . . . . .

Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Bruxellen. 6426. — Das weitere fehlt.

170. De sancta Agnete.

In 1. Vesperis.

1. Ave, gloriosa,
Agnes virtuosa,
Agni sponsa digna,
Mitis et benigna.

2. Sumens agni dona,
Spernens mundi bona,
Caritate plena
Tendit ad amoena.

3. Solve, virgo grata,
Vincla peccatorum
Sumeque precata
Tibi devotorum.

4. Monstra te esse sponsam
Agni praeelectam,
Sumat per te precem,
Donet nobis pacem.

5. Virgo, pugil fortis,
Sis in hora mortis
Nostra defensatrix
Atque gubernatrix.

6. Vitam nobis sanctam
Impetra aeternam,
Ut intremus chorum
Tecum angelorum.

7. Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto
Honor trinus unus.

Psalt. ms. S. Katharinae in Hoorn saec. 15. ex. Cod. Hagen. V 31. A. — Hymn. ms. Neerlandicus saec. 15. ex. Cod. Cantabrigen. Nn IV 11 B. — 2, 4 Lies Tendis? — Str. 3 fehlt und ist durch die entsprechende Strophe des Ave maris stella ersetzt A. — 7, 4 Trinus honor et unus A. — Mel: Ave maris stella AB; ad Completorium B.

171. De sancta Agnete.

In 2. Vesperis.

1. Agnetis, Christi virginis
Et pretiosae martyris,
Memoriam solemniter
Agamus unanimiter.

2. In annis puerilibus
Spretis mundi blanditiis
Filio matris virginis
Castis adhaesit mentibus.

3. Quem, dum in terris viveret,
Sponsum habere voluit,
Quam vere hunc diligeret,
Sanguine fuso prodidit.

4. Quo jubente angelicis
Suscipitur in manibus
Ac fertur in cubiculum
Virginibus pollicitum.

5. Ibi gaudet in candida
Agnum subsequendo stola
Atque canit in cithara
De hostium victoria.

6. Cujus prece sanctissima
Da veniam cum gratia,
Christe, sanctorum gloria,
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. S. Katharinae in Hoorn saec. 15. ex. Cod. Hagen. V 31.

172. De sancta Agnete.

Ad Completorium.

1. Sion devotae filiae
Castis exsultent plausibus,
Agnetem, pulchram facie,
Dignis extollant laudibus.

2. Agnes agnum martyrio
Sequens et innocentia
De rosa fert et lilio
Sertum in agni curia.

3. Ad locum turpitudinis
Deducta pro ludibrio,
Dono coelestis luminis
Gaudet et coeli nuntio.

4. Nudata crine tegitur
Et veste candidissima,
Defunctus vitae redditur
Ejus prece sanctissima.

5. Illaesa stans in medio
Flammarum laudat Dominum,
Tandem percussa gladio
Canit in choro virginum:

6. Quod concupivi, video,
Bonum bonorum omnium,
Quod speravi, jam teneo
Nec timeo divortium.

7. Patri, nato, paraclito
Decus, virtus et gloria,
Qui nos Agnetis merito
Salvet et sua gratia.

Psalt. ms. S. Katharinae in Hoorn saec. 15. ex. Cod. Hagen. V 31. A. — Hymn. ms. Neerlandicus saec. 15. ex. Cod. Cantabrigen. Nn IV 11. B.

173. De sancta Agnete.

1. Inter choros jam virginum
Agnes floret ut lilium
Ante regem Dominum,
Virginis matris filium.

2. Stirpe, moribus nobilis,
Deum gerens praecordiis,
Dum a scholis graditur,
Prole judicis amatur.

3. Illi dum nollet cedere,
Patris adstans praesentiae,
Ad lupanar trahitur
Induviis ac privatur.

4. Adest praefecti filius,
Quem praefocat diabolus,
Dolet pater mortuo,
Sed gaudet resuscitato.

5. Dehinc flammis circumdatur,
Illaesa ferro necatur,
En, spiritus ejus
In requie collocatur.

6. Christe, nostris criminibus
Ejus indulge precibus,
Qui cum Deo patre
Et sancto regnas pneumate.

Diurn. ms. Constantiense saec. 14. Cod. Turicen. Rhenov. CLV. A. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. B. — 2, 3 ab scholis AB. — 2, 4 amator A. — 3, 4 Induinis ac. B. — 5, 1 flammis cumcirdatur B. — Dieses Lied steht nach B bei Morel No. 325; es verdient verglichen zu werden, um an einem Beispiele zu lernen, welche Änderungen er an den Texten vornimmt, ohne es irgend zu bemerken. Die dritte Zeile jeder Strophe hat stets eine Silbe (5, 3 und 6, 3 sogar zwei Silben) weniger als die andern Verse. Morel erkannte nicht, dafs dies beabsichtigt, und flickt daher alle diese vermeintlichen Lücken aus.

174. De sancta Agnete.

1. Te, Christe, nostra cantica
Deprecantur dulcisona,
Ut sanctae Agnis meritis
Misericors sis miseris.

2. Tu os corona virginum,
Salus atque fidelium,
Remunerator omnium
Bonorum semper actuum.

3. Tu sanctam Agnem proprio
Sponsasti tibi annulo
Adstrinxistique osculo
Mentem ejus castissimo.

4. O sancta Agnes inclita,
Regis aeterni filia,
Precantibus assiduis
Salutem posce miseris.

5. Te, o virgo, spiritibus
Christus junxit coelestibus,
Pro nostris jam criminibus
Deum ora quantocius.

6. Sit tibi, Christe, gloria,
Honor, magnificentia
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. — 1, 3 Agnetis; vgl. 3, 1.

175. De sancta Agnete.

1. Inclita Agnes intravit areolam,
Rosas calcans lilia
Collegit quam plurima,

2. Sertum ut Christo plecteretur Domino,
Virectis amygdala
Subjunxit et florida.

3. Sponsus pro sertis tradidit monilia,
Ornamenta aurea,
Annulum cum corona.

4. Jubila sancta, Roma, cum ecclesia,
Agnes, tua filia
Iam fulget in glorio.
5. Laus atque honor patri sit cum filio,
Qui choro virgineo
Praeest cum igne sancto.

Hymn. ms. Sanblasianus saec. 15. Cod. Araugien. W 8. 8°. — 2, 2 Virectos Hs.

176. De sancto Albano.

1. Exsultet omnis spiritus,
Albanus martyr inclitus
Mundana sprevit gaudia,
Ut raperet coelestia.
2. Theonistus hunc docuit
Mores et sapientiam,
Qui sprevit ritus gentium
Sectando Christum Dominum.
3. Sanctus in fide claruit,
Peccati carens spermate
Deo servire studuit
In sanctitatis culmine.
4. Exstirpare cum nititur
Haereticorum dogmata,
Pro fide tandem caeditur
Et permanet immobilis.
5. Christi pia clementia
Vita, mors, signa varia
Dant huic testimonium
De sanctitatis apice.
6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc mortali corpore
Per Albani suffragium
Crescat nostra devotio.

Grad. ms. Mosaetrajectinum saec. 15. Cod. Hagen. J 7. add. saec. $^{15}/_{16}$. — Mel.: Exsultet coelum laudibus.

177. De s. Alberto Carmelita.

Ad Laudes.

1. Hujus rite asperitas
Per mundi fulget orbitas,
Nam nodoso cilicio
Carnem domabat clanculo.
2. Per ferias legitimas,
Carnis trivit illecebras
Et super stratum palmitum
Nudum stravit corpusculum.
3. Hic vinum semper renuit,
Lympham potare voluit,
Ut castitatis strophaeo
Se decoraret opido.
4. Hujus nos, Christe, precibus
Supernis junge civibus
Ablatis facinoribus
Et saeculi erroribus.
5. Praesta, pater ingenite
Et fili primogenite,
Cum sacrosancto flamine
Nunc et in omni tempore.

Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1464. Cod. Bambergen. Ed VII 36. A. — Brev. ms. Carmelitanum anni 1476. Cod. Bambergen. Ed VII 24. B. — Den Hymnus der Vesper aus der Hs. A bei Mone III, 181 u. f.

178. De s. Alberto Carmelita.

Ad Laudes.

1. Adest natalis celebris,
Dies viri Seraphici.
Alberti, civis coelici,
Quo gaudet in coelestibus.

2. Qui spreto mundi culmine
In annis puerilibus
Ad templum sanctum properans
Servire Deo petiit.

3. In arta poenitentia
Carnem castigat acriter,
Ne maculetur turpiter
Imago sibi credita.

4. Hunc hostis fallax stimulat,
Dum contemplatur fervide,
Quem Christi servus superat
Perseverando sedule.

5. Messana gaudet civitas,
Quam Christus sancti meritis
Eripuit ab hostibus
Cibum praebens famelicis.

6. Mons gratulare Drepani,
De quo talem propaginem
Deus, deorum dominus,
Produxit mundo floridam.

7. Sit trinitati gloria,
Patri simul et filio,
Sancto quoque paraclito
Per infinita saecula.

Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579.

179. De sancto Alexio.

1. Romanum fulget speculum,
Alexius, qui saeculum
Liquit sequendo Dominum
Altissimus humilium.

2. Regia sponsa caruit
Ob Jesum, qui et claruit
Ingenuus verissime
In hoc caduco tempore.

3. Edissam intrat peregre,
Dives et pauper propere,
Pie vivendo Dominum
Efflagitat Jesum Christum.

4. Dehinc Mariae placuit,
De eo quae non tacuit,
Pandendo per mysterium
Ipsum fore sanctissimum.

5. Fastum mundanum fugiens
Marique praesto repetens
Optavit in Ciliciam
Transfretare provinciam.

6. Ventus velis contrarius,
Tharsum spexisset carius,
Aede patris suscipitur,
Ad alendum committitur.

7. Bis septem annis deguit,
Sub stega tres adhibuit,
Dans trinitati gloriam
Per suam victoriam.

8. Spiritum post obtulit,
Quem Deus ante voluit
Significare literis,
Quisnam fuisset, posteris.

9. Sit trinitati gloria
Fidelibusque gratia,
Ut Alexii suffragiis
Protegamur ab inferis.

Brev. Constantiense imp. s. l. et. a. — 6, 1 Nente velis.

180. De sancto Alexio.

1. Laetare, gens catholica,
Exsulta, mens angelica,
Exortum germen gratiae
Locasti coeli acie.

2. O lumen evangelice,
Perfectionis coelicae
Praemonstrans formam regulae,
Dona te sequi sedule.

3. Sidus novae militiae,
Triumphator victoriae,
Exemplar innocentiae,
Hostem calcans saevitiae.

4. Post hujus vitae terminum
Fac frui luce luminum,
Solutos nexu scoriae
Cinge nos stola gloriae.

5. Sit trinitati gloria
In unitate solida,
Potestas et victoria
In sempiterna saecula.

Offic. ms. Augustana saec. 15. Cod. Sangallen. 386. — 3, 2 Triumphat victoria. — 4, 3 necis scoriae.

181. De sancto Ambrosio.

Ad Nocturnum.

1. Vatem pium Liguriae,
Ambrosium paschalibus
Canamus omnes laudibus
Laetis ovantes mentibus.

2. Nequimus etsi pangere,
Quibus per orbem fulgidis
Resplenduit virtutibus,
Saltem loquamur transitum.

3. Hic propter Jesum sistere,
Exardere gaudio,
Jamjam solutis artubus
Sacco cubans vidit sibi.

4. Adsunt — — ex intimis
Antistitem clamoribus,
Sumptoque Christi corpore
Coelo refudit spiritum.

5. Sedisque pulchris lucidae
Sedere amictum splendido
Sedere relevans pernubs
Videtur a spectantibus.

6. Phalanx nequam spirituum
Altrinsecus bacchantium
Torvo scirpebat murmure,
Quod torqueretur, clamitans.

7. Grex et fidelis sedulo
Benedictionis munere
Sacrato semicinctia
Tactuque febre corporis.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. — Der Hymnus, dem ich sonst nicht begegnet bin, ist leider schlecht überliefert. — 3, 2 unregelmäfsig, doch erklärbar; vielleicht aber auch verschrieben. — 3, 3 salutis. — 3, 4 sacrato cubans. — 4, 1 Lücke; ergänze: Adsunt, vocant qui ex intimis? — 5, 1 sqq. völlig verdorben; zu restituieren vielleicht: Sedisque fulcris lucidae Sedens amictu splendido, Sese revelaat parvulis etc. — 6, 3 scirpebant. — 7, 3 Lies: Sanatur semicinctio. — Zum Verständnisse vergl. Paulinus, Vita Ambrosii n. 47.

182. De sancto Ambrosio.

1. Agnoscat omne saeculum,
Splendentis vitae speculum
Coeli sumpsisse bravia,
Aeterna Christi munera.

2. Mysterium ecclesiae
Sermone quadrifarie
Enucleat qui pistico
Ex more docti mystico.

3. Beata nobis gaudia
Ambrosius in patria
Scripsit per dicta mellica,
Exsultet aula coelica.

4. Rex Christe, factor omnium,
Implens favo examinum
Os hujus in cunabulis
Somno refectis artubus.

5. Omnes superni ordines
Angelicique cardines
Congaudent de pontifice,
Summae Deus clementiae.

6. Sancte Dei pretiose,
Martyrum reliquiae
Translatae sunt a praesule,
Aeterne rex altissime.

7. Jam lucis orto sidere
Ambrosio mirifice
Figent (!) signa prodigii
Clarum decus jejunii.

8. Vexilla regis prodeunt,
Hic esum artes (!) subeunt
Ambrosius fidem roborat,
Vox clara, ecce, intonat.

9. Splendor paternae gloriae,
Tuere nos cum flamine
Ob praesulem Ambrosium,
Jesu, redemptor omnium.

Offic. ms. Augustana saec. 15. Cod. Sangallen. 386.

183. De s. Andrea Episcopo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Gaudeat magnae genitricis ordo,
Turba Carmeli veneranda magnis
Laudibus nunquam resonare cesset
Omne per aevum.

2. Ecce, confessor celebrandus omni
Saeculo nobis, genitricis almae
Vestibus sacris humeros amictus,
Ordinis auctor.

3. Ecce, Carmeli micat alma proles
Patriam multis titulis honestans
Et suis augens meritis honorem
Religionis.

4. Hic fuit fortis, patiens et omni
Integer vita, pietate fervens,
Pauperum custos, miseris benignus,
Juris amator.

5. Doctus antistes Domini monebat
Legibus sacris populum, nec unquam
Ulla pars vitae sibi praeteribat
Inscia curae.

6. Sit patri summo genitoque virtus,
Flamini sancto, Deus unus auctor,
Cuncta qui nutu regis et gubernas
Tempora vincens.

Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579.

184. De Andrea Episcopo.

Ad Laudes.

1. Christe, Carmeli decus atque norma,
Gaudium mentis, pietatis auctor,
Porta, qua coelos gradimur superne,
Accipe vota.

2. Haec erunt nobis celebranda semper,
Hic dies nobis memorandus atque
Festus, Andreae referens beati
Annua sacra.

3. Ille mortales fugiens honores,
Saeculi spernens fragilis triumphos,
Matris intactae juvenis pudicus
Claustra subivit.

4. Candido splendet scapulas amictu,
Et caput gemmis diadema fulgens
Ornat, aeternos referens honores
Hoste sepulto.

5. Sit patri summo genitoque virtus,
Flamini sancto, Deus unus auctor,
Cuncta qui nutu regis et gubernas
Tempora vincens.

Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579.

185. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Annae festum cum gaudio
Praesens celebret concio,
Ut jungas mentes vocibus,
Veni, creator spiritus.

2. Anna spreta, quod sterilis,
Tandem fit jure celebris,
Cujus tulit opprobium
Deus, creator omnium.

3. Fecundata natam profert,
Fert ad templum, Deo offert,
Quam castitatis speculum
Agnoscat omne saeculum.

4. Sacris locis educatur,
Miro modo impregnatur,
Cujus venter, concipiens
Verbum supernum prodiens.

5. Conceptus sine semine
Tandem prodit de virgine,
Quem quaeris interficere,
Hostis Herodes impie.

6. Anna mater, placa Jesum
Pro peccatis orbis caesum,
Nos salva, rogent singuli,
Jesu, salvator saeculi.

7. Trino Deo et simplici
Canamus voce supplici,
Ubi manet divinitas,
Tu trinitatis unitas.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512 B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C. — 3, 3 Quem castitatis C. — 4, 3 Cujus fit venter BC. — 7, 3 Tibi manet B.

186. De sancta Anna.

Ad Matutinum.

1. Praesentis festi tempore
Nos monet somnum rumpere,
Lucis propinquae praescius,
Ales diei nuntius.

2. Colamus Annae transitum,
Laudemus ejus meritum,
Quam jam fecit laudabilem
Urbs beata Hierusalem.

3. Aeterna Christi munera
Jam gustans super aethera,
Precamur, solve vincula,
O gloriosa domina.

4. Duc nos tecum ad gaudia,
Ubi manes in patria,
Pax nostra jugis et quies,
Christe, qui lux es et dies.

5. Hinc trinitati gloria
Sit semper et victoria,
Tu finis et principium,
Rex Christe, factor omnium.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C. — 3, 2 gustas B. — 5, 1 Hic trinitati B.

187. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Lux, ecce fulget celebris,
Qua migravit de tenebris
Anna soluta corpore
Jam lucis orto sidere.

2. Matri congaudet filia
Inter cantus tripudia,
Simul cum sanctis omnibus
Exsultet coelum laudibus.

3. Te vexit super aethera,
Ante qui suxit ubera,
Qui te ad thronum sustulit.
Praesepe poni pertulit.

4. Audi precantes servulos
In tua laude sedulos,
Da nobis frui per saecula
Aeterna coeli gloria.

5. Laus patri sit cum filio,
Sancto simul paraclito,
Quem laudemus cum cantico
Ex more docti mystico.

Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. A. — Brev. Aarhusiense. imp. Aarhusiae 1519. B. — 1, 2 micat de B. — 5, 3 Quem laudamus B.

188. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Salve, parens Anna,
Illuxisti late,
Coeli ferens manna
Vitae sanctitate.

2. Electa fuisti,
Quod sis mater Christi
Matris, mundo tristi
Vitam genuisti.

3. Castitatis testis,
Ligni vitae fructum
Carne sancta vestis,
Evae mutans luctum.

4. O dulcis Maria,
Matri meruisti,
Quod possit in via
Sic sublimis sisti.

5. Ave, maris stella,
Trementes conforta
Sub mundi procella,
Felix coeli porta.

6. Dei mater alma,
Da triumphi dona,
In virtutum palma
Vincentes corona.

7. Sit laus Deo patri.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519.

189. De sancta Anna.

Ad Completorium.

1. Praesentatur hodie
Anna regi gloriae
Cum hymnis et laudibus;
Haec Mariam peperit,
Per quam Christus aperit
Sinum poenitentiae.

2. Datur in coelestibus
A sanctorum viribus
Annae salutatio,
Laudat matris viscera,
Laudat matris ubera
Tota coeli concio.

3. Roga, mater, filiam,
Paradisi curiam
Move tuis precibus;
Per te detur venia,
Fluat nobis gratia
De Christi visceribus.

4. Fructus ventris virginis,
Unda tui sanguinis
Culpas nostras dilue;
Audi matrem, filia,
Inter rosas, lilia
Nobis locum tribue.

Diurn. ms. Kirchheimense saec. 15. Cod. Madhingen. II 1. 8° 18.

190. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Solemnitas fidelium
Magnum revolvit gaudium,
Congaudeant coelicolae,
Piae laetentur animae.

2. Mariae mater inclita,
Quae condonata merita
Declarat in vocabulo,
Praesenti migrat saeculo.

3. Obtentu mater filiae,
Mariae plenae gratiae,
Nobis auctorem omnium
Reddat Anna propitium.

4. Annam honorant angeli,
Superni quam palatii
Deducunt in sacraria
Pro natae reverentia.

5. Annam certatim concinunt,
Dum complacere gestiunt
Imperatrici coelicae,
Parentis hujus filiae.

6. Anna, beati nominis
Parensque tantae virginis,
Quod tuo sonas nomine,
Tibi devotis obtine.

7. Sit laus paterno lumini,
Sit filioque flamini,
Qui nos per Annae meritum
Coeli ducat ad aditum.

Brev. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 170 (H. 1452). A. — Brev. ms. Montis S. Mariae anni 1340. Cod. Guelfenbyteran. 546 (H. 506). B. — Hymn. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. H. 1374. C. — Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Jagellon. 1255. D. — Cod. Monasterien. 239 (723) saec. 15. E. — Diurn. ms. Dominican. saec. 14. in. Cod. Araugien. M 5 q. F. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1497 G. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. H. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. I. — Str. 3 fehlt ABCDEFI; Str. 3—6 incl. fehlen F; Str. 5 u. 6 umgestellt GH. Ad Laudes GH. — 1, 3 Congaudent CF, coeli curiae F. — 1, 4 laetantur C. — 2, 1 mater unica G. — 2, 2 condonata munera gegen den Reim CDF. — 4, 3 Deducant H. — 5, 2 Dum me placere D. — 6, 3 fehlt D. — 5, 3 Quos tuo sanas H; sonat C. — 7, 1 sqq. Deo patri sit ABCDEI.

191. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Ut celebri laetitia
Congaudeat ecclesia,
Festum honoret celebre,
Quod causam dat laetitiae.

2. Lux adest venerabilis,
In qua supernis gaudiis
Mater Mariae virginis
Inducitur ab angelis.

3. Hinc solemnizent hodie
Superni cives curiae,
Pro tantae matris gloria
Resultet coeli machina.

4. Nos ergo devotissima
Jungamus his praeconia,
Sonent hymnorum cantica
Meraeque vocis organa.

5. Parens reginae coelicum
Ora pro nobis Dominum,
Ut mundi post exsilium
Det sempiternum gaudium.

Brev. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 170 (H. 1452). A. — Brev. ms. Montis S. Mariae anni 1340. Cod. Guelfenbyteran. 546 (H 506). B. — Hymn. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1374. C. — Cod. Monasterien. 239 (723) saec. 15. D. — 2, 2 suavis gaudiis D. — 3, 2 Suave cives coelice D. — 5, 4 Dat D.

192. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Chori plaudant alacriter
Angelorum et hominum,
Congratulando pariter
Matri reginae virginum.

2. Quae regum et pontificum
Proles et mater pauperum,
Ornans hortum dominicum
Velut lignum fructiferum.

3. Ex Joachim, quem habuit
Vitae virum eximiae,
Coeli reginam genuit,
Matrem solis justitiae.

4. In sedibus regalibus
Cum filia jam jubilat,
Quae prae beatis omnibus
Ut sol prae stellis rutilat.

5. Sit honor regi gloriae,
Qui meritis et precibus
Hujus matris et filiae
Nos jungat coeli civibus.

Brev. ms. Dominican. anni 1407. Cod. Stuttgartien. 1 b 46 (4°). A. — Psalt. ms. Carmeli Heilbronnen. saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 95 (2°) B. — Hymn. ms. Neerlandicus saec. 15. ex. Cod. Cantabrigen. Nn IV 11. C. — 1, 4 Reginae coeli virginum A. — 2, 1 Ave regum pontificum A. — 2, 3 Ornant AC. — 3, 4 Atque matrem justitiae A. — 4, 4 prae cunctis rutilat A.

193. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Novum sidus in superis
Exortum fulget hodie,
Translatum hinc de tenebris
Ad claritatem patriae.

2. Ad gloriam de gratia
Transivit dicta gratia,
Plena gaudens laetitia
Dilecti sub praesentia.

3. Alternis se conspectibus
Cernentes mater filia,
Versis ad Jesum vultibus
Stupent ineffabilia.

4. Quae tantis fulges meritis,
Per te donetur gratia
Nobis in cursu temporis,
Finito cursu gloria.

5. Jesu, Mariae filio,
Laus, honor sit et gloria,
Qui nos ab hoc exsilio
Ductos locet in patria.

Diurn. ms. Dominican. saec. 14. in. Cod. Araugien. M 5 q. add. saec. 15. — 2, 2 Transivit de ea gratia. — 3, 1 Alterius se. — 5, 1 sqq. Deo patri sit gloria etc. Die spezielle Doxologie aus Milchsack I, 25, der das Lied aus ungenannter Quelle mitteilt.

194. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Salve, parens matris Christi,
Stellam quia protulisti,
Unde sol emicuit;
Lux de luce prodit orta
Clausa permanente porta,
Vates ut praecinuit.

2. Felix ista genitura,
Pro qua Deus mortis jura
Dissipare voluit,
Auctrix Anna tanti boni,
Cedis maledictioni,
Vetus lex quam statuit.

3. Tu pridem infructuosa
Cunctis eras odiosa
Tuis contribulibus,
Prole tandem fecundata
Es beata praedicata
Olim te spernentibus.

4. Ergo natam deprecare,
Nos ut suo commendare
Nato velit precibus;
Quod praestare tu dignare,
Bona cuncta qui creare
Scis et vales omnibus.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Graecen. 1548. A. — Cod. Graecen. (ol. Secovien.) 756 anni 1345. B. — In B ist das Lied als Interpolation des Ite missa est verwertet.

195. De sancta Anna.

1. Ave, genitricis
Dei mater Anna,
Pro nomenclatura
Coeli donis plena.

2. Sumens pias preces
Devotorum ore,
Funda nos in pace
Pulsis morbis Adae.

3. Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

4. Monstra te esse matrem,
Sumat per te precem
Prolis tuae natus,
Agnus immolatus.

5. Vere singularis
Mater nominaris,
Nos culpis solutos
Prece fac robustos.

6. Vitam dein puram
Cuncti agamus una,
Ut videntes Jesum
Semper allaetemur.

7. Sit laus Deo patri.

Cod. Wernigeroden. Za 68. saec. 15.

196. De sancta Anna.

1. Assurgentes gratulentur
Coeli cives curiae,
Collaudantes reverentur
Sanctam Annam hodie,
Cujus festo collaetentur
Omnes Sion filiae.

2. Summo Deo jubilemus
Laudum in praeconio,
Sanctam Annam praedicemus,
Largam patrocinio,
Confoveri esultemus
Piae matris suffragio.

3. Anna sancta oriunda
Magnis natalitiis,
Nata mundo laetabunda
Spiritus deliciis
Et virtutibus fecunda
Carnis ex primitiis.

4. Ecce, lucent inconfusa
Trinitatis opera,
Sancta Anna dum conclusa
Trina parit copula,
Terra, pontus, astra, mundus
Qua gaudent per saecula.

5. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Qui conregnat in trophaeo
Patri potentissimo,
Agnus morte, surgens leo
In spiritu fortissimo.

Brev. ms. Quedlinburgense saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 132. A. — Brev. ms. Quedlinburgense saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 140. B. — 2, 3 Annam praecidemus AB. — 4, 4 paret AB.

197. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Nocti succedit lucifer,
Quem mox aurora sequitur,
Solis ortum praenuntians
Mundum lustrantis lumine.

2. Christus sol est justitiae,
Aurora mater gratiae,
Quam lucens Anna praevenis
Legis propellens tenebras.

3. Anna, radix uberrima,
Arbor tu salutifera,
Virgas producens triplices,
Septem onustas fructibus.

4. Matris Christi tu genitrix,
Christi tu felix avia,
Cum nato cumque filia
Nos adjuva te tertia.

5. Gignenti laus et genito,
Sacro simul spiraculo,
Nostris, Deus, reatibus
Annae placare precibus.

Psalt. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Mazarin. 385 (221). A. — Diurn. ms. Gandavense saec. 15. ex. Cod. Mazarin. 370 (770). add. saec. 16. B. — Brev. Windesheimense imp. Schonhoviae 1499. C. — 1, 4 Mundum lustrans lumine B. — 2, 1 est sol C. — 2, 3 Anna lucens C. — 4, 2 Christi fehlt C.

198. De sancta Anna.

1. Ave, radix laetitiae,
Mortis tollens opprobrium,
Cujus fructus ecclesiae
Verae dat vitae praemium.

2. Et celebri laetitia
Congaudeat ecclesia,
Festum honore celebret,
Quod causam dat laetitiae.

3. Anna, fons mirae gratiae,
Plenam propinans gratiam,
Matrem misericordiae,
Nostram pellens miseriam.

4. Quam largam patrociniis
Sacra colit ecclesia,
Ut ejus beneficiis
Crescat ad coeli gaudia.

5. Trino Deo et simplici
Laudes canat ecclesia,
Qui virtute multiplici
Annae fulsit in gloria.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 51. — 2, 3 honore celebit. — 2, 4 Qui causam. — 5, 4 Annae fulcit gloriae.

199. De sancta Anna.

1. Ave, felix mater [Anna],
Quae cum Joachim es contempta
Atque a Ruben despecta,
Quia semen non relinqueres.

2. Plorans plorasti quam amare,
Supplices ad coelum fundens
Preces et ais: benedic me
Et fecundam fac, o Deus.

3. Mox ut tristis sic oraveras,
Adstat te coram angelus,
Respexit, inquit, Dominus
Precem tuam et te fecundat.

4. Ut sis mater orbis beata,
Inter nuptas benedicta,
Nuntio prolem [benedictam]
Nasciturum ex te, Mariam.

5. Gavisi sunt et confirmati
Angelico eloquio
Joachim et Anna, clamantes:
Benedictus sit Deus verus.

6. Te ergo matrem collaudamus
Dignam, quae mundo ederes
Prolem, quae virgo pareret
Jesum, qui cruce nos salvavit.

7. Laus tibi, Jesu benedicte,
Matri tuae decus summum,
Aviae Annae gloria
Celebris sit nunc et perpetim.

Antiph. ms. S. Cuniberti Colonien. s. n. saec. 16. — 1, 3 Ac a Ruben. — 1, 4 relinquereris.

200. De sancta Anna.

Ad Vesp. et Noct.

1. Coeli decor inclinatur,
Annae venter irrigatur,
Ejus caro dum paratur
Pro thalamo gratiae.

2. Basis virtutum jacitur,
Anna mater dum salutatur,
Gratiae stirps erigitur,
Maria cum paritur.

3. Scala gloriae panditur,
Templum Annae dum aperitur,
Virginis arca cernitur,
Salvator cum gignitur.

4. Parvi fontis irriguum
Jam redundatur in altum,
Dum mystica suavitas
Dedit matri filium.

5. O Joachim conjux, plaude,
Avia filii Mariae,
In tuo Christo nepote
Te laudat orbis hodie.

6. Restis fidei carinae,
Mitis mater Anna Mariae,
Per te trahamur invite
Ad anchoram gratiae.

7. Annae proles benedicta,
In tuae matris gloria,
Veni, nobis propitia
Coeli ut dones gaudia.

Brev. ms. Strigoniense saec. 14. ex. Cod. Palat. Vindobonen. 1812. — Die zweite Zeile aller Strophen mit Ausnahme der ersten, vierten und siebenten hat eine Silbe mehr, die vierte Zeile aller Strophen mit Ausnahme der fünften und siebenten hat eine weniger. — 5, 1 fehlt eine Silbe; O ergänzt.

201. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Auroralis lux gignitur,
Ros lunaris jam funditur,
Dum Maria egreditur
Ex sanctae Annae utero.

2. Aurora parit radium,
Anna gignit Dei filium
Ex Maria, visceribus
Quam gestavit serilibus.

3. Oliva viret colore,
Vitis redolet odore,
Dum parit Anna Mariam,
Vitae labentis medicinam.

4. Virga florens Aaronica,
Maria, Annae filia,
Te decet laus et gloria
In tuae matris laetitia.

5. Eucharis mater, avia,
Tuis precibus implora,
Ut expiatos Maria
Nos collocet in gloria.

Brev. ms. Strigonense saec. 14. ex. Cod. Palat. Vindobon. 1812. — 2, 3 Ex Mariae. — 2, 4 Quam gestavit in seribus. — 5, 1 mater Anna. — 5, 3 Ut ex pii caris Maria.

202. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Anna, mater gratissima,
Deposcimus te coelibem,
Coelestis aulae vernulis
Quo perfruamur organis.

2. Salve, beata trinitas
Perenni manens gaudio,
Juva, creatrix unitas,
Regendo nos per saeculum.

3. Anna, tu nobis gaudia
Confer atque solatia,
Da cum beata filia
Tua virtutis gratiam.

4. Maria, Annae filia,
Auferto dira crimina,
Ut in beato gaudio
Conregnemus cum filio.

5. Gloria tibi, Domine.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 1, 1 Anna te gratissima. — 1, 2 Deposcimus coelibem. — 2, 4 Regens nos. — 3, 2 Confer et. — 3, 3 Tua cum beata. — 3, 4 Da virtutis. — 4, 2 Aufer. — 4, 4 Regnemus cum tuo filio.

203. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. O quam festa felicia
Quamque profusa gaudia,
Ubi mater ex filia
Anna Christo fit avia.

2. Ergo Deo sit gloria,
Sit gratiarum actio,
Qui nos Annae ex filia
Visitavit in filio.

Brev. ms. Praedicatorum saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Olomucen. I VIII 4. — 1, 4 sit avia. — 2, 4 ex filio. — Der Hymnus in 1. Vesp. desselben Offic. steht Anal. IV Nr. 125. Vielleicht bilden beide Hymnen ursprünglich nur einen, dessen 3. Strophe O quam festa felicia.

204. De sancto Ansberto.

1. Ansebertus, Christi haeres.
Fontanellae sinibus
Ob amorem paradisi
factus est discipulus.
Christi jugum quam suave
suis dans cervicibus.

2. Bonus pastor pavit oves
in praesulis vicibus,
Jacob scalae miro modo
ascendendo gradibus,
Veste vilis, cibi parcus,
humilis prae omnibus.

3. Celsus pontifex electus
Rotomensi populo,
Speculator illis factus,
Galliarum finibus
Gregem Christi custodivit
a luporum morsibus.

4. Dado sacer nuncupatus,
Audoenus nomine,
A praefata urbe migrans
cum perfecto opere,
Cui dignus Ansebertus
successit in dogmate.

5. Erat enim clemens doctor
plenus bonis actibus,
Ansebertus, verus pastor,
mansuetus moribus,
Verbum vitae praedicando
affabilis omnibus.

6. Fide firmus, ore fulgens
in legendi studio,
Ut Johannes Chrysostoma
olim in Byzanzio,
Datum de supernis donum
capiendi optimum.

7. Gloriosus praesul factus
Galliarum populis,
Hospitum, peregrinorum,
largos dator omnium,
Elemosynae studendo
sinus implens pauperum.

8. Hilaris erat in vultu
jucundusque facie,
Miserendo cunctis dabat
stipem hic egentibus
Orphanorum pater pius
acsi Job sanctissimus.

9. Jubar poli, illustratus
sancto quoque spiritu,
Gregem Christi informando
circuit parochias,
Dei verbum nuntiando
invitat ad praemia.

10. Kapax hagiographia
repletus per omnia,
Vetera novaque pandens
de thesauro optimo,
Veluti ut scriba doctus
coelorum basileo.

11. Largus dator, laetus semper,
luculenter tribuens
Animarum corporumque
abundanti pabulo,
Viduarum, orphanorum,
verus pastor omnium.

12. Mensa ejus patens erat
cunctis indigentibus,
Plures pauperes alebat
atque multos advenas,
Elemosynas utendo
inter ambas idumas.

13. Notus inter illas gentes
ut Elias Thesbites,
Ortum contra illum bellum
acsi ejus temporis,
Falsitate accusatus
in conspectu principis.

14. Ob invidiam expulsus
a Francorum principe
Velut Clemens dudum Roma
a Trajano Caesare,
Nullum adprobatus crimen
exsul factus patriae.

15. Plures Clemens salvat gentes
sacrosancto dogmate,
Et hic multos recto ducit
ad aethera tramite,
Verbis et exemplo docens
populo Sicambrico.

16. Quanti putas sub Clemente
salvi sunt in insula?
Multique et sub Ansberto
Belgica provincia,
Quos docendo ad aeterna
excitavit praemia.

17. Rapax illi damna hostis
missus est infligere,
Sed protector suo Christus
auxit lucra militi,
Adquisita sibi plebe
citra Sambrae flumina.

18. Suum jamque prope finem
prophetavit fratribus,
Quod rediret Fontanellam
consummatis omnibus,
Sicque carne resolutus
gaudet in coelestibus.

19. Tantus ille odor fratrum
repleverat naribus,
Acsi omnes paradisi
interessent floribus,
Quod nec lingua valet nostra
proferre in vocibus.

20. Vovit vivens, quod defunctus
adimplevit opere,
Suo sancto deportato,
quod praedixit, corpore,
Ipsiusque narrant gesta
ostensa miracula.

21. Ymnidica angelorum
agmina perfulgida
Coelestium nunc conjuncta
ejus sancta anima
Christo sine fine fruens
sempiterna gaudia.

22. Zona ejus circumcincti
caritatis vinculo,
Zelo spiritali pleni
diligamus proximum,
Ut ipsum aeternae vitae
mereamur socium.

Cod. Portus Gratiae (ol. Fontanellen.) 332 (A 34) saec. 9. — 8, 4 Egenti stipem. — 9, 4 circuivit parochia. — In Str. 21 scheinen die Worte verstellt: Hymnidica agmina sancta angelorum perfulgida coelestem nunc ejus conjuncta anima cum Christo sine fine fruens sempiterna gaudia Hs. Lies Hymnidico . . . agmini?

205. De s. Antonio Eremita.

1. Plaudat chorus coelestium,
Resultet orbs terrestrium,
Dum refert solis orbita
Antonii solemnia.

2. Qui annis puerilibus
Orbitatus parentibus
Elegit sequi Dominum,
A quo accepit centuplum.

3. Extemplo vox insonuit,
In qua Christus apparuit
Dicens: per mundi gloriam
Te nominare faciam.

4. O venerande polifex,
Pius nec tardus opifex
Cunctis, qui corde credulo
Te poscunt in periculo,

5. Confer vitae remedia,
Aufer carnis incendia,
Ut post ejus excidia
Tecum simus in gloria.

6. Praesta, pater piissime,
Jesu, cum sacro flamine
Ut Antonii precibus
Jungamur in coelestibus.

Psalt. ms. Sanblasianum saec. 15. Cod. Araugien. W 8. 8°. — 6, 4 Jungamur tuis in coelestibus.

206. De s. Antonio Eremita.

Ad Nocturnum.

1. Laudes promat Antonio
Fratrum coetus hic commorans,
Ejus immenso gaudio
Mores et actus memorans.

2. Pauper, purus et humilis,
Cunctis abjectis opibus
Aetate tener, fragilis
Procul cessit hominibus.

3. Hostis haec videns invidet,
Impugnat absque foedere,
Dum hunc in brevi praevidet,
Virtutum alta scandere.

4. Voces hostis exagerat
Verbis, minis, clamoribus,
Saevit, caedit et verberat
Multiplicatis hostibus.

5. Christus certamen conspicit
Et athletae constantiam,
Quae dum nec puncto deficit,
Triumphat ad victoriam.

6. Regi regum sit gloria,
Qui nobis in Antonio
Dat virtutis vestigia
Omni sequenda studio.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540.

207. De s. Antonio Eremita.

Ad Laudes.

1. Corda jungant adstantium
Laus et honor Antonii,
Sit vox concors laudantium,
Sint nunc amore socii.

2. Antonius pacificus,
Dulcis, mitis, tractabilis,
Et amore magnificus
Et omnibus amabilis.

3. Exemplo plures docuit,
Fama pertraxit plurimos,
Dum vivens signis claruit,
Ad dies venit ultimos.

4. Abscondi sub silentio
Corpus jubet, ut lateat,
Sed lucernam sub modio
Christus traxit, ut luceat.

5. Lucet quoque miraculis,
Adest se supplicantibus.
Nos apud Christum sedulis
Juvet orationibus.

6. Regi regum sit gloria,
Qui nobis in Antonio
Dat virtutis vestigia
Omni sequenda studio.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540.

208. De sancta Apollonia.

Ad Laudes.

1. Laetare, Sion inclita,
Domino solve cantica,
Aeterni patris filio,
Regi regum altissimo.

2. Apoloniam nobilem
In poenis qui immobilem
Fecit, fide doctissimam,
Carne, mente castissimam.

3. Nobilitatis genere
Spreto quae coepit vivere
More castorum virginum
Christum Jesum sequentium.

4. Vincens mundum, daemonia,
Carnem, tormenta varia,
Laeta pro Christo Domino
Se submisit hospitio.

5. Signorum ex frequentia
Ejus Christi clementia
Et a quo sunt utilia
Hominum plura milia.

6. Prece ejus et merito
Christus nos regno coelico
Servos dignos efficiat,
Vota nostra perficiat.

7. Alma quod praestet trinitas
Et indivisa unitas,
Cujus manet imperium
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. add. saec. 15. — 2, 4 In carne. — 5, 1 Lies: est frequentia?

209. De sancto Athelwoldo.

Ad Vesperas.

1. Inclitus pastor populique rector,
Cujus insignem colimus triumphum,
Nunc Adelwoldus sine fine laetus
Regnat in astris.

2. Qui pater noster fuit et magister,
Exhibens sacrae documenta vitae
Et Deo semper satagens placere
Corde benigno.

3. O diem sanctum, celebrem, coruscum,
Quem Dei nobis pietas sacravit,
Ut patri tanto mereamur almum
Promere cantum.

4. Nunc eum nisu rogitemus omnes,
Abluat nostrum pius ut reatum
Et sua sancta prece nos ad altum
Ducat Olympum.

5. Sit Deo soli decus et potestas,
Laus in excelsis honor et perennis,
Qui suis totum moderans gubernat
Legibus orbem.

Cod. Alenconien. (ol. S. Martini Sagien.) saec. 11/12.

210. De sancto Athelwoldo.

Ad Laudes.

1. Coeli senator inclite,
Sanctae pater ecclesiae,
O Adelwolde, supplices
Tuos exaudi servulos.

2. Jam sidus inter sidera
Resplendes super aethera,
Nobis benignus impetra
Paracliti charismata.

3. Pronis rogamus mentibus
Hic coram tuis artubus,
Nostris adesto precibus
Serenus ac propitius.

4. Ut tuis necessariis
Protecti patrociniis
Ad coelorum perpetua
Perveniamus gaudia.

5. Praestet nobis ingenitus
Hoc atque unigenitus,
Sanctus amborum spiritus,
Trinus et unus Dominus.

Cod. Alenconien. (ol. S. Martini Sagien.) saec. 11/12. — 1, 3 fehlt eine Silbe; O ergänzt.

211. De sancto Auctore.

Ad Nocturnum.

1. Ave, pastorale
Decus confessorum,
Auctor, speciale
Fundamentum morum.

2. Qui auctorizaris
Nominis ex glosa,
Nam Auctor vocaris,
Tu auctorum rosa.

3. Ave, serve Dei,
Praesul Treverorum,
Sidus nostrae spei,
Gemma patronorum.

4. Qui actu virtutis
Deo servivisti,
Quod auctor salutis
Fore meruisti.

5. Ave, civitatis
Hujus tutor fortis,
Signis admiratis
Nostris missis portis.

6. Qui ductu matronae
Quaerebas nostrates,
Cur tibi, patrone,
Plebs concinit grates.

7. Ave nostri templi
Salus gloriosa,
Boni flos exempli
Spesque copiosa.

8. Qui reliquiarum,
Postquam decessisti,
Munere tuarum
Hic nos ditavisti.

9. Autor, fautor horum
Tu fore dignare,
Laudes capis quorum
Hymno vocis clarae.

10. Summae trinitati
Laus sit hymnis dignis
Ex Auctoris grati
Meritis et signis.

Psalt. et hymn. ms. S. Aegidii Brunsvicen. saec. 15. Cod. Gotingen. Theol. 219. (Im Katalog irrig als Riddagshausener bezeichnet) — 2, 1 Qui ac auctorizaris. — 2, 3 Nam ergänzt. — 6, 2 Quaerebas nostras. — 6, 4 Ples concinet. — 8, 3 Munere hic tuarum. — 10, 3 gratis.

212. De s. Augustino Lucerino.

Ad Vesperas.

1. Aeternae regi gloriae
Devota laudum cantica
Fideles solvant hodie
Pro Augustini gloria.

2. Praedicatorum ordinis
Praesul namque almificus,
Mundi jam fulgens terminis,
Civis effectus coelicus.

3. Carnis liber ergastulo
Poli potitur gloria,
Pontificali cingulo,
Stola dotatur regia.

4. Fragrans odor de tumulo
Cum gestorum frequentia
Clamat pro Christi famulo
Alti regis magnalia.

5. Nitamur totis viribus,
Nectamus preces precibus,
Ut Augustini meritis
Coeli fruamur praemiis.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu, cum sancto flamine,
Ut Augustini precibus
Coeli jungamur civibus.

S. Ferrarius, De rebus Hungaricae provinciae ordinis praedicatorum, Viennae 1637, p. 130 sq. — Das Officium zu recitieren genehmigte Johannes XXII.

213. De s. Augustino Lucerino.

Ad Matutinum.

1. Christe, salvator omnium;
Rector, spes atque praemium
Exaudi vota cordium
Pro sancto, gemma praesulum.

2. Praesul in fide claruit
Malorum carens nebula,
Christo servire studuit
Sub paupertatis regula.

3. Corpus afflixit fortiter
In sudore multiplici,
Iter sectans humiliter
Sui patris Dominici.

4. Jesum Christum se induit,
Adorans, laudans extulit,
Mentem divinis imbuit,
Cuncta caduca respuit.

5. Laus sit parenti Domino,
Laudem canamus unico,
Laus sit amborum flamini
Per tempora laudabili.

S. Ferrarius l. c. p. 132.

214. De s. Augustino Lucerino.

Ad Laudes.

1. O venerande pontifex,
Augustine dulcissime,
Audi rogantes servulos
Quaerentes in periculo.

2. Aufer necis dispendia,
Confer vitae stipendia,
Quo post carnis exsilia
Tecum simus in gloria.

3. Te nostra sonant carmina
Et angelorum agmina,
Infernus tibi ululat,
Fretumque maris intonat.

4. O sidus maris fulgidum,
Absolve nexus criminum
Et fletus quoque supplicum
Immuta dando gaudium.

5. Laus sit parenti Domino.

S. Ferrarius l. c. p. 141.

215. De sancta Barbara.

Ad Nocturnum.

1. Hac in hora matutina
Rorem splendoris influe
Et in morte nos, regina,
Veste praeclara indue.

2. A palato qui stillavit,
Primi reatum corrige.
Qui in patres redundavit;
Rosa regnorum, porrige

3. Manum spei, ne mergamur
Et cum reis arguamur
Coram superno judice,
Quo res produntur indice.

4. Tibi decus, Jesu bone,
Laborantes qui coronae
Coeli decoras bravio
Mundi currentes stadio.

Brev. ms. Ord. Theutonici anni 1461. Cod. Arch. Ord. Vindobonen. 185. A. — Brev. ms. Diesense saec. 15. Cod. Monacen. 5694. B. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixien. s. n. C. — Brev. ms. Claustroburgense 1199. saec. 14. D. — Hymn. ms. cum commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV Q 81. E. — Brev. sec. notulam et ritum dominorum Theutonicorum imp. 1500. F. — 1, 2 Rorem lucis influe E. — 1, 3 Et fehlt E. — 1, 4 Tuae in festis imbue E. — 2, 1 quod stillavit ABCDE. — 2, 3 Quod in ABCDE: in partes D. — 2, 4 Rosas C; corrige D. — 3, 2 Tu supplex ora hodie D. — 3, 3 Ne cum reis arguamur D. — 3, 4 Nam res ABCF; res prudenter AC; Coram superno judice D.

216. De sancta Barbara.

1. Festum nunc celebre virginis inclitae
Devotis mentibus et piis actibus
Convenit promere festivo tempore
Coelorum regi Domino.

2. Fenestram statuit, Deum qua coluit,
Captivae famulus virginis angelus
De coeli culmine advenit lumine
Reformans poenam gaudio.

3. Mamillas nobilis castique corporis
Abscidit impia gens absque venia
Nudamque reddidit, quam Deus condidit
Supernae stola gloriae.

4. Hinc pater filiam rapuit Barbaram,
Truncato capite quassatus fulmine
Pater jam periit, et virgo adiit
Felicem sinum Abrahae.

5. Oramus, Domine, conditor inclite,
Ut nos cum virgine simul et martyre
Barbara gloriam ducas ad coelicam
Peccati data venia.

6. Praesta hoc, genitor optime maxime,
Hoc tu, nate Dei et bone spiritus,
Regnans perpetuo fulgida trinitas
Per cuncta pie saecula.

Antiph. ms. Calcariense saec. 14. Cod. Calcarien. s. n. A. — Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. B. — Str. 4 und 5 umgestellt AB.

217. De sancta Barbara.

Ad Vesp. et Noct.

1. Fidelis Christi Barbara,
Nobis implores gratiam,
Per quam vitemus tartara
Adipiscentes gloriam.

2. Tu speciosa corpore,
In alta turri posita,
Nos tuo muni robore
Ob tuae vitae merita.

3. In trinitatis nomine
Tu tres fenestras praecipis,
Tibi cedente silice
Crucis figuram imprimis.

4. Petra praebente semitam
Captam pater exspoliat,
Deitatis essentiam
Ob hoc quod sibi nuntiat.

5. Per te, beata Barbara,
Ignis vitemus tartara
Et perfruamur gloria
In saeculorum saecula.

Brev. Romanum imp. Venetiis (G. de Gregoriis) 1521. — 3, 1 Qui trinitatis nomine.

218. De sancto Bartholomaeo.

Ad Laudes.

1. Chorus iste gratuletur
In patroni solemniis,
Hymnus laudis decantetur
In ipsius praeconiis.

2. Indis nova lux oritur
Apostoli praesentia,
Astaroth vinctus redditur,
Cessat Berith fallacia.

3. Regis sanatur filia,
Daemon confringit idola,
Rex baptismi mysteria
Sumit, plebs fit Christicola.

4. Regis Astrahis jussibus
Caput justi praeciditur,
Ab angelis cum laudibus
Ad paradisum vehitur.

5. Hunc patronum attollamus
Offerentes servitia,
Ut adesse sentiamus
Ejusdem patrocinia.

6. Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
Laus, honor, jubilatio
Nunc sit et in perpetuum.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 4, 1 Sonst meist Astriges, Astryages (Astyages). — 6, 2 Una ergänzt. — 6, 3 Laus et honor et.

219. De sancto Bartholomaeo.

1. Laude concordes celebremus omnes
Hanc diem festam Domino sacratam
Judici saecli sub honor sancti
Bartholomaei.

2. Ultimae regem simul iste plebem
Indiae Christo retulit magistro,
Sedulis signis adhibens benignis
Dogma salutis.

3. Ex Astryagis feritate regis
Promptus ob Christum jugulatus ipsum,
Victor in regnum subiit supremum
Laetus in aevum.

4. Hujus oratu redimi reatu
Nos pius donet Deus et coronet
Actibus justis societque turmis
Aethere sanctis.

5. Praestet hoc nobis pater, auctor orbis,
Cum suo nato pariterque sancto
Spiritu trinus Deus, atque unus
Tempore cuncto.

Brev. ms. Monacen. 26681. saec. 15. — 1, 2 festam fehlt. — 2, 1 Ultimo. — 3, 1 mastris statt Astryagis Hs. — 5, 3 Spiritui sancto trinus et unus Hs.

220. De sancto Bavone.

1. Audite, Christi milites,
Voces ovantum concite,
Laeto canentes agmine
Sancti Bavonis gloriam.

2. Beata mater filii
Et prolis electae Dei,
Gavisa partu praecluem
Effudit orbi militem.

3. Coepit sinistri tramitis
Dexter superni principis
Tiro reversus lubrica
Ire relictum devia.

4. Dum subdidit collum jugo
Suave terendum coelico,
Potenter haec insignia
Effecerat miracula:

5. Erat sibi contrarius
Quidam loquela subdolus,
Qui morte punitus fera
Est voce surrectus sua.

6. Fit fletus et fletu pium
Cernentibus hunc gaudium,
Quam concite miles Dei
Leges resolvit inferi.

7. Gaude, patroni portatrix
Augusta tellus corporis,
Quae cella sanctis artubus
Eras, quies et nunc suus.

8. Hujus precatus sedulus.
Coram Deo tam vividus,
Fictum maligni spiritus
Pellebat in serpentibus.

9. Unum Deum, quem colimus
Et toto corde quaerimus,
Illi sit virtus et honor
Et gratiarum actio.

10. Xristianae qui fidei
Aemulatori Bavoni
Claritatem concesserat
Cum angelis perpetuam.

11. Ymnum pro nobis dic Deo,
Esto nostri memor, Bavo,
Optando salutem nobis
Simul et indulgentiam.

12. Zelator ut fortis Deus
Muniat nos ab hostibus
Detque praesens solatium
Et summae lucis bravium.

Psalt. c. hymn. ms. S. Bavonis saec. 15. Cod. Gandaven. 73 (16). — Leider fehlen diesem alten Abcdarius, dem ich anderwärts nicht wieder begegnet bin, 11 Strophen, **I** bis **T** einschliefslich, weil in der Genter Hs. ein Blatt ausgeschnitten ist. Von der neunten Strophe sind nur die Anfangsworte: „Idem reclusus saeculo Loqui“ vorhanden, von der neunzehnten (**T**) der Schlufs: suis subjugat Orbem potenter legibus. — 1, 2 ovantum consides. — 3, 4 Iri. — Nach Str. 6 Divisio; der ganze Abcdarius war also in mehrere, wahrscheinlich 3 Hymnen abgeteilt.

221. De sancto Benedicto.

Ad Tertiam.

1. Benedictus verus testis,
In terris homo coelestis,
Vita fulgens angelica,
Intrans in regna coelica.

2. Benedictus, justitia
Atque misericordia
Conformis hic perfectius
Beatis confessoribus.

3. Benedictus munditiam
Habens per temperantiam,
Jam in coetu virgineo
Felix est ejus mansio.

4. Benedictus supernorum
Lucet in turba civium,
In thalamo aethereo
Refulgens vultu praeclaro.

5. Benedicte, hoc implora,
Ut nos Christus in hac hora
Salvet et nos vultu suo
Laetificet perpetuo.

6. Benedicte, dux inclite,
Laudes sume nostrae prosae,
Nos invocantes respice,
O patrone gloriose.

7. Benedictus sis in polo,
Qui sedes in summo throno,
Tibi sit laus ac gloria
In sempiterna saecula.

Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163. saec. 15. ex.

222. De sancto Benedicto.

Ad Vesperas.

1. Benedictus in Domino
Migravit vultu sereno
Ad te jam gloriosior,
Jesu, corona celsior.

2. E Nursia progenitus
Claris est ex parentibus,
Proles perfectae indolis
Par fit sanctorum meritis.

3. Nil scire duxit commodum,
Nisi crucis mysterium,
Ut te sequatur, Domine,
Lucis creator optime.

4. Ex ipsa pueritia
Spiritali militia
Gerens te corde senili,
Jesu, salvator saeculi.

5. Disciplinis scholaribus
Est Romae puer traditus,
Ubi studebat sedule
Mysterium ecclesiae.

6. Iste fidelis serviens,
Deo placere cupiens,
Modestus et laudabilis,
Amore Christi nobilis.

7. Confessor Dei inclitus,
Omni virtute praeditus,
Elevatur in gaudio,
Hymnum dicamus Domino.

8. Transeamus ad Dominum
Per te ducem clarissimum,
Ut te possimus visere,
Jesu Christe, auctor vitae.

9. Uerus est hic christicola,
Cui mater ecclesia
Promit meli dulcedinem,
Urbs beata Jerusalem.

10. Sit tibi laus et gloria,
Qui das in coeli curia
Post hujus vitae stadia
Aeterna Christi munera.

Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163 saec. 15. ex. — 3, 2 Nisi curis. — 5, 3 studebat Deo sedulus. — 9, 4 Et urbs beata. — Da die letzten Zeilen jeder Strophe Anfänge anderer Hymnen sind, dürfte dies auch mit 2, 4 der Fall sein, obschon mir ein Lied dieses Anfangs nicht bekannt ist.

223. De sancto Benedicto.

Ad Completorium.

1. Benedictus sanctissimus,
Omni virtute praeclarus,
Tibi sancta theotocos
Conregnat apud superos.

2. Benedictus, sublimibus
Angelicis ordinibus
Non impar in mysterio,
His consors vultu vario.

3. Benedictus, consimilis
Fide sanctis patriarchis,
Contemplando limpidius
Adstat ipsorum coetibus.

4. Benedictus, par prophetis,
Adest eorum cuneis,
Spe atque re perfruitur,
Quo nil dulcius gustatur.

5. Benedictus, apostolis
Caritate coaequalis,
Nunc bibit mustum fervidum
Immemor praeteritorum.

6. Benedictus, doctoribus
Sapientia consertus,
Informans ad subtilia
Subditos et utilia.

7. Benedictus, martyribus
Compar in passionibus,
Patiens in injuriis,
Sodalis est in gaudiis.

8. Benedictus sis in polo,
Qui sedes in summo throno.
Tibi sit laus ac gloria
In sempiterna saecula.

Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163. saec. 15. ex. — 4, 4 gestatur. — 8, 3 laus et gaudium ac gloria. — Diese drei Hymnen auf den hl. Benedict scheinen von demselben Verfasser zu sein wie die Lieder Analecta IV, Nr. 195 und 196, die auch in dieser Hs. stehen und alle das Akrostich Benedictus zeigen.

224. De sancto Benedicto.

1. Grex tuus, o Benedicte, tibi
Corde quod occinit ex humili,
Carmen, amate pater, capito,
Sedulus offer et ipse Deo.

2. Cui mage luce sub hac celebri
Munia solvimus hymnologi,
Qua voluit revocare sibi
Te, venerabile plasma sui.

3. Gratia quem quoque theorica
Irradians face regminea,
Praetulit omnibus orbicolis,
Ut via plena foret radiis.

4. Aequiperas meritum Moysi,
Cum gregis annueres oneri,
Eliciens prece nocticana
Ex silicis laticem cavea.

5. Compos Helisaicae fidei,
Compatiens lacrimisque Gothi,
Gurgitis eximii scatebris
Manubrio calibem revehis.

6. Juris apostolici meritis
Justitiae es socius parilis,
Restituens animas precibus
Tabifluis nece corporibus.

7. Inclita doxa patri ingenito
Ejus et ex deitate sato
Spirituique pari Domino
Gloria tempore perpetuo.

Hymn. ms. Fredeslariensis saec. 11. ex. Cod. Casselan. Ms. Theol. IV. 25.

225. De sancto Benedicto.

1. Festa praesentis celebret diei
Mente devota populus fidelis,
Quam sacris ornat meritis beatus
Vir Benedictus.

2. Vixit in mundo reprobando mundum,
Celsior mundo superae gerendo
Fervido vitae meditationem
Pectore jugem.

3. Signa virtutis operum potentum
Densitas paudit, quis in ejus aula
Cordis arcana residens gerebat
Abdita sacra.

4. Asperos fortis superat labores,
Justa sectatur, tumidos honores
Spernit et pravos premit appetitus
Cuncta scienter.

5. Daemones pellit retegitque corda,
Res et absentes videt et futuras,
Membra languentum redeunt saluti,
Mortua vitae.

6. Panditur mundus simul omnis illi,
Visque naturae violenta cedit,
Spiritus justos hominum petentes
Sidera cernit.

7. Praebet in somnis documenta mire,
Vincla tortoris vacuat videndo,
Fallitur fallax vetus anguis illum
Fallere temptans.

8. Fractus humani generis videndo
Hostis immanis gemit et dolendo,
Invide frendens quaeritur coactus
De Benedicto.

9. Poscimus, victor Benedicte felix,
Ut triumphanti tibi qui fideli
Mente congaudent, miseris beatus
Compatiaris.

10. Laus Deo, virtus, decus et potestas
Simplici semper pariterque trino,
Cuncta qui portat, superat, gubernat,
Claudit et implet.

Brev. ms. Lirense saec. 13. in. Cod. Ebroicen. 122. A. — Psalt. ms. Cantuariense saec. 14. in. Cod. Oxonien. Ashmol. 1525. B. — Psalt. ms. Lirense saec. 14. in. Cod. Londinen. Add. 16975. C. — Psalt. ms. Croylandense (?) saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Lambethan. 563. D. — Brev. ms. Lirense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Ebroicen. 123. E. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Capit. Patavini 734. F. — Psalt. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Lambethan. 558. G. — 3, 1 potenter F. — 3, 2 pandunt AE. — 6, 2 Nisum naturae F; cedis A. — 8, 3 Invite A. — Nach Str. 5 Divisio.

226. In Translatione s. Benedicti.

1. Concordemus cordibus,
Ut concordis cantibus
Cantemus ad debitum
Benedicti meritum.

2. Qui Dei providentia
Ex Nursiae provincia
Ortus a natalibus
Est liberioribus.

3. Hic a pueritia
Non sectabatur otia,
Sed Dei servitio
Se dedit ab initio:

4. Vixit sub abstinentia
In magna patientia
Nullisque sextis feriis
Pascebatur materiis.

5. Mundum fugit, sed eremum
Affectavit et habitum
Durum, quo coeli Domino
Deserviat altissimo.

6. Te ergo, Christi presbyter,
Rogamus, ut viriliter
Fundas pro hoc collegio
Tuas nunc preces Domino.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503.

227. De sancto Bernhardo.

1. Salvatoris ad honorem
Gloriosum confessorem
Collaudemus Bernardum,
Cujus vita plena signis,
Sancta fuit et insignis,
Fragrans plus quam lilium.

2. Hic confessor gloriosus,
Super omnes gratiosus,
Mitis, verax, humilis,
Corde purus, carne castus,
Cunctos prorsus sprevit fastus
Hujus mundi labilis.

3. Dum in mundo vixit isto,
Deservivit semper Christo
Carnem domans propriam,
Jesum laudans et Mariam,
Genitricem ejus piam,
Signans plenam gratiam.

4. Nunc in coelo sublimatus
Morbos curat exoratus
Plebis suae jugiter,
Pia vota supplicantum
Et devote se laudantum
Implet efficaciter.

5. Locum istum visitare
Veni cito, pater care,
Noli moram facere,
Ros coelestis hic descendat,
Ne quis ibi te offendat
Mente, verbis, opere.

6. O Bernharde, confessorum
Flos et decus monachorum,
Nos a malis libera,
Munda nos sic a peccatis,
Ut in coelo cum beatis
Jungamur post funera.

Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163. saec. 15. — Der Reim zwischen 1, 3 und 1, 6 zeigt an, dafs der Hymnus ursprünglich nicht auf Bernhardus, sondern auf einen anderen Heiligen verfafst ist.

228. De sancto Bernhardo.

Ad Tertiam.

1. Psallat laudes creatoris
Intus mens et lingua foris,
In hoc festo patris sancti,
Cujus nardus valet tanti
Regis in accubitu,

2. Ut illecta hoc odere
Sponsa currat cum dulcore
In amplexus sponsi sui,
Concupitis quaerens frui
Osculis pro libitu.

3. Haec est illa bona nardus,
De qua dictus est Bernardus
Pater noster, in hac vita
Humilis, sed fervens ita,
Ut instar nardi habeat.

4. Vere ergo hic est aptus
Nunc in pulverem redactus,
Ut quasi virgula fumi
Ex aromatibus dum
Ascendens redoleat.

5. Pater, miris redimitus
Coeli donis et fulcitus,
Te commenta magni pendunt,
Quae scripsisti, et rependunt
Dona septenaria.

6. Natum, quem vidisti clare
Matrem pie contrectare,
Nobis posce fore gratum
Suo regno adunatum
Per optata bravia.

7. Spiritum, quem noster frater
Pignus dedit, summe pater,
Redime, ut nos post mortem
In haereditatis sortem
Admittas per saecula.

Psalt. ms. Veteris Montis saec. 13. Cod. Dusseldorpin. C 58. add. saec. 14. A. — Noct. ms. Cistercien. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2880. B. — Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163. saec. 15. ex. C. — Diurn. ms. Kirchheimense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. 8° 18. D. — 2, 1 electa D. — 2 2, currit A. — 3, 4 et fervens C. — 3, 5 Instar nardi possidet C. — 4, 3 Quasi spirans virga fumi C. — 4, 5 Ascendens sic redolet. — Str. 4 u. 6 fehlen ABD, von denen AB hier Strophe 1—4, D nur Str. 1 und 2 des folgenden Hymnus einschieben. — 7, 4 Admittamur AB; in C ist die ganze Doxologie verändert, wie folgt:

Spiritusque noster frater
Adornatus, summe pater,
Tua proles, nos post mortem
In haereditatis sortem
Adjungat per saecula.

229. De sancto Bernhardo.

Ad Completorium.

1. Surge modo, sponsa Christi,
Et votis jungere isti,
Ut te odor dulcifluus
Trahat, ubi sponsus tuus
Cubat in meridie.

2. Lecto, quem Bernardus stravit
Floribusque adornavit.
In amplexus dulces ruas,
Sponsi delicias suas
Communicans tota die.

3. O Bernarde, pater dulcis,
Qui nos his floribus fulcis,
Esto nobis in hac via
Dux ac propugnator, quia
Multa sunt obstacula.

4. Ne currentes offendamus.
Sed securi maneamus
Super dilectum innixi,
Ut de ligno crucifixi
Nobis sint umbracula.

5. Nunc coelorum cives plaudent
Et feliciter congaudent,
Agni coenam commensalem
Hunc videntes et sodalem
Dulci contubernio.

6. Favent illi sceptro Dei
Et consortes adstant ei,
Supernorum hymnos dantes,
His se invicem hortantes,
O quam grandi praemio.

7. Spiritum, quem noster frater.

Psalt. ms. Veteris Montis saec. 13. Cod. Dusseldorpin. C 58. add. saec. 14. A. — Noct. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2880. B. — Cod. Guelfenbyteran. (ol. Cistercien.) H. 1163. saec. 15. ex. C. — Diurn. ms. Kirchheimense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. 8° 18. D. — AB haben nur die vier, D hat nur die zwei ersten Strophen und zwar als Teil des vorhergehenden Hymnus. — 1, 2 Opem vatis promisisti C. — 1, 3 Ut nos C. — 2, 1 In lecto ABD. — 2, 4 Sponsi gazas atque tuas C. — 1, 5 Tribuas quotidie C. — 3, 2 nos scriptis pulchre fulcis C. — 3, 4 Propugnator et dux C. — 4, 1 Nos currentes ostendamus A. — 4, 3 Ad dilectum sic innixi C. — 4, 4 Et de AB.

230. De sancto Bernhardo.

1. Dum coelestis figulus,
Ut suis fidelibus
Nectar propinaret
Et ornatum moribus
Igne sancti spiritus
Sibi vas dotaret,

2. Electus ex milibus
Bernhardus fidelibus
Dignus reperitur,
Et ut aurum obrizum
Ex virtute rutilum
Patris expolitur.

3. Qui de loco gloriae
Per fluenta gratiae
Coelitus repletur,
Ut mores fidelium
Reformet ad pristinum,
Morsque relevetur.

4. Hic pluit virtutibus,
Coruscat miraculis
Divae majestatis,
Scriptis et sermonibus
Ex rivis coelestibus
Sibi distillatis.

5. O misericordia
Patris et potentia,
O virtus divina,
Ut de vase luteo
Velut ab empyreo
Stillat medicina.

6. Talis a Christicolis
Et veris coelicolis
Digne veneratur,
Qui inaestimabilis
Vultum pulchritudinis
Digne contemplatur.

7. Ergo, pater inclite,
Preces nostras suscipe,
Ut te veneremur,
Digne cum angelicis
Choris et virgineis
Tecum colletemur.

Hymn. ms. Emmeramen. saec. 15. Clm. Monacen. 14667. — 3, 4 Ut moribus. — 3, 5 Plurimum ad pristinum, offenbar verschrieben.

231. De sancto Besso.

Ad Vesperas.

1. Martyrem Christi veneremur omnes
Ejus devoti gesta recolentes,
Aegri resultent martyri benigno
Vota solventes.

2. Psallat caterva clericorum laeta,
Plebsque fidelis animo sereno
Bessi sacrata celebret solemnis
Annua festa.

3. Dei athleta, tibi famulantes
Refove servos miseratus omnes,
Maxime tamen hos, qui te frequentant,
Hipporienses.

4. Vulnera tergat vitiorum nostra,
Martyr insignis, potens virtus tua,
Quae languidorum pie reformavit
Corpora multa.

5. Cernua Deum flagitemus prece,
Meritis tuis mala cuncta tolle,
Qui laureatus bravium coelestis
Possides aulae.

6. Simplici Deo pariterque trino,
Patri ac nato neumatique sacro,
Militem suum qui sic muneravit,
Laus sit in aevo.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9. — 2, 2 fidelis suo sereno. — 3, 1 Dierum athleta. — 3, 2 Refove nos miseratus. — 5, 1 Cernua Dominum. — Die Abschrift dieses sowie der folgenden zwei Hymnen danke ich der Güte des Hochwürdigen Herrn P. Fedele Savio S. J.

232. De sancto Besso.

Ad Matutinum.

1. Christe, salvator hominum,
Perpes corona martyrum,
Tuis faveto famulis
Precatu tanti martyris.

2. En, sanctus mirabilia
Bessus patravit plurima,
Pio in cujus nomine
Languentes gaudent hodie.

3. Morbos excludit corporum,
Vires consternit daemonum,
Salutem praestans miseris
Criminum peste sauciis.

4. Periculorum subitis
Vocatus in angustiis
Adjutor est eximius
Virtute data coelitus.

5. Nos ergo, martyr inclite,
Christo commenda jugiter
In tuo natalitio
Qui gratulamur annuo.

6. Ejus et modo laudibus
Plebem intentam tu pius
Conserva pestem dirimens,
Salutis dona conferens.

7. Virtus, honor et gloria
Summo sit regi sedula,
Qui martyrum victoria
Manet per cuncta saecula.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9.

233. De sancto Besso.

Ad Laudes.

1. Martyris hujus annua
Venerantes solemnia
Tibi devotos effice,
Sanctorum rex altissime.

2. Christicolarum precibus
Adsis quoque propitius,
Qui Besso martyri pio
Vota ferunt ex animo.

3. Nam vitiorum varias
Propulsat hic molestias,
Quibus gravantur animi
Caecorum inde perditi.

4. Suffragatur et sarcinis
Mortalium corporeis,
Dulci fomento recreans
Benignus atque reparans.

5. Virtutem tantam coelitus
Ei collatam credimus
Tua favente gratia
Magna ejus ob merita.

6. Cujus obtentu patriam
Redde nobis mellifluam,
Ubi beatus gaudio
Hic fruitur perpetuo.

7. Grates vero cum laudibus
Tibi, Christe, persolvimus,
In fide tua stabilem
Qui sic ditasti martyrem.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9.

234. De sancta Bilhilde.

In 1. Vesperis.

1. Optatus votis omnium
Adest dies fidelibus,
Quo Christus in imperium
Bilhildis transfert spiritum;
O amor, o sublimitas!

2. Ibi concentu dramatis
Et euphoniis melicis
Dat odas neumis lyricis
Ante thronum pantocratis,
O amor, Deus, deitas!

3. Cujus piis affectibus
Chorus concordat coelitus,
Obtineat, quod Dominus
Nostris parcat excessibus,
O amor, vincens omnia!

4. Trinitati sit gloria
In summa coeli curia
Quae patronam inclitam
Ad suam vexit gloriam,
O amor, amans omnia.

Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 16. Cod. Maguntin. 96. — 4, 3 Qui patronam Hs; lies vielleicht Quia patronam?

235. De sancta Bilhilde.

Ad Nocturnum.

1. Beata illa patria,
Ubi plena sunt gaudia,
Ubi gaudent felicia
Sanctorum contubernia.

2. Egressi cum victoria
Gloriantur in gloria,
Exempti a miseria
In pace stant perpetua.

3. Regni ludens in solio
Sancta gaudet communio,
Ubi pater in filio
Fulget ut sol in lilio.

4. Nostra ibi ex vasculo
Pleno bibit in poculo
Bilhildis, quod in saeculo
Sitivit, videt oculo.

5. Adest enim angelicus
Et ordo apostolicus,
Confessor cum martyribus,
Uterque cum virginibus.

6. Regis summi suavissimus
Cibat omnes intuitus,
Bilhildis hic prae omnibus
Refulget ut carbunculus.

7. Dum pausas hic, sanctissima,
Salutem poscas animae
Vide causam miseriae
Supplicantis familiae.

8. Et corporis et animae
Tota salva compagine
Dei simus essentiae
Participes et gloriae.

9. Summi patris hoc filius
Praestet atque paraclitus,
Cum quibus gaudet plenius
Bilhildis, Dei famula.

Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 16. Cod. Maguntin. 96. — Str. 6 u. ff. ad Completorium; dieselben sind aber augenscheinlich nur eine Divisio.

236. De sancta Bilhilde.

Ad Tertiam.

1. O rex benignae, Domine,
Virginum palma fulgida,
Audi, quas fundunt populi,
Preces precantes cernui.

2. Almae matris rutilat
Festa dies ac celebris,
Bilhildis sanctae, precibus
Cujus muniri petimus.

3. Cujus oratu supplices
Precamur atque humiles,
Pacem concede cordium,
Vitare labem criminum.

4. Mentem accendat caritas,
Igne flammescat animus,
Divino semper munere
Sic vigeamus perpetim.

5. Praestet hoc ipsa trinitas
Patris natique pariter,
Sanctus amborum spiritus
Cuncta gubernans saecula.

Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 16. Cod. Maguntin. 96. A. — Brev. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 16. Cod. Darmstadien. 2656. B. — De sancta Eugenia B. — 2, 1 Almae virginis rutilat B, was die richtige und ursprüngliche Lesart ist, aber auf Bilhild geändert werden mufste. — 2, 3 Eugeniae precibus B. — 3, 3 concedi B. — 4, 2 animos B.

237. De sancto Blasio.

Ad Vesperas.

1. Blasii. Christi martyris eximii,
Claret per orbem dies natalitii,
Qui triumphavit cum duobus pueris,
Quos in obscuro baptizatos carcere
Instruxit plene fidei mysteriis.

2. Mortis influxus expavescens Blasius,
Fidei suae cultor sagacissimus,
Argei montis subiit crepidinem,
Peragrans hujus vasti solitudinem,
Intravit specus tenebrosam requiem.

3. Ad dictum specum frequentabant bestiae,
Quae procumbentes consternata facie
Sanctum petebant sibi benedicere,
Nutu divino corvus alimoniae
Gratiam ferens pavit hunc assidue.

4. Agricolaus ad loca silvestria
Causa venandi direxit mancipia,
Ante speluncae Blasii latibulum
Ferarum cursus sistit fugientium,
Se sanctus offert oculis venantium.

5. Hoc ut audivit praeses impiissimus,
Ad se praecepit deferri celerius;
Ter ipsa nocte Dominus per somnium
Monuit suum praesulem sanctissimum,
Surgens offerret sibi sacrificium.

6. Carcere primum ligatur compedibus,
Jovem blasphemans caeditur cum fustibus,
Item suspendi jussus est equuleo,
Unguibus carpi, rupto carnis corio
Fidei manet robusta confessio.

7. Caesar iniquus exardescens furia
Jubet adiri laci praecipitia,
Ad collum ejus pondere marmoreo
Ligato sanctum dimittunt continuo,
Illaesus exit glaciali solio.

8. Genibus flexis pontifex magnanimus
Vibretur, infit, in cervicem gladius;
Sanguine fuso sociatur angelis.
Pellens adversa fac laetari prosperis,
Christus, rogantes prece tui martyris.

9. Martyrum regi decantemus gloriam,
Qui membris confert in terris victoriam,
Una cum patre sanctoque paraclito,
Sicut laus erat ei in principio,
Et nunc et semper sit atque perpetuo.

Offic. ms. S. Blasii saec. 15. in. Cod. Darmstadien. 1021. — 1, 2 Claruit. — 2, 5 specu. — 7, 5 exiit.

238. De sancto Blasio.

Ad Laudes.

1. Gloria, Deus, et corona martyrum
Sors, vita, salus, praemium, pax, gaudium,
Exaudi preces tibi supplicantium,
Inter procellas mundi fer auxilium,
Arce tyrannos, gregem fovens ovium.

2. Congratulantes celebremus annua
Martyris tui Blasii solemnia,
Qui deputavit vana mundi gaudia,
Pede conculcans cuncta transitoria
Diversa sprevit tyranni supplicia.

3. Hunc subsequentes sanctae septem feminae,
Se Christianas conclamantes strenue,
Martyrizatae Jesu Christi nomine
Possident coeli lauream victoriae.

4. Capite caesus pontifex eximius,
Coelum exsultans contemplatur plenius,
Pro quo contempsit, quidquid est inferius,
Resurgit fine mundi gloriosius,
Judex sedebit cum contribunalibus.

5. Praesul insignis, martyr sacratissime,
Pro tuis ora famulis assidue,
Qui tua colunt festa devotissime,
Lapsis fer opem, pacis hostes amove,
Nostrorum sordes peccatorum ablue.

6. Sit trinitati coaequalis gloria,
Qui solus Deus ante cuncta saecula,
Trina majestas et una substantia,
Deitas una, potestas, essentia,
Laus, honor, virtus, salus et victoria.

Offic. ms. S. Blasii saec. 15. in. Cod. Darmstadien. 1021. — 1, 1 et honor corona. — Str. 3 fehlt eine Zeile. — 6, 2 cuncta ergänzt.

239. De sancto Blasio.

1. Concordis sexus Blasii uterque
Plebis in festo vocibus psallendo
Concurrat sancti martyris, patronum
Quem dedit Christus.

2. Omnia Dei strenue calcando
Saeculi hujus blandimenta vana,
Palam confundens judicem virtute
Agricolaum,

3. Non pavet minas, vincitur nec blandis,
Resistit usque agonista fortis,
In se reportat sententiam nequam
Cruentae mortis.

4. Regi coelorum spiritum commendans,
Dat corpus terrae libens moriturus,
Laetus abscessit, debitum naturae
Sic exsolvendo.

5. Ascendit primum praesidis ad votum
Laci profunda intrepidus multum,
Apparet unda sancto solidata
Terra calcanti.

6. Dehinc vocavit idola colentes,
Praesto sedere, secum ut adstantes
Probent suorum falsamque deorum
Fore virtutem.

7. Viri tunc quoque fanis confidentes
Intrant protervi sexaginta quinque,
Capit demersos abyssi profundum
Opere Dei.

8. Suscipe vota supplicum tuorum,
Per te jam culpis veniam da nobis,
Ut tibi, Christe, jugiter vivamus
Gaudio perenni.

Brev. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 145. — 2, 1 Dei gehört jedenfalls zu virtute 2, 3. — 6, 3 Probentque.

240. De sancto Blasio.

1. Praesul, insignis pietate multa,
Martyrum Christi decus atque splendor,
Inter et primos venerande sanctos,
Inclite Blasi.

2. Tu velut sidus radians potenter
Plebis errantis tenebras fugasti,
Dogmatis sacri jubar, ecce, spargens,
Inclite Blasi.

3. Inter electos eremum colentes
Ut fores regni speculator almi,
Montis Argei latebras petisti,
Inclite Blasi.

4. Es frequens illic socius ferarum,
Irruunt ad te pariter volucres
Et tuam poscunt benedictionem,
Inclite Blasi.

5. Mira res dictu, renovatur in te,
Quod vetus quondam temerator Adam
Impio gustu tulit, ecce, nobis,
Inclite Blasi.

6. Inde torqueris scelerum ministris,
Sanguinem fundunt lacerata membra,
Perdit hinc vitam gladius cruentus,
Inclite Blasi.

7. Victor ad coelos gradieris triumphans,
Purpuras inter roseosque flores
Martyrum gaudes jubilo perenni,
Inclite Blasi.

8. Te novo Christus cumulans honore,
Ossibus sanctis generare praestat
Nobiles gemmas oculo vidente,
Inclite Blasi.

9. Gloriam patri genitoque summo,
Flatui sancto pariter duorum
Impetra nobis resonare semper,
Inclite Blasi.

Psalt ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. — Mel: Ut queant laxis.

241. De sancto Blasio.

1. Inclitus martyr Blasius,
Catervae Christi praevius,
Perhortans Christi populum,
Formidet ne martyrium.

2. Argei antrum tu quaerens,
Sanguinem orbis renuens,
Agrestes te conveniunt
Sanitateque fugiunt.

3. Nam fucis mens elata
Agricolai praesidis,
Ut ducatur athleta,
Larvatis jubet famulis.

4. Dum vehitur militibus,
Hujus turba convertitur
Sanctis monitionibus,
Per hunc videns, quod agitur.

5. Namque, reddatur ut puer,
Huic occurrit mulier,
Confestim hoc qui reddidit,
Quae Christum Deum credidit.

6. Sic Christum tu nos parcere
Fac, nos ut, sanctissime,
Coeli possimus libere
Regno potiri gloriae.

Brev. ms. Admontense 746 a. anni 1439. — 2, 1 Argens antrum. — 2, 3 Agreste te cum veniunt. — 2, 4 Sante teque fugiunt; lies vielleicht Sanitatemque capiunt? — 3, 1 mens illata; es fehlt eine Silbe; lies Namque? — 3, 3 ducatur ac leta; es fehlt ebenfalls eine Silbe; lies adducatur? — 5, 3 hoc quod; lies osque? — 5, 4 Quem Christus reddidit. — 6, 2 fehlt eine Silbe; lies vir sanctissime?

242. De sancto Blasio.

1. Viduae, Blasi, quia subvenisti,
Subveni nobis jugiter, precamur
Voce sonora humilique mente
Oratione.

2. Sebastae praesul, Domino favente
Sanasti osse puerum retento
Pisce comesto exorante matre
Gutture sui.

3. Gradiens stagnum veluti per solum
Hic insultaris sexaginta servis,
Sed lacus ipsos praecipitat omnes,
Te qui sequuntur.

4. Hoste prostrato praemium exspectas,
Precem oranti, veheris ad istud,
Afferens lumen retulit Olympis
Exauditionem.

5. Angelus, ecce, gloriose tibi,
Inquiens: exi, suscipe paratam
A Deo coronam, spectant immensum
Lumen, ut omnes
Admirarentur.

6. Adhuc excussor fante Christo tibi
Secuit caput corporis, columbae
Spiritus forma rapido volatu
Petiit astra.

7. Genitor verbi, genite, nos quoque,
Spiritus alme, famulo coelesti
Blasio choro deprecante nostri
Fine locemur.

Brev. ms. Admontense anni 1439. Cod. Admonten. 746 a. — 1, 1 qui subvenisti. — 2, 1 Bebastiae praesul. — 2, 2 Sanas. — 3, 3 ipsos percipit. — Str. 4 u. 5 sind hier umgestellt, weil dies der Sinn zu fordern schien. — 4, 1 Hostie prostrato praemium exspectat. — 4, 2 Lies veharis? — 4, 3 Olympitis. — 4, 4 Exauditam. — 5, 3 eine Silbe zu viel. — 5, 4 sq. Der Adonius doppelt, ohne dafs es gelänge, einen als überflüssig zu beseitigen. — 6, 1 excusar. — 6, 2 corporis cujus. — 6, 3 Sternuis forma. — 7, 3 chori.

243. De sancto Bonaventura.

Ad Vesperas.

1. Virtutum praemia suggerit aurea
Et sceptum floride carpit imagine
Perlustrans aethera flos innocentiae,
Francisci proles inclita.

2. Rivum munditiae Hales eximiae
Adae contagium nullum a femore
Ceuque comprendere et more coelibem
Grato testatus famine.

3. Grex alto pectore pollet divinitus,
Is ignem, mystica pandit et adita,
Cuique ingenii paris parit neminem,
Duos dum volvit spiritus.

4. En suxit dulcia pedibus dogmata
Jesu, dum oscula fixa multiplicat,
Cunctis praeeminens se aptat limpide
Seraphicis ardoribus.

5. Rex Christus luminis hunc claro provehi
Suavi tunc graditur, lux Thomas saeculi
Visere comparem fert gressum, cedite,
Sanctus sancto colloquitur.

6. O summa trinitas, supplices poscimus,
Juvari precibus Bonaventuraeque,
Crimina luere, abs te non possumus,
Ni tua dimicet dextera.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1506. B. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1512 C. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1531 D. — 1, 2 et fehlt C. — 1, 4 Francisce A. — 2, 2 a fehlt C. — 3, 1 pollet deditus C. — 3, 2 panditur C. — 3, 3 eine Silbe zu viel in allen Quellen. — 5, 3 Viscere C. — „In tono: Sacris solemniis“.

244. De sancto Bonaventura.

Ad Nocturnum.

1. Arborem celsus construit
Imbribus aether fecundis,
Semine jactoque puro
Parturit almus, en, ager.

2. Omnibus tener hanc humor
Frugibus stipat venustis,
Singuli carpunt amoena
Neque fastidiunt gustu.

3. En ramos late tam fortes
Brachia tendens ingentem
Sustinet umbram, ne aestus
Urat contusos moerore.

4. Jesus huic figitur dire,
Jesus pependit et sitit,
Jesus ob lacrimas orat
Patrem, exaudit latronem.

5. Vulnera liquit ob noxas,
Ac parens solatur alma,
Spiritum patri clamore
Valido reddit, exspirat.

6. Arbore sub hac quiescens
Fructus decerpsit suaves
Bonaventura, quos gustat
Patria, nos illuc ducat.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1506. B. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1512. C. — Brev. Romanum. imp. Venetiis 1531. D. — 1, 2 jactaque D. — 1, 4 est agert. C. — 2, 1 Quibus teneri C. — 3, 3 Sustinent C. — 5, 1 linquit obnoxias D; lies ulit? — 6, 2 descripsit ABCD. — „In tono: In coelesti collegio“.

245. De sancto Bonaventura.

Ad Laudes.

1. Sol clare fulget radio
Latebras fugans gentium,
Quas catholicarum gladio
Connectit miti mentium.

2. Alto innixus lumini
Prospicit iconismata,
Tartaris trucis flumini
Unitis fert charismata.

3. Tusa Graecorum pectora
Sacro reduxit flamine
Quique sprevere littora,
Christi quos emit sanguine.

4. Electus bona ventura
Miro gessit omine,
Funis laetetur cinctura
Plebs alto pressa nomine.

5. Felix tu gaude, Lugdunum,
Tanti patris praesentia,
Qui tibi trinum et unum
Sua monstrat clementia.

6. Tua nos, pater luminum,
Nate aeternae gloriae,
Paracliteque numinum,
Adjunge tuae gratiae.

Brev. Romanum imp. Venetiis 1513. — „Sub tono: Proles de coelo prodiit.“ — 1, 4 Connexit. — 6, 1 Qua nos pater.

246. De sancto Bonifatio.

1. Sinceros animos festa celebria
Ducunt in jubilum de nece martyrum,
Quos haec aula fovet pulchra sinu, coelum
Cingit luminis ambitu.

2. O clari proceres, digna polo manus,
Devotis famulis vos date prosperos
Vobis propitiis non manet ultio,
Nec judex feriet reos.

3. Da, verbi genitor, da, patris unice,
Da, qui te reclamant, sancte paraclite,
Gaudia continua supplicibus tuis
Per suffragia martyrum.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 pulchro. — 1, 4 Fehlen zwei Silben; cingit ergänzt. — 2, 2 fehlen zwei Silben; date ergänzt; prosperas. — Nach 1, 3 ist anzunehmen, dafs der Hymnus aus Fulda stamme; dann legt sich der Gedanke an Rhaban als Verfasser nahe.

247. De sancto Bonifatio.

Ad Vesperas.

1. Bonifatius est ortus
De Anglorum germine,
Educatus ex magnorum
nobili progenie,
Praedicator veritatis
et doctor ecclesiae.

2. Qui missus a Gregorio
ad terras Germaniae,
Praedicans nomen Domini,
novo lucens lumine,
His ostendens salutarem
fructum poenitentiae.

3. Hujus festum celebremus
hymno, cantu, jubilo,
Ut cum ipso conregnemus
in aeterno gaudio,
Ubi honor, virtus Deo
exstat sine termino.

Diurn. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 196. A. — Brev. Maguntinum imp. s. l. et. a. (1474). B. — Brev. Maguntinum imp. Bugduni 1507. C.

248. De sancto Bonifatio.

Ad Nocturnum.

1. Hinc conversa Germania,
Francia et Hassia,
Thuringia, Bavaria,
confirmandi gratia
Sanctus Frisones revisit,
quos conversos dimisit.

2. Quem hodie laureatum
pretioso sanguine,
Sociorum circumdatum
glorioso agmine,
Mittunt coelo coronatum
cum palma victoriae.

Diurn. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 196. A. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. B.

249. De sancto Bonifatio.

Ad Laudes.

1. Adsis nobis in agone,
venerande patrone,
Tua benedictione,
Bonifati o bone,
Ut tuae simus coronae
consortes et gloriae.

2. Praesta, pater ingenite,
et tu, unigenite,
Simul, alme paraclite,
consolator animae,
Quibus par laus et gloria
per aeterna saecula.

Diurn. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Capit Treviren. 196. A. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. B. — 1, 4 Bonifati bonet B. — Diese drei Hymnen auf Bonifatius scheinen ursprünglich nur einer zu sein, da sich Strophe 1 des zweiten an Strophe 2 des ersten anschliefst. Eine Schwierigkeit für die Zuzammenziehung in ein Lied bereitet nur Str. 3 des ersten Hymnus.

250. In Ordinatione s. Bonifatii.

1. Hymnizet omnis natio
Fidelis in tripudio,
Congaudens Bonifacio
Cum laudum Dei studio.

2. Quem Anglia produxerat,
Winfridum primo nomine,
Virtute cuncta luxerat
Qui te secutus, Domine.

3. Hic omni mundi labilis
Contempto delectamine
Quaesivit toto stabilis
Coelestia conamine.

4. Fidelis servus reditum
Qui Domini pensaverat,
Talentum sibi creditum
Cum lucro reportaverat.

5. Evangelizans Dominum
Per loca multa gentibus,
Infudit ejus hominum
Doctrinas sacras mentibus.

6. Sic verbum Dei seruit
Augendo fidem latius,
Quod inde juste meruit
Vocari Bonifacius.

7. Hinc suis cum consortibus
Mucronis ictu pungitur
Et coelicis cohortibus
Perenniter adjungitur.

8. O praesul venerabilis,
Deposce Dei filium,
Ut nobis sit placabilis
Hoc mundi post exsilium.

9. Sit Deo laus et gloria,
Qui mundos a reatibus
Nos post haec transitoria
Sanctorum jungat statibus.

Antiph. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 a A. — Brev. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 b B.

251. De sancta Brigida.

Ad Vesperas.

1. Ruinae coeli civium
Festinat restauratio,
Dum vocat ad convivium
Jesus, nostra redemptio.

2. Cum gratiarum copia
Datur in cibum caritas,
Qua justis sacra studia
Praestat beata trinitas.

3. Orant, laborant jugiter,
Ad summae pacis foedera
Scandunt, praegustant dulciter,
Aeterna Christi munera.

4. Sancta ferunt suspiria,
Languent amore patriae,
Dat vires contra vitia
Magnae Deus potentiae.

5. Doctrinis sacris resonant
Et praedicant coelestia,
Voces divinas intonant,
Fantur Dei magnalia.

6. Hujus Brigida floruit
Convivii virtutibus
Christo conjungi meruit
Exsultet coelum laudibus.

7. Tu esto nostrum gaudium
Per Brigidae suffragia,
Qui es futurus praemium
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 549. A. — Psalt. ms. S. Mariae ad Arborem saec. 15. Cod. Sancten. Reg. XVI. 2. B. — Psalt. ms. Cranenburgense saec. 15. Cod. Berolinen. Fol. 231. C. — Brev. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. D. — Str. 1 u. 2 lückenhaft D.

252. De sancta Brigida.

Ad Nocturnum.

1. Signum magnum apparuit,
Amicta sole femina,
Solem, quo sponsa claruit,
Coeli sequuntur agmina.

2. Nam Christum solem induit
Per pietatis opera,
Mens cujus pura placuit
Fide transcendens sidera.

3. Calore solis floruit
In spiritus dulcedine
Et radiis resplenduit
Virtutum stans in culmine.

4. Ipsam decor operuit
Par solis pulchritudini,
Per quam Christus aperuit
Dogma salutis homini.

5. Coelesti luce radiat
Scribens Christi mysteria,
Ut populus poeniteat,
Est verbi Dei nuntia.

6. Tu esto nostrum gaudium
Per Brigidae suffragium,
Qui es futurus praemium
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 549.

253. De sancta Brigida.

Ad Laudes.

1. O celebre convivium,
In cujus refectoriis
Electi desiderium
Implent et sunt in soliis.

2. Gaudent et laudant pariter
Cum optimis spiritibus,
Fulgent et stant solemniter
In regiis honoribus.

3. Illic divina visio
In majestatis gloria
Sanctorum est refectio
Perfectaque laetitia.

4. In hujus regni gaudio
Brigida nunc feliciter
Conjuncta Dei filio
Triumphat aeternaliter.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 549.

254. De sancta Caecilia.

1. Jesu Christe, patris unigenite,
Natus ipse virginis,
Amator castitatis,

2. Te inspirante mentes tibi devotae
Annos, sexum superant,
Viriliter decertant.

3. Inter stupenda, quae facis, miracula
Magnum dat spectaculum
Triumphus feminarum.

4. Quae splendida castitatis lilia,
Ut sic magis luceant,
Fuso sanguine purpurant.

5. Inter quas sancta hodie Caecilia
Ut rosa in Jericho
Floret coram Domino.

6. Haec quidem suum sponsum Valerianum
Una cum Tiburtio
Fidei junxit gremio.

7. Laus gloria, honor et victoria
Patri sit et filio
Spirituique sancto.

Diurn. ms. Constantiense saec. 14. Cod. Turicen. Rhenov. CLV. — 2, 2 sexu. — Mit Ausnahme von Str. 6 fast ganz dem Ursula-Hymnus gleichen Anfanges (Anal. IV, 249) entlehnt.

255. De sancta Caecilia.

1. De ventre natum virginis,
In carne latens hominis,
A patre venit saliens
Verbum supernum prodiens.

2. In cruce demum moritur,
Opem per hanc redimitur
Ab hostis homo fraudibus,
Exsultet coelum laudibus.

3. Quod sentiens Caecilia
Mox fidei monilia
Sumpsit, gerens hinc habitum,
Deus, tuorum militum.

4. Conjunxit horum coetibus
Sponsum suum cum pluribus,
In coelis quibus atria
Fit porta Christi pervia.

5. Sic dicitur Caecilia,
Coeli quia fert lilia,
Casta sequens te Dominum,
Jesu, corona virginum.

6. Haec ardens tuis ignibus
Non uritur ferventibus,
Aquis, ei das zephyrum,
Rex gloriose martyrum.

7. In capite ter caeditur,
Per triduum non moritur,
Pandit docens coelestia
Beata nobis gaudia.

8. Ob virginis victoriam
Supplex tibi dat gloriam
Nostra semper humilitas,
O lux beata trinitas.

Hymn. ms. Wirceburgen. saec. 15. Cod. Franciscan. Wirceburg. I 83. — 6, 3 Aquis ei refirum Hs. — 7, 1 In capite rex.

256. De sancta Caecilia.

1. Deus perennis, rex inaestimabilis,
Martyrum decus et corona virginum,
Non solum viris palmam dat martyrii,
Sed feminisque mors calcata subjacet.

2. Ex his beata parthenos Caecilia
Amans pudorem, cordis innocentiam,
Jejuniorum parcitate sobria,
Hoste devicto se litavit Domino.

3. Sicque superna perfruens victoria
Fortiter sprevit gloriam pro gloria,
Diligens Christum pectore praevalido,
Balneo gaudet se perfusam calido.

4. Hinc nos eandem deprecamur martyrem,
Ut pio voto nos commendet Domino
Et nobis veniam ipsius obtineat
Virginitas, sit laus tibi, trinitas.

Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 55. add. saec. 16. A. — Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 71. add. saec. 16. B. — A führt aber im Texte (XV.) den Anfang des Hymnus, der dann später am Rande vollständig nachgetragen ist. — 1, 4 Sed fehlt A; que fehlt AB. — 4, 3 veniam ist zu verschleifen, da sonst eine Silbe zu viel. — 4, 4 fehlt eine Silbe, es sei denn laus zweisilbig gerechnet.

257. De sancta Caecilia.

1. En, virginis Caeciliae
Fulget vita clarissima,
Quam sponsus pudicitiae
Elegit ab infantia.

2. Quae Christi evangelium
Abscondebat in pectore,
Ut Jesum nitens lilium
Casto servaret corpore.

3. Hinc amor et devotio
Fervebant cum colloquio,
Hinc diebus ac noctibus
Sacris intendit fructibus.

4. Nam duos fratres nobiles
Effecit Christi martyres,
Quos per ejus vestigium
Hortatur ad martyrium.

5. Hoc cernens tunc episcopus
Urbanus, vir angelicus,
Resolvitur in lacrimis
De fructu tantae virginis.

6. Domine Jesu, suscipe
De manibus Caeciliae
Fructus casti consilii
Sicut odorem balsami.

7. O beata Caecilia,
Devota Christi famula,
Per tua sacra merita
Nos Deo reconcilia.

Orat. ms. Veteris Monasterii (?) saec. 15. ex. Cod. Magunt. II 209. — Ist als Hymnus bezeichnet; Verfasser desselben ist Thomas von Kempen, in dessen Werken er sich findet.

258. De sancta Caecilia.

1. Huc venite, populi,
Undique, laeti
Celebrantes almae
Festa Caeciliae,
Quae est margarita
Virginum praeclara.

2. Discite parthenae
Exempla sanctissimae,
Quae saevum leonem
Agnum fecit mitem,
Simul cum fratre
Angelum videre.

3. Imperium terrenum
Contempsit quasi lutum,
Ornamenta saeculi
Comparavit stercori.
Principem eorum
Velut vilem fumum.

4. Huic regnum hoc aperuit,
Quod Eva mater perdidit,
De paradiso veniens,
Rosarum flores deferens,
Ad sponsum eam invitans,
Qui coelos regit imperans.

5. Illum vos amate,
Virgines devotae,
Lampades ornando,
Thalamum intrando,
Cum Christo, Dei filio,
Qui celso sedet solio.

6. Gloria patri
Sempiternaeque proli,
Sancto spiritui,
Amborum nexui,
Cui laudem demus
Nos per omne tempus.

Antiph. ms. Cistercien. Neerland. saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. — Von den 36 Versen sind 18 sechssilbig, 8 achtsilbig, 7 siebensilbig, 3 fünfsilbig.

259. De sancto Cassiano.

1. Saepe Christi fidem quatiens tempestas saeva
Premebat plebem Christianae gloriae.

2. Ut quondam afflixit sanctos plerosque ponenda
Sic Cassianum persecutio premit.

3. Extrahitur coetu e medio moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.

4. Poenarum artifici quaerenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
5. Respondet: agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.
6. Ducite, conclamat, captivum ducite et ultra
Donetur ipsis verberator parvulis.
7. Ut libet illudant, lacerent impune manusque
Tingant magistri feriatas sanguine.
8. Ludum discipulis, volo, sese praebeat ipse
Doctor severus, quos nimis coercuit.
9. Gloria sit patri, nato et tibi, spiritus alme,
Qui Cassianum provehis martyrio.

Brev. Brixinense imp. Venetiis 1516. — 1, 2 plebem dicatam Christianae.

260. De sancto Christophoro.

Ad Vesperas.

1. Martyr invictus, Domino sacratus,
Angelis junctus, astris decoratus,
Martyr et virgo, duplici corona
Inclite fulget.
2. Flamine sacro martyr confortatus,
Omnes pro Christo subiit labores,
Gloriae regni Domino praestante
Factus est haeres.
3. Excelsum cujus meritum monstratur,
Sanitas aegris largius donatur;
Lubricae carnis reprimis furores,
Optime martyr.
4. Fragilis nostrae memor sis naturae,
Vitiis multis nimium oppressae,
Opem ferendo meritis commenda
Nos Deo nostro.
5. Christifer potens, efficit adscriptum
Casta te vita coetibus sanctorum,
Tua qui prompti nobiscum libenter
Carmina pandunt.
6. Aeterno regi gloriam canamus
Vocibus laetis, veniam ab alto
Nobis ferenti martyris praeclari
Precibus almis.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519.

261. De sancto Christophoro.

Ad Nocturnum.

1. Haec dies justo martyri dicata
Annua nobis gaudia praesentet,
Qua de terrenis martyr absolutus
Scanderet astra.

2. Trinitas summa martyrem pro justis
Meritis donat gemina corona,
In cujus aula gloriae ferventes
Jubilat ipse.

3. Celebre festum tui peragentes,
Maxime martyr, effice mortales
Veteri sorde criminis relicta
Scandere polum.

4. Filio magno summi genitoris,
Flamini sacro laudes bene dignas
Carmine votum promere conatur
Spiritus omnis.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519.

262. De sancto Christophoro.

1. Regem coelestis gloriae
Laudent flores ecclesiae,
Superna quorum patria
Nitoris fulget gratia.

2. Hic inter flores praeditum
Virtutibus Christophorum
Suo Christus carissimo
Inthronizat palatio.

3. Qui fretus Dei munere
Mundum coepit postponere,
Militiae post cingulum
Legis dilexit vinculum.

4. Mundo totus emoritur,
Christum vivendo sequitur,
Laborum fructus aggregat,
Ad coelos liber evolat.

5. Nos ergo tanto martyri
Corde et voce supplici
Laudes canamus debitas,
Deo ferentes gratias.

6. Sit Deo perpes gloria,
Cui magna est potentia,
Per quem victor egregius
Mundum vicit Christophorus.

Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. — 2, 4 Inthronizavit. — Mel.: Deus tuorum militum.

263. De sancto Christophoro.

1. In hoc festo laetabundo
Ter beati Christophori
Laudes hymno cum jucundo
Mente dicamus memori.

2. Ore verba, corde vota
Promamus absque macula,
Decantantes non ignota,
Quae patravit, miracula.

3. Hic suscepta fide Christi
Conversus est ad Dominum,
Trahens ab errore tristi
Multa milia hominum.

4. Aquam plures per profundam
Ejus dum ferrent humeri,
Christus mentem amans mundam
In forma venit pueri.

5. Nullum pondus majus illo
Prius expertus fuerat,
Mirabatur, quod pusillo
Gravedo talis inerat.

6. Naturarum jus mutavit,
Dum, virga ramos arida
Ut haberet, impetravit,
Facta per eum florida.

7. Enses, vincla, famem, poenas
Propter Christum non timuit,
Virgas, ignes et catenas,
Immo mortem sustinuit.

8. Sit laus tibi, Deus alme,
Christophori pro gloria,
Cujus nos conjungat palmae
Praesens sui memoria.

Direct. ms. S. Stephani Bambergen. saec. 17. Hs. d. Histor. Vereins Nr. 2180. — 2, 4 patravit umbracula. — 7, 4 Hymno mortem. — Dafs der Hymnus bedeutend älter ist, als die Quelle, vielleicht dem 13. Jahrh. angehört, zeigt der Reim.

264. De sancta Clara.

Ad Vesperas.

1. Ecce, mundo tepescenti
Cum aerumnis et degenti
Stella nitet, quae clementi
Confert adjuvamen menti.

2. Haec est felix virgo Clara,
Quae virtutum florens ara
Nos ditavit prole clara
Omni justo digne cara.

3. Hujus castae matris natae,
In coelorum rege natae,
Huic sunt orbe sparsae latae
Per te, Christe, Dei nate.

4. Nec est mirum, quod insignis
Clara clarens est in signis,
Ipsam nam divinus ignis
Illustravit donis dignis.

5. Hanc collaudet puellarum
Chorus nec non feminarum,
Paradisum nam sanctarum
Introivit animarum.

6. Vernans norma paupertatis,
Intercede pro peccatis
Nostris, luce claritatis
Ut fruamur cum beatis.

7. Doxa patri increato,
Sit et honor ejus nato,
Laus spiritui beato,
Ut utamur fine grato.

Offic. ms. S. Mariae in Augia saec. 14. Cod. Lucernen. 13 (50). A. — Brev. ms. S. Mariae in Augia saec. 15. Cod. Lucernen. 106 (35). B. — Diurn. ms. Hermetisvillanum saec. 15. Cod. Griesen. 56. C. — Hymn. ms. Hermetisvillanus anni 1553. Cod. Griesen. 23. D. — 1, 2 Cum erumpis B. — 2, 1 est virgo felix virgo B; Clara fehlt CD. — 2, 2 flores ara BCD. — 2, 4 digne clara ABCD. — 3, 1 castae mentis D. — 3, 3 orbi B, sorbe C. — 4, 2 fehlt CD; et insignis B. — 5, 1 Coetus nec C. — 6, 3 lucis BCD. — 7, 4 fine beato CD.

265. De sancta Coleta.

1. Christe, qui lux es et dies,
Nubem rumpe, justitiae
Sermone nos irradies,
En, gratulemur hodie.

2. Jam ter quaternis trahitur
Horis lux sexta Martio,
Qua Coletae complauditur
In coelesti collegio.

3. Audi, benigne conditor,
Haec mundi fugit socias
Et tibi, rei cognitor,
Generat virgo filias.

4. Clarum decus jejunii
Servans per vitae spatia,
Fert cum plausu tripudii
Crucis arma fulgentia.

5. Ex more docti mystico
Ritus illi sunt studio,
Quo sit solvenda cantico
Laus regi plena gaudio.

6. Deus pater piissime,
O miserere gentium,
Flens clamat sic, potissime,
Dum medium silentium.

7. Dicamus omnes cernui
Cum hac dantes suspirium:
Humano parce coetui,
Jesu, lux vera mentium.

8. Magno salutis gaudio
Errantes trahens adiit,
Quibus Deus remedio
Proles de coelo prodiit.

9. Vexilla regis prodeunt
Francisco manu latriae
Nec Coletam praetereunt
Vergente mundi vespere.

10. Jam, Christe, sol justitiae,
Te sequens semper jubilat
Et inter flores gloriae
Ut lux aurorae rutilat.

11. Summi largitor praemii,
Ob hanc te fer propitium,
Ut post cursum exsilii
Concinat plebs fidelium.

12. Praesta, beata trinitas,
Unus Deus per saecula,
In cujus laudes debitas
Plaude, turba paupercula.

Cod. 7912 der k. u. k. Familien-Fideikommifs-Bibliothek Wien. saec. 15. add. saec. $^{15}/_{16}$. — Die ersten und letzten Zeilen aller Strophen Hymnenanfänge.

266. De beata Coleta.

Alius hymnus.

1. Gratiarum festum clarum
Cunctis fiat notorium,
Quo Coletae fuit laetae
Deus in adjutorium.

2. Hanc Franciscus pater priscus
Suo poposcit agmini,
Non negatur, impetratur,
Laudate nomen Domini.

3. Egenarum dominarum
Sacra lex haec exstiterat,
Quam secutae fiunt tutae,
Quem ad modum desiderat.

4. Reparavit, reformavit,
Convertit plures protinus,
Applaudebat, adsistebat
In convertendo Dominus.

5. Hortulana sic fit sana
In Jesu plantans nomine,
Quam pro more largo rore
Benedixisti, Domine.

6. Verba mellis fert novellis,
Quas traxit rex aethereus,
Has confortans et exhortans,
Quam bonus Israel Deus.

7. Quorum pergit, grave vergit,
Lamenta gerit cominus,
Quod sit truci datus cruci
Deus, deorum dominus.

8. Clarens signis laude dignis
Multis tulit suffragium,
Illi votum favit totum
Deus noster refugium.

9. O formosa florens rosa,
Coleta, sine termino,
Te sectantes fac regnantes,
Qui confidunt in Domino.

10. Margarita redimita,
Meos exaudi modulos,
Me praeserves et conserves,
Ad te levavi oculos.

11. Post Mariam, vitae viam,
Mediatricem hominum,
Te requiro, dum suspiro
Voce mea ad Dominum.

12. Te rex regum, stella gregum,
Non abs re multum diligit,
Per te dona dat et bona,
Beatus, qui intelligit.

13. Vos, sorores, Christi flores,
Sequi matrem addiscite,
Mores pandit, astra scandit
Ecce, nunc benedicite.

14. Hanc Coletam tam facetam
Omni dempta calumnia
Honorate, collaudate,
Coeli enarrant gloriam.

15. Et vos, patres, nosque fratres
In Coletae memoriam
Collaetemur, carminemur,
Coeli enarrant gloriam.

Cod. 7912 der k. u. k. Familien-Fideikommifs-Bibliothek Wien saec. 15. add. saec. $^{15}/_{16}$. — Die letzten Zeilen aller Strophen Psalmenanfänge.

267. De sancto Conrado.

1. Iste confessor Domini Conradus,
Christi sacerdos et pontifex almus,
Hodie laetus meruit secreta
Scandere coeli.

2. In juventute sobriusque pius,
Pauperum clemens pater et amator
Castitatis, quae vegetavit ejus
Corporis artus.

3. Flos paradisi, praesul Cuonrade,
Supplicum audi preces et languentum,
Quolibet morbo fuerint gravati,
Membraque cures.

4. Chorus te laudet sacerdotum atque
Virginum turma in honore tuo
Pangat, Conrade, ut tuis juvemur
Meritis almis.

5. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra coeli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — Zum Vergleiche folgt der Text der Quelle:

1. Confessor Domini Cûnradus sacerdos et pontifex almus laete hodie meruit secreta scandere coeli.

2. In juventute fuit sobrius pius clemens pauperum pater castitatis amator ejus vegetavit ejus corporis artus.

3. Flos paradisi praesul Cûnrade audi preces supplicum et languentum membra cures a quolibet morbo.

4. Chorus te laudat sacerdotum et virginum turba in honore tuo pangat Katherina [sic] ut tuis juvemur meritis.

5. Sit salus illi decus.

268. De ss. Cosma et Damiano.

1. Sanctorum festa celebremus omnes,
Trinum et unum Dominum laudemus,
Patremque sanctum, filium ejus et
Spiritum sanctum.

2. Hymnum canamus, vocibus laudamus,
Corde et ore Deum confitemur,
Ut nos ubique fide stabilitos
Firmet in pace.

3. Hoc interpellant pro nobis in coelis
Sanctorum merita Cosmae et Damiani,
Qui in isto loco nostri famulatu
Semper coluntur.

4. Quibus donasti gratiam curandi,
Languores hominum atque bestiarum,
Nos sanent semper corpore [menteque]
Atque defendant.

5. Simul cum istis omnibusque sanctis
Orent pro nobis jugiter in coelis
Atque pro plebe Domino devota
Christianorum.

6. Hinc adoramus atque veneramur
Omnipotentem Dominum regnantem,
Qui super coelos residet in arce
Trinus et unus.

Brev. ms. Coloniense saec. 14. in. Cod. Londinen. Add. 31913. — Mel.: Iste confessor.

269. De sancto Cuniberto.

1. Annua reverti
Festa gratulemur,
Patris Cuniberti
Laudes modulemur.

2. Cujus gaudet natu
Galliae gens trina,
Cujus praesulatu
Fulsit Agrippina.

3. Qui divinis rebus
Jugiter intentus,
Suis in diebus
Justus est inventus.

4. Conservator legum
Excelsi probatus,
In conspectu regum
Est magnificatus.

5. Eja, suavitatis
Adsurgamus sono
Mirae sanctitatis
Patri ac patrono.

6. Salve, Cuniberte,
Salus Agrippinae,
Fac, ut simus per te
Salvi sine fine.

7. Quorum te caterva
Laudat, o patrone,
Servos tuos serva
Sub protectione.

8. Gloria superno
Patri sit ac nato
Atque coaeterno
Flamini beato.

Brev. ms. Coloniense saec. 14. Cod. Dusseldorpin. C. 60. — Mel. nach dem Versmafse zu schliefsen: Ave maris stella.

270. De sancto Cyriaco.

1. Martyr egregie, sancte Cyriace,
Summi pontificis levita nobilis,
Vota plebis tuae suscipe clemens.

2. Haec plebs laeta tui festa triumphi
Votis fidelibus colit et laudibus,
Mitis huic ergo semper adesto.

3. Qui exsuperasti fide potenti
Furias judicis poenasque mortis,
Nos precibus juva vincere mundum.

4. Junge tibi Largum atque Smaragdum
Et cum his sociis judicem nobis
Propitium semper facito Christum.

5. Nobis continuam poscito pacem,
Peccati veniam coelique patriam,
Ibique laetanter vivere semper.

6. Trinitati decus, honor et virtus,
Inseparabili laus unitati,
Consors imperium omne per aevum.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. A. — Brev. ms. S. Mariae apud Ressam anni 1601. Cod. Berolinen. Oct. 120. B. — 3, 3 precibus adjuva AB.

271. De sancto Donato.

1. Iste martyr egregius
Coelum scandit sublimius,
Christi volat in amplexus,
Quos amoris jungit nexus.

2. Calicem salutis sumpsit,
Jesu nomen invocavit,
Et cujus sanguinem bibit,
Pro eo proprium fudit.

3. Cum potente discubuit
Et prudens consideravit,
Qualia sunt apposita,
Praeparavitque talia.

4. Ad nuptias invitatus
Loco infimo contentus,
Est in coeli convivio
Sublimatus a Domino.

5. Rogemus ergo cernui,
Ut Deus prece Donati,
Cujus festa percolimus,
Nos societ coelestibus.

6. Summo parenti gloria
Natoque laus quam maxima
Cum sancto sit spiramine
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Carmeli Freistadien. saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 72. A. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1517. B. — 1, 4 jungat A.

272. De sancta Dorothea.

Ad Laudes.

1. Voce clara resonemus,
Hymnos dulces decantemus
Vigilanti studio,
Nam ad chorum supernorum
Dorotheam rex coelorum
Vexit cum tripudio.

2. Haec ab annis juventutis
Surdis spretis dis et mutis
Coluit altissimum,
Ejus cor qui tam accendens,
Ut et mortem parvipendens
Sperneret saevissimum.

3. Sicut lutum platearum
Florem rerum mundanarum
Contempsit haec beata,
Nunc quapropter adstans trinae
Deitati sine fine
Congaudet coronata.

4. Virgo, decus castitatis,
Martyr mirae sanctitatis,
Supplex fer auxilium;
Tecum rosas colligamus,
Ubi semper gaudeamus
Praesens post exsilium.

5. Prosit tua singularis,
Efficax et salutaris
Nobis intercessio
Et distinctae trinitatis
Unicaeque deitatis
Fides et confessio.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. A. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo 52. B. — Brev. ms. Benedictinum anni 1501. Cod. Carolsruhan. Geo 53. C. — 1, 4 Qui ad thorum BC. — 2, 4 cor quietam accendens BC. — 2, 6 Scerneret A. — 3, 3 hoc B. — 3, 6 Gaudet BC. — 5, 1 Prosit ita tua B.

273. De sancta Dympna.

Ad Vesp. et Noct.

1. Vocis erumpat puritas
Laudis in sacrificium,
Quam beatae solemnitas
Dympnae movet ad gaudium.

2. Regis gentilis filia
Suave jugum Domini
Tulit a pueritia,
Templum se offert numini.

3. Matre defuncta filiae
Rex concupivit speciem,
Cernens in ejus facie
Sponsae vultus effigem.

4. Tentat in vanum deditus
Gentilitatis cultui,
Quod inspirata coelitus
Misceatur incestui.

5. Gemmas, vestes et praedia
Se donaturum asserit,
Quae mens coronae conscia
Velut figmentum respuit.

6. Quaesumus, auctor omnium,
Ut ipsius suffragio
Des supernorum civium
Nobis frui consortio.

Antiph. ms. Gelense saec. 15. add. saec. $^{15}/_{16}$.

274. De sancta Dympna.

Ad Laudes.

1. Sion in portis filiae
Resultet vox laetitiae,
Plena laudis et gloria,
Sitque mens voci socia.

2. Tempus acceptum rediit,
Quo Dympna coelum petiit,
Dei conjuncta filio
Signorum teste radio.

3. Flos vivit in virtutibus,
Dum vinctos in compedibus
Sua virtute liberans
Educit claustra reserans.

4. Virginis sacrae bajuli,
Quod hi essent increduli,
Corpus movere nequeunt,
Donec ad fidem redeunt.

5. In quo vitae spes aberat
Submersusque perierat,
Corpus surgit inanime,
Cessant parentum lacrimae.

6. Cum genitore genitus
Per tantae matris merita
Sancti virtute spiritus
Relaxet nostra debita.

Antiph. ms. Gelense saec. 15. add. saec. $^{15}/_{16}$. — 6, 2 tantae martyris.

275. De sancto Elia.

1. Festa sacrata voce laetabunda
Concio nostra celebret devota,
Qua die coelum tendit ad Olympum
Sanctus Elias.

2. Qui tribus annis coelum verbo clausit,
Ne daret imbrem, pluviam vel rorem,
Ut Jezabelis impii furoris
Ferret decretum,

3. Achab iniqui regis Israelis,
Qui Deum verum deserens adhaesit
Idolis vanis zelo conjugali
Ritu nefando.

4. Hujus propheta fugiens furorem
Placuit coelo, bibit de torrente,
Quem mane pavit vespereque pane
Assecla corvus.

5. Inde recedens abit in Sareptam,
Rustica ligna legebat mulier,
Unicum cujus natum ab inferna
Sede revexit.

6. Post hoc egressus ad torrentem Cison,
Baal sacerdotes mactat universos,
Ore resolvit coelos, terrae madent
Imbre salubri.

7. Inter prophetas atque patriarchas
Furias mortis superat Elias,
Vescitur vivens ligno paradisi
Deliciarum.

8. Ungit haeredem Elisaeum pro se,
Cum quo Jordane superato fatur,
Sese venturum contra Leviathan
Socio Henoch.

9. Dum alter vatum insistit loquelis,
Ab alto currus labitur igneus,
Rapit Eliam vectus super alta
Penna ventorum.

10. In majestate gratia divina
Moyses sanctus sacer et Elias,
Fulgore solis ambo radiantes,
Christum adorant.

11. Sancti Eliae precibus placatus
Nos expiatos labe delictorum,
Christe redemptor, praesta pro meritis
Regnum polorum.

Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX. — 1, 2 devote. — 2, 3 Ubi zebelis impii furorem. — 2, 4 Fert decretum. — 3, 1 O quam ab inquit regis. — 3, 4 Ritum. — 4, 2 Placuit de coelo. — 4, 4 A secla thronus. — 5, 2 Nustica lingua. — 6, 2 fehlen vier oder fünf Silben, jenachdem Baal ein oder zweisilbig genommen; ergänze sacerdotes, prophetas, ministros? — 8, 1 haeredem Helias pro se. — 8, 2 Cum fehlt. — 9, 1 Cum hic alter vatum instit. — 9, 2 laborat igneus. — 10, 2 sacerdos et Elias.

276. De sancto Eligio.

1. Domino laude sedula
Praesentis vox collegii
Fidem, vitam, miracula
Sancti pangat Eligii.

2. Verbo virtutis sanguine
Lemovicis emicuit,
Latens sub fabri nomine
Late lucerna claruit.

3. Dum sic fulsit Eligius,
Regis sibi Lotharii
Plenam favor in gratiam
Provexit aurificii.

4. Artis in exercitio
Fabrum contemplans omnium,
Quaestus fabrilis pretio
Famem pavit egentium.

5. Pius, justus et sobrius
Totum se Deo contulit,
Cui verbi Dei nuntius
Documenta sic intulit:

6. Eligi, preces superat
Miserentis largitio,
A timore te liberat
Poenae culpae remissio.

7. Mox exitus recoluit
Ex diffusa fragrantia,
Quod votum obtinuit
Et fructum poenitentia.

8. Nos ergo sic aedificet
Exemplum poenitentiae,
Ut spem nostram certificet
Fructus aeternae gloriae.

9. Deo patri sit gloria.

Liber confrat. Aurifabrorum Ratisbonen. saec. 15. Hs. des Histor. Vereins für Oberpfalz und Regensburg. — „Scripsi Johannes in Wacia 1423.“ — „Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto Henricus Giesperger comparavit hunc librum ad honorem beati Eligii episcopi, scriptum in Wacia per Johannem felicis memoriae, illuminatorem episcopi Waciensis.“ — 4, 4 degentium. — 5, 4 Documenti. — 7, 3 fehlt eine Silbe; lies Quia oder ergänze jam?

277. De sancta Elisabeth.

1. Insigne sidus claruit
Elisabeth, quae respuit
Mundi pompas pro Domino
Sacro fulta evangelio.

2. Vitam elegit pauperem,
Immo se reddens humilem
Expendit large praedia
Dans egenis necessaria.

3. Attrectabat obsequiis
Leprosos quoque debiles,
Pupillis atque orphanis
Toto affectu deserviens.

4. Non cessabat intuitu
Contemplari pervigili
Sponsum hic in miseria,
Quem patris cernit in gloria.

5. Ad tumbam testimonia
Sanctitatis indicia
Crebro per mundi climata
Christus revelavit plurima.

6. Visum caeci recipiunt,
Claudi salvi exsiliunt,
Spiritus mersis mortuis
Revocatur ejus meritis.

7. Precamur, regis filia,
Ut per tua suffragia
Tecum post transitoria
Christi fruamur praesentia.

8. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Psalt. ms. S. Aegidii Brunswicen. saec. 15. Cod. Gotingen. Theol. 219. — 2, 2 In miro se reddens. — 2, 4 egenis necessita. — 5, 2 judicia. — Jede vierte Zeile hat (mit Ausnahme von 8, 4) eine Silbe mehr.

278. De sancta Elisabeth.

1. Exsultet jubilo curia caeli,
Felix Elisabeth pondere carnis
Gaudens hanc adiit exonerata.
2. Mundi tempsit opes et genus altum,
Ut dives fieret et generosa
Coram patre suo cuncta regente.
3. Non frustrata spei satur opimae,
Cum glebam decorent corporis almi
Virtutum varie sidera clara.
4. Cujus membra fluunt flumen olivi,
Quod cum latificet quosque fideles,
Tristat perfidiam schismatis atri.
5. Ipsius meritis propitiare
Nobis, Christe Jesu, ne mala damnent
Mundi vita reos, sed bona salvet.
6. Trino doxa Deo perpes et uni,
Qui gratis tribuens optima quaeque,
In sanctis propria dona coronat.

Hymn. ms. Lignitiense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 96. A. — Hymn. ms. Lignitiense saec. 15/16. Cod. Wratislavien. I O 114. B. — 1, 3 hac adiit A. — 2, 1 contempsit AB. — 2, 3 regentem B. — 4, 1 Ejus B; olyvum A. — 4, 3 acri AB.

279. De sancta Elisabeth.

1. Exsulta, Sion superna,
Christus sanctam hodierna
Die vexit ad aeterna
Elisabeth palatia.
2. Lampas haec est et lucerna,
Nobis lucens in cisterna
Noctis hujus et interna
Mundans divina gratia.
3. Ista felix est beata
Ungarorum regis nata,
Regis regum desponsata
Jam conregnat in gloria.
4. Zelo Christi inflammata,
Mundi pompam aspernata,
Nobis est exemplum data,
Quod dignum est memoria.
5. Audi nos, o gratiosa,
Mater nostra generosa,
Paradisi flagrans rosa,
Christi adornans atria.
6. Botrus Cypri dulcorosa,
Salva nos, ne procellosa
Stygis in inluminosa
Leti locemur patria.
7. Egrotarum salubritas,
Egenorum saturitas,
Vitae clarescit sanctitas
Et divina benignitas.
8. Te, summa Deus trinitas,
Nostra canit humilitas,
Quibus coelestis civitas
Sit perennis haereditas.

Diurn. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. H 621. A. — Diurn. ms. Steterburgense saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. H 1400. B. — Nach Str. 5 Divisio B. — 6, 3 Stiges illuminosa A; Stige sed illuminosa B.

280. De sancta Elisabeth.

1. Elisabeth collaudemus
Virtutum insignia,
Oris ei praesentemus
Devote obsequia,
Ut spe recta respiremus
Per ejus suffragia.

2. Stirpe regum procreata
In terra nobilium,
Christum regem imitata,
Conditorem omnium,
Choris est associata
Supernorum civium.

3. Pubertatis ducens annum
Sanctae manet indolis,
Sponsum accepit tyrannum,
Quem virtutum in scholis
Mitem facit velut agnum,
Jungit coeli incolis.

4. Haec insignis et beata
Pauperum nutricia,
Fastu mundi non elata
Nec parentum gloria,
In se carnis crucidata
Crucifixit vitia.

5. Aquam eam dum rogavit
Hostis innocentiae,
Potum lacte perforavit
Clavo poenitentiae
Et sic sese liberavit
Virtus patientiae.

6. Tandem viro destituta
Munda mundum exuit,
Christum mente jam induta
Saccum carni consuit
Et in tempus haec statuta
Sic lampas emicuit.

7. Veras censu paupertatis
Redimens divitias
De thesauro pietatis
Fudit auri copias
Et multorum egestatis
Supplevit inopias.

8. Fecit opus fuso cibi
Quaerens alimoniam
Et vilescens ipsa sibi
Quaerit ignominiam,
Sciens soli, Christe, tibi
Recti dari gloriam.

9. Huic ergo laudes demus
Et preces humiliter
Et adjuti emendemus,
Quod patramus jugiter,
Ut per eam conregnemus
Christo aeternaliter.

Henrici Bebelii Liber hymnorum imp. s. l. et a. (1501). — Von Str. 4 bis 8 verläuft der Hymnus identisch mit Mone III Nr. 905, Str. 5 ff.

281. De sancto Elisaeo.

In Vesperis.

1. Ut lingua carnis digne possit promere
Et viri Dei mores plene dicere,
Mentes obscuras tuo tange lumine,
Christe, redemptor ac salvator optime.

2. Prophetae dies celebratur hodie,
Quo Elisaeus, divo plenus munere
Et in sublimi collocatus culmine,
Nostrae supplici traditur memoriae.

3. Hic Elisaeus virgo plene permanens,
Coeli beatis coaequatur angelis,
Qui pravos carnis motus novit premere
Et mentem puram Christo scivit gerere.

4. Hic vir exemplum dedit mendicantibus,
Prophetam magnum dum Eliam sequitur
Relicto patre atque mundi sentibus,
Associari optans coeli civibus.

5. Regulam hic vir dedit praesidentibus,
Ne Dei dona venderent muneribus,
Naaman Syrum dum mundavit plenius
A lepra ejus recusatis opibus.

6. Uni trinoque Domino sit gloria,
Honor, potestas atque jubilatio,
Qui Elisaei viri sancti merita
Late declarat omnia per saecula.

Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1464. Cod. Bambergen. Ed VII 36. A. — Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1467. Cod. Bambergen Ed VII 25. B. — Psalt. ms. Carmeli Heilbronnen. saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 95 (Fol.) C. — Diurn. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Avenionen. 63. D. — Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1515. E. — Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579. F. — 1, 2 plene possit dicere A. — 2, 2 divino plenus DEF. — 3, 1 Hic fehlt E; Porro Elisaeus F. — 3, 2 Coelis beatis A; Beatis coeli EF. — 3, 3 carnis fehlt A: scivit premere F. — 3, 4 vovit gerere F. — Str. 5 fehlt F.

282. De sancto Elisaeo.

Ad Nocturnum.

1. Congratuletur curia
Coelestium spirituum,
Et omnis terra jubilet
De Elisaei gloria,

2. Carmelitarum principis,
Prophetae, quem instituit
Magnus Elias Tesbites
Nutu divini numinis.

3. Hic in infernum potuit,
In hac vita dum viveret,
Cum inde tulit animam
Et corpori restituit.

4. Naaman Syri nobilis
Sanavit leprae vulnera,
Oblata cujus divitis
Omnino sprevit munera.

5. Hic mulieris viduae
Compatiens inopiae
Multiplicavit oleum,
Ut debita persolveret.

6. Functum cujus corpusculum
Et sepulturae traditum
Solo tactu veraciter
Mox suscitavit mortuum.

7. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui Elisaei precibus
Perducat nos ad supera.

Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1464. Cod. Bambergen. Ed VII 36. A. — Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1476. Cod. Bambergen. Ed VII 25. B. — Psalt. ms. Carmeli Heilbronnen. saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1b 95 (Fol.) C. — Diurn. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Avenionem 63. D. — Brev. ms. Carmelitarum imp. Venetiis 1515. E. — Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579. F. — 3, 1 in infirmum D. — 6, 1 Finitum ejus F. — 7, 4 Nos ducit ad supera D.

283. De sancto Elisaeo.

In 1. Vesperis.

1. Ut possint claris commendare sonis
Mira gestorum famuli tuorum,
Supple conatus intimi fervorem,
O Elisaee.

2. Tu regis summi gratia praeventus,
Sanctorum patrum magister futurus,
Vestis attactu subito mutatus,
Pares Eliae.

3. Ille praecursor judicis superni
Flammeo cursu transiit evectus,
Tu quoque patris pallium reportans
Loco succedis.

4. Aquae Jordanis dividis fluenta,
Colligis gregem cellulis dispersum,
His, pater sancte, meritis et ritu
Praesides almo.

5. Antra deserti penetrans affectu
Saeculi fastum opere declinas,
Merita celsa praeditum te monstrant
Spiritu bino.

6. O nimis felix doctor ac propheta,
Mentis incultae diligens arator,
Vitae lucerna, regula virtutum,
Medice mortis!

7. Suscipe, pius, vota filiorum,
Ordinem sacrum protege benignus,
Quem suo sancto titulo decorat
Virgo Maria.

8. Laudibus cives celebrant Carmeli
Te Deum unum pariterque trinum,
Supplici mente veniam precamur,
Parce devotis.

Brev. ms. Carmelit. anni 1489. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 3. 10. A. — Brev. ms. Carmelit. Jerosolym. saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 187. B. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 215. C. — 1, 1 possit B. — 3, 2 transiit enector A. — 3, 4 Locus A. — 4, 1 dividens BC. — 5, 2 declinans BC. — 5, 3 praedictum AB; te fehlt B; monstrat B. — 6, 1 ducto B; ductor C — 7, 3 decoratur B. — 8, 2 Deum vivum B. — 8, 4 Per te devotus B.

284. De sancto Elisaeo.

Ad Nocturnum.

1. Orbis quadrata machina
Concelebrat militias
Sanctorum, quorum merita
Divas mercantur laureas.

2. Patriarcharum praevius
Commendatur exercitus
Et prophetarum posterus
Autorizatur cuneus.

3. Eliam tollunt aethera
Paradiso reconditum,
Elisaeus post funera
Vitae restaurat mortuum.

4. Pater Elias superest
Praeco venturi judicis,
Nec Helisaeus impar est
Dono virtutis duplicis.

5. Eremi cultor claruit,
Quo floruit religio,
His patribus invaluit
Carmelitarum concio.

6. Sit Christo summo gloria
Cum matre sua virgine,
Nobis accrescat gratia
Procedens ab origine.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 3. 10. A. — Brev. ms. Carmelit. Jerosolym. saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 187. B. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 215. C. — 1, 2 Concelebrant B. — 2, 4 Auctorizantum timens B. — 4, 3 Elisaeus nuper est B. — 5, 2 In quo floruit B.

285. De sancto Emmerano.

1. Christe, cui justos hominum favores
Caritas cum spe fideique lege
Dedicat, festo patris Emmerami
Suscipe laetos.

2. Patrios qui dum fugit incolatus
Et sacerdotum celebres honores,
Certius multo gerit ex labore
Pontificatum.

3. Noricas gentes peperit saluti,
Nutrit et signis reficitque verbis,
Donec expensum Domini talentum
Centuplicavit.

4. Hic pio fratrem redimens cruore,
Caesus et membris numerat triumphos,
Tot modis victor, vicibus quot artus
Lictor ademit.

5. Spiritus cujus jubilans in astris
Sit suis magnus famulis patronus
Et Ratisponam tueatur, almi
Corporis urbem.

6. Gloriam patri resonemus omnes
Ejus et nato jubilemus apte,
Cum quibus regnat simul et creator
Spiritus almus.

Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14600. A. — Diurn. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14664 B. — Brev. monast. S. Emmerami imp. 1571. C. — Cfr. Acta SS. Sept. VI p. 512. — Der Hymnus ist von Arnold von Vohburg (saec. XI. in.).

286. De ss. Euphemia, Dorothea, Thecla et Erasma.

1. Paterni splendor luminis,
Sanctorum spes et gloria,
Jesu, redemptor hominis,
Exsultet Aquilegia.

2. Quam decorasti virginum
Flore sub quaternario
Benedicente Dominum
Ore, corde, martyrio.

3. Sunt hi flores Euphemia,
Dorothea cum Erasma,
Thecla quoque, stella dia,
Templum Dei atque plasma.

4. Puellae natu nobiles
Nobiliores istae sunt,
Quod fide prima stabiles
Coelesti sponso jnctae sunt.

5. Quarum te, Christe, meritis
Precamur voto supplici,
Nos liberati debitis
Laetari stola duplici.

6. Sit ergo patri gloria,
Sit ejus unigenito,
Qui tanta praestat gaudia
Cum spiritu paraclito.

Brev. Aquilejense imp. Venetiis 1481. — 3, 4 atque ergänzt.

287. De sancto Evergislo.

1. Hymnizando, fideles, plaudite laudes
Evergisli meritis, pii praesulis,
Quem pietas Christi delegit sibi.

2. Is dum vixit, vita studuit mira,
Spernebat saeculum, sitiens caelum,
Hac militans pugna caruit culpa.

3. Hic claruit signis laude condignis,
Surdatis auditum, orbatis visum,
Restituit linguis fari privatis.

4. Paralysi laesos, daemone fessos,
Ferro vinculatos fecit illaesos
Et virtutum scala scandit ad alta.

5. Hujus ergo pias pulsemus aures,
Mentis et corporis ut prosit morbis,
Orans propitium pro nobis Christum.

6. Trinae unitati sorte compari
Sit laus, honor, decus, gloria, virtus
Et nunc et per omnia saeclorum saecla.

Brev. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 16. Cod. Darmstadien. 2656. — 6, 3 saeculorum saecula.

288. De sancto Faustino.

Ad Vesperas.

1. Diem hunc festum reddit ac celebrem
Celsi Faustini heroica virtus,
Quo solvitur carne, locatur aethere
Per te, rex Christe.

2. Adolens aetas, luxui proclivis,
Christum induta inhiat virtuti,
Effert Faustinum apicibus summis,
O lux beata.

3. Faustine fauste, te reddunt celebrem
Opus et nomen universo orbi,
Tenam et salem prae te fers et lucem
Vita sanctorum.

4. Tuis magister apicibus summis
Praedicas cunctis sacras Christi leges,
Flagrans in auctorem, flammis, crate ardens,
Es novum sidus.

5. Pacem ferebas gladio accinctus
Verbi et adis pacem ense ictus,
Perpetim cum palma Laurentio complex
Aurea luce.

6. Pomeranorum natio devota
Tibi nunc laetas, pastor, laudes solvit,
Quam tu perillustras fulgido corpore
Pio ex more.

7. Gadibus hujus adime tu cladem,
Pestem ac famem, bona cuncta confer,
Clerum quoque, pater, redde dignum semper
Ad coenam agni.

8. Gloria patri genitaeque proli,
Numini sancto, quo sacratur martyr,
Pontifex ungitur Faustinus, qui oret
Pro nobis, Christe.

Diurn. Caminense imp. Lipsiae 1519. A. — Brev. Caminense imp. Basileae. 1521. B. — 4, 4 Ens novum B. — 5, 2 Verbi et adiis B. — 5, 3 Perpetem B. — 7, 1 Gladibus A. — 7, 3 dignum redde B.

289. De sancto Feliciano.

1. Hymnizemus canoribus
Ad praesens dulcioribus,
Feliciani gloriam
Promentes et victoriam.
2. Qui post baptismi gratiam
Per omnem efficaciam
Divinis exercitiis
Vacabat et officiis.
3. Aeterni sata germinis
In multis spargens terminis
Extirpavit daemonia,
Christi docens praeconia.
4. Cui Decius furoribus
Accensus acrioribus
Decrevit per sententiam,
Diis dari reverentiam.
5. Deorum hic sed cultibus
Et regiis tumultibus
Insultans cultum Domini
Plus suasit cuivis homini.
6. Ob hoc tormentis quatitur,
Inde Romam aggreditur,
Iterque vinctus faciens
Defecit mortem patiens.
7. Ejus solemni gaudio
Congratulamur merito
Propter sui praesentiam
Praedignamque clementiam.
8. Ergo pari consilio
Deum patrem cum filio,
Sancto simul cum pneumate
Laudemus pio neumate.

Antiph. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hanoveran. I 101 a. A. — Brev. Mindense imp. s. l. 1515. B. — 3, 2 Qui multis spergens B. — 5, 3 Sacrum Domini B. — 5, 4 hominum B.

290. De sancta Felicitate.

1. Septena fratrum passio
Coelos decorat gaudio,
Mundus resultat laudibus,
Nos consonemus vocibus.
2. Plumbata fustigatio,
Carcerque decollatio,
Multae poenae principum
Non corda flectunt martyrum.
3. Tersis vicissim fletibus
In gaudiis coelestibus
Multa beatitudine
Regem videtis gloriae.
4. Avete, clari martyres
Fortesque Christi milites,
Per haec agonis proelia
Aeterna nacti praemia.
5. Huic nos placere poscite,
Nociva quaeque pellite,
Rogate pacem temporum
Et sanitatem corporum.
6. Praesta, pater piissime
Et nate clementissime
Sanctumque pneuma, trinitas
Et una par divinitas.

Brev. Hallense imp. Lipsiae 1534. — 2, 3 Lies Multaeque?

291. De sancta Felicitate.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater et virgo,
sponsa Christi ecclesia,
Sexaginta fortes armis,
fide, verbo et opere
Salomonis veri lectum
cingunt bysso candidum.

2. Qui cruore purpurati,
pudore candidati,
Nuptiarum agni coenam
compleverunt pariter,
Favum mellis commiscentes,
vinum cum lacte bibentes.

3. Isti sunt triumphatores
virtute mirabiles,
Qui David manu fortis
insigniti titulis
Prostraverunt Philistaeos,
legis hostes invidos.

4. Felix mater felicem
filiorum sobolem,
Instructam militaris
triumphi insignibus,
Victori duce septenas,
immolavit hostias.

5. Luminaria septena,
igne sacro splendida,
Singuli stolis albis
induti cum superis,
Incolarum hujus mundi
mementote benigni.

6. Nunc quapropter supplicantes
illis preces fundimus,
Ut dignentur nobis Christum
facere propitium,
Quem amarunt, cum quo regnant
nunc et in perpetuum.

Propr. ms. Uttenpurense saec. 16. post Brev. Casinense imp. Venetiis 1568. (Bibl. S. Stephani Augustani.)

292. De sancta Felicitate.

Ad Nocturnum.

1. Arbiter mundi superumque rector,
Da piam matrem celebrare cantu,
Cum suis gnatis nimium feroci
Morte peremptam.

2. Quantus, o mater sobolesque sacra,
Ardor aeternae patriae tenendae
Ussit, ut saevo lanianda ferro
Corpora dedas!

3. Vinciunt, vexant, feriunt et artis
Vinculis terrent, placidis tyranni
Vocibus frustra superare tentant
Pectora fratrum.

4. Ast adest mater juvenum, virili
Mente, constanti stimulare voce
Pergit et vitae peritura suadet
Rumpere vincla.

5. Et quibus vitam dedit ante partu,
Nunc eam rursus pia mater aufert,
Voce dum laeta monet astra coeli
Morte petenda.

6. Plumbeis Primus misere necatur,
Fustibus Felix cadit et Philippus,
Rupe Silvanus, reliqui reportant
Ense triumphum.

7. Ergo ades nostris, sacra turba, votis,
Rebus ut laetis mala nulla spirent,
Et fores tandem reseret supernae
Claviger aulae.

8. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo.

Propr. ms. Uttenpurense saec. 16. post Brev. Casinense imp. Venetiis 1568.

293. De sancta Felicitate.

Ad Laudes.

1. Salvete, sancti martyres.
Aeterni regis milites,
Cum angelorum coetibus
Nos ferte in coelestibus.

2. Agnum Dei sequimini,
Fratres gloriosissimi,
Cujus lavistis sanguine
Vestro stolas certamine.

3. Natalis vestri gratia
Toti sunt orbi gaudia,
Votis et hymnis gratulans,
Quae servat Christianitas.

4. Et jure nos plus omnibus
Laetamur hic festivius,
Alexandri qui martyris
Thesaurum habemus corporis.

5. Nos vestra intercessio
Coelorum commendet Deo,
Fruamur ut coelestibus
Exempti de mortalibus.

6. Hinc jam submissis vocibus
Laudes ferendo pangimus:
Sit trinitati gloria
Per infinita saecula.

Propr. ms. Uttenpurense saec. 16. post Brev. Casinense imp. Venetiis 1568.

294. De sancta Fide.

1. Virgo, flos virginum, Fides, sanctarum,
Mercans consortium passa piorum,
Sponso prompta locum intrat sapientum.

2. Gaudet laetitia lux hodierna,
Mundi per climata signis ornata,
Poscunt plebis vota justis profutura.

3. Perpes sponsa Christi hujus, exaudi
Pondus quos proprii premit delicti,
Fac, ut sint soluti laudentque redempti.

4. Sit laus Deo patri, patris et proli
Sanctoque spiritui, compar in omni
Potestate Dei per tempora saecli.

Hymn. ms. Sangallensis saec. 12. Cod. Sangallen. 18.

295. De sancto Findano.

1. Sol ille verus, qui Deus omnia
Circumdat atque vi penetrat sua
Ad usque finem occidui maris,
Laudetur usque aetheris ultima.

2. Quo comprimente saeva pericula
Actus per orbis quaelibet avia,
Findane, nostros advena terminos
Tandem subisti hoc duce praevio.

3. Tu praeda monstris factus aquaticis
Jonae videntis more prophetico,
Vitae levamen inde receperas,
Discrimen unde credere poteras.

4. Te barbarorum turba piratica
Pacis ferentem mutua nuntia,
In servitutem detinuit dolo,
Judas ut herum tradidit osculo.

5. Orbis redemptor te dedit obsidem
Pro liberandis nunc ovibus suis,
Qui pro salute mortuus omnium
Suo parente se semel obtulit.

6. Ergo sit uni laus et honor Deo,
Regi polorum, perpetuo patri,
Cui compar exstat filius unicus
Et pneuma sacrum saecla per omnia.

Hymn. ms. Campidunensis (?) saec. 11. in. Cod. Turicen. Rhenov. add. saec. 12. 83. A. — Brev- ms. Monasticum Gallicum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Turicen. Rhenov. 110. add. saec. 15. B. — Psalt ms. Rhenoviense anni 1495. Cod. Turicen. Rhenov. 21. C. — Brev. ms. Rhenoviense saec. 15. Cod. Eremiten. 761. D. — Brev. ms. Rhenoviense saec. 15. Cod. Eremiten. 762. E. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. F. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 758. G. — 1, 1 quo Deus B. — 2, 1 Quo premente B; sua pericula F. — 2, 2 a via. B — 4, 2 ferentem munera B. — 5, 1 Urbis B. — 6, 1 honor regi B. — 6, 2 Regi populorum A, Deo polorum B. — Aus A bei Werner, l. c. Nr. CLXXIV.

296. De sancto Findano.

Ad Laudes.

1. Laetetur omnis hac die
Devota plebs ecclesiae
Odas Deo laudis novae
Flagrante persolvens fide.

2. Findanus, exsul saeculi,
Concivis effectus poli,
Adeptus est perennia
Sui laboris praemia.

3. Cui noctis hujus invia
Cum singularis se fera
Inferre morsum credidit,
In se relisum pertulit.

4. Vis et latronum turbida
Per vastitatis devia
Insidiarum retia
Mortisque struxit spicula.

5. Mucrone sed verbi Dei
Armatus hic ancipiti,
Tectus salutis casside
Suffecit hostem sternere.

6. Cujus triumpho nobili
Congratulantes, socii,
Hinc conditori sedulas
Deo feramus gratias.

7. Summus parens in unico
Sit benedictus filio,
Laus et tibi, paraclite,
In sempiterno tempore.

Hymn. ms. Campidunensis (?) saec. 11. in. Cod. Turicen. Rhenov. 83. add. saec. 12. A. — Hymn. ms. Rhenovien. anni 1459. saec. 15. Cod. Turicen. Rhenov. 21. B. — Brev. ms. Rhenoviense saec. 15. Cod. Eremiten. 761. C. — Brev. ms. Rhenoviense saec. 15. Cod. Eremiten. 762. D. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. E. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 758. F. — Cfr. Werner l. c. CLXXV.

297. De sancto Frigdiano.

1. O germen Jesse virgula,
Digne hymnorum vocibus,
Qui Frigdianum praesulem
Dedisti lucem civibus.

2. Canamus laetis vocibus,
Quae plebi zelans gloriam
Iste regis progenitus
Peregerit in Tuscia.

3. Hic lapidem in humeris
Cum clericis imposuit,
Quem nulla ars artificis
Unquam movere potuit.

4. Vaccarum par indomitum
Ad plaustrum jussit jungere,
Et lapidem impositum
Coeperunt recte trahere.

5. Lucense quondam temporum
Multos cum satis hominum,
Sed flumen ruris diluens
Ad maris traxit barathrum.

6. Quod sacer hic considerans,
Parvum accepit rastulum,
Orato Jesu lacrimans
Flumen duxit innoxium.

7. Signa hic egit plurima,
Construxit multa limina,
Semper instabat coelitus
Assiduus vigiliis.

8. Hic prudens, mitis, sobrius,
Sancta dum finit opera,
Cum meritorum fructibus
Ad coeli scandit sidera.

9. Hoc tua da canentibus
Canonicorum coetui,
Tu eos fove precibus
Coelique bonis perfrui.

10. Sit patri laus ingenito,
Honorque nato sit laudis
Simulque sit paraclito
In saeculorum saeculis.

Diurn. ms. S. Frigdiani Lucen. saec. 15^{16}. Cod. S. Frigdiani s. n. — 5, 1 sq. verdorben? — 6, 1 consideras. — 10, 1 laus Domino. — 10, 2 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — Zu diesem Hymnus gehörte ein Reimofficium mit dem Anfange ad Magnificat:

Grata proles regis Ultoniae
Spreta mundi pompa militiae
Ad Romanae lumen ecclesiae
Pergit nitens corporis specie.

Es sind aber von demselben nur sieben Antiphonen vorhanden.

298. De sancto Gabriele.

Ad Vesp. et Noct.

1. Veneremur Gabrielem
Vespertino tempore,
Instruentem Danielem
Reserato pectore,
Occidendumque fidelem
Christum dicit corpore.

2. Zachariae ministranti
Suae vicis studio
Hic apparet, corruenti
Prae timore nimio,
Non credentem commonenti
Verbi privat gaudio.

3. Salutis conditionem
Nuntius hic attulit,
Dum Mariae lectionem
Ave dicens retulit,
Gratiae repletionem
In hac esse protulit.

4. In somniis, ne timeret
Virginem traducere,
Joseph monet, ut teneret,
Quod oportet credere
Deo plenam, quam videret
Mox Mariam parere.

5. Hic adfuit in dolore
Jesu Christi Domini,
Sanguineo dum sudore
Poenam pandit animi,
Quam confortat cum dulcore
Deo loquens homini.

6. Dum surrexit de inferno
Secum trahens animas
Christus verus die terno
Veterum sanctissimas,
In vestitu hic superno
Pias monet feminas.

7. Laus perennis creatori,
Deo, patri omnium,
Filioque, redemptori
Cunctorum fidelium,
Sancto quoque donatori
Sit aequale gaudium.

Psalt. ms. Franciscan. Trajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J. 4. — Brev. Romanum imp. Parisiis 1531. B. — 4, 1 In somnis B. — 5, 5 Lies Quem? — 6, 1 Cum B. — Mel: Pange lingua.

299. De sancto Gabriele.

Ad Laudes.

1. Gaudeamus gratulantes
Gabrieli nuntio,
Hymnos demus concinentes
Alacri commercio,
Trinum Deum venerantes
Concordi consilio.

2. Ab excelsis jam descendit
Dictus fortis robore,
Se Mariae nunc ostendit
In assumpto corpore,
Ave dicens genu pendit
Summo fulgens decore.

3. Stupefactam consolatur
Dulci fans eloquio,
Super omnes protestatur
Gratiarum fluvio
Plenam esse, veneratur
Benedictam filio.

4. Incarnandi verbi Dei
Reserat mysterium,
Non hoc esse viri rei
Profert ministerium,
Sed spiritus almi Dei
Summum magisterium.

5. Quod promittit, asseverat
Miro testimonio,
Sterilem, quae nuper erat,
Impregnatam filio
Testem ducit, ut hanc quaerat
Virgo ducta studio.

6. Uni summae trinitati
Decus et imperium,
Gabrielis claritati
Sit perenne gaudium,
Quo captemus verbi sati
Supernale praemium.

Psalt. ms. Francisc. Trajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J. 4. — Brev. Romanum imp. Parisiis 1531. B. — 5, 4 impraegnari A.

300. De sancto Gabriele.

1. Urbs Nazareth, flos de flore,
Audi evangelium:
Jesse virga, ros de rore,
Gignit rosa lilium,
Cum Maria miro more
Profert Dei filium.

2. Venit Gabriel e coelo
Nuntius altissimi,
Non alatus tectus velo,
Sed vultu placabili,
De sponsi adventu zelo
Nova dicit virgini.

3. Audit virgo et miratur,
Gabriel dixit ei:
Ne timeris, nam dignatur
Venire verbum Dei,
Omne, quod vult, operatur,
Inclina cor fidei.

4. Post responsum gratum, bonum
Et adventum Domini,
Gaudet Gabriel ad votum
Vale dicens virgini,
Tunc in coelo facit notum,
Angeli, laetamini.

5. His auditis gaudet multum
Tota coeli curia,
Nam amplius est indultum,
Ut fiat ecclesia,
Per hominem jam assumptum
Et in terra gloria.

6. Semper sanctae trinitati
Laus et jubilatio,
Exin verbi incarnati
Detur benedictio,
Nazarenae civitati,
Mariae et nuntio.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Mus. Luciburgen. s. n.

301. De sancto Gabriele.

Ad Vesp. et Laud.

1. Mentibus laetis jubilemus omnes
Plectra tangentes fidibus canoris,
Inclitus quando Gabriel ab alto
Fulget Olympo.

2. Virginis summae paranymphus adest
Hodie nobis, simul angelorum
Plurimis, Christum venerans triumphis
Concio tota.

3. Principis laudes Gabrielis ergo
Concinat noster chorus iste, quando
Unus ex septem trepidando patet
Orbibus illi.

4. Nuntius coeli, mediator idem
Exstat et lumen Gabriel ubique,
Solus et mundo reserat secreta
Jussa tonantis.

5. Nuntia nobis, Gabriel, precamur,
Pacis aeternae speciale munus,
Quo poli tandem teneamus aulam
Semper ovantes.

6. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo.

Brev. Romanum imp. Venetiis (Greg. de Gregoriis) 1521. A. — Brev. S. Benedicti Vallisoletani imp. in Monast. ss. Facundi et Primitivi 1542. B. — Hymn. Franciscan. imp. Salisburgi 1685. C. — 1, 2 Nuntium coeli veneremur alti B. — Str. 2 u. 3 fehlen B. — 3, 2 quando est C. — 3, 3 septem, Domino qui adstant C. — 3, 4 Jussa sequentes C. — 4, 2 Exstat et summus Gabriel B; Exstat a summis Gabriel C. — 4, 3 Laetus et mundo C. — 4, 4 Omnipotentis C. — 6, 3 reboat per omne A. — 6, 4 Tempus ubique A.

302. De sancto Gabriele.

Ad Matutinum.

1. En, noctis medium, surgite propere,
Cantemus Domino jam novo cantica,
Hac hora Gabriel nam fuit omnibus
Vitae nuntius optimus.

2. Hac hora Dominum virginis alveus
Humano generi protulit insuper,
Devictis pariter funditus hostibus
Victor surgit ab inferis.

3. Surgentes igitur mitibus invicem
Oremus precibus coelica numina,
Praesertim Dominum, qui dedit angelum,
Curam qui gerit omnium.

4. Quae virtus hominis promere sufficit,
Quae mundo Gabriel munera conferat?
Sanctas hinc animas visere Dominum
Praesto ducit in aethera.

5. Te princeps igitur inclite quaesumus,
Pro nobis miseris poscito gratiam,
Fac et propitium, qui valet omnia,
Nobis ut veniam afferat.

Brev. Romanum imp. Venetiis 1521.

303. De sancto Gangolpho.

1. O martyr celse Jangolphe,
Poscentibus adsta pie
Et in arcem aetheream
Oraturos nunc eleva.

2. Effulgens signis virtutum
Testis mitis regis veri,
Ipsum implora sedule,
Quo purgemur a scelere.

3. O pater dulcis, dignare
Catervulam hanc tueri,
Quo immunis a crimine
Congratuletur ubique.

4. Deitas una, da nobis
Perpetim adscribi tibi,
Mens erigatur ad astra,
Ne denuo cernat ima.

Hymn. ms. Benedictin. saec. 13. Cod. Capit. Mediol. s. n. — 3, 3 Quo inniveo a crimine.

304. De sancto Georgio.

1. Martyr Christi sanctissime,
Miles excellentissime,
Georgi praeclarissime,
Precata nostra suscipe.

2. Qui tyrannum devicisti,
Dacianum subegisti,
Nos praecepta decalogi
Servare fac, o Georgi.

3. Summo patri et filio
Cum spiritu paraclito
Sit laus, decus et gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Theol. IV 30.

305. De sancto Gereone et Sociis.

1. Laeta martyribus mente canamus
Thebeis proprium dulciter hymnum,
Quorum terrigenis festa revexit
Solis vinicoqui splendidus axis.

2. Nunc vites avidis musta colonis
Exsudant ebria, sed pia nobis
In Christo solida vite rubentes
Hi dant melliflui gaudia botri.

3. Diri quos rabies saeva tyranni
Discerpsit lacerans Maximiani,
Fido bis decimis dente resectis
Prelo nectareas subdidit uvas.

4. Hinc musti scaturit dulce fluentum,
Quo nos ut recrees, strenue princeps
Et dux militiae sancte, precamur,
Mauriti, miseros labe gravatos.

5. Nunc felix legio strenua, mortis
Victrix, purpureo tincta cruore,
Nobis supplicibus flecte minantem
Nostris flagitiis judicis iram.

6. Sit laus digna patri, summa potestas
Sit Christo genito, sit quoque sancto
Virtus spiritui, qui Deus unus
Regnat perpetuo cuncta gubernans.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90.

306. De sancto Gerlaco.

1. Vespertinam qui ad horam
Venit bene purgans moram
Obtinuit denarium,
Aestus diurni praemium.

2. Ita qui vicit lasciva
Poenitentiae laxiva,
Sanctus Gerlacus vilium
Lavit maculas sordium.

3. Mundi vanis innodatus,
Tandem totum Deo datus
Convertit desiderium
In amorem coelestium.

4. Oret ergo nos transire
Dulci voce diem irae
Et mutare exsilium
In coeli domicilium.

5. Praesta, pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat per omne saeculum.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 1 qui vixit Hs.

307. De sancta Gertrude.

1. Mansuescunt antra tyranni
hostis invidi arida.
Surgit dum ad culmen coeli
Gertrudis praefulgida,
Aureola coronata
castitatis gratia.

2. Sponsum sequens in aethere
pastum inter lilia,
Septum turba virginali,
sprevit matrimonia
Terreni fulciti gemmis
sponsi velut taedia.

3. Dum a multis precaretur,
hanc sacro velamine
Tonsam mater commendavit
sub fratrum regimine,
Ne levi vitam teneram
macularet famine.

4. Quae dum matre privaretur,
sua domicilia
Pauperum tradit manibus,
se quoque sororibus,
Jejuniis, vigiliis,
vacans lectionibus.

5. Haec dum neci aptaretur,
diem sui exitus
Divino praesciens nutu,
una cum sororibus
Tota nocte persistebat
in orationibus.

6. Ad ipsius bustum Deus
multa mirabilia,
Operatur maestis donans
optata solatia,
Exstant infantis submersi
pia beneficia.

7. Ergo, virgo et patrona,
nos in throno sedenti
Commendato regi coeli
per saecula regnanti,
Ut solutis necis nodis
perfruamur gaudiis.

Brev. ms. Saganense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Wratislavien. I F 448.

308. De sancta Gertrude.

1. Virginis sacrae veneremur omnes
Festa Gertrudis recolendo mira
Gesta virtutum meritis opima
Mente fideli.

2. Copiam laudis tribuunt abunde
Gratiae munus deitatis almae,
Actus et justae famulae beatae,
Ut jubilemus.

3. Ejus ad sacrum veniens sepulchrum
Quisquis afflictus rogitans medelam
Mente non ficta redit inde portans
Dona salutis.

4. Membra defuncti pueri resurgunt
Per suos flatus animata rursum
Et sibi sese superasse valde
Obstupuerunt.

5. Depulit febres, solidavit artus,
Vincla dissolvit, reseravit aures,
Reddidit linguas, oculos decorans
Lumine claro.

6. Mentibus nostris vitiis depulsis
Semitam morum precibus reforma,
Ad viam vitae revoca supernae
Barbara corda.

7. Adsit aeternus pater et creator,
Adsit et natus, sapiens redemptor,
Spiritusque adsit pius huic catervae
Vociferanti.

Antiph. ms. saec. 16. Cod. Hafnien. Ny kong. S 8. 3449.

309. De sancta Gertrude.

1. Gertrudis, arca numinis
Sponsoque juncta virginum,
Da nuptialis pangere
Castos amoris foederis.

2. Quadrima Christo nubilis
In claustra prompte convolas
Spretoque nutricis sinu
Sponsi requiris oscula.

3. Candentis instar lilii
Odore mulces sidera
Et virginali coelitum
Regem decore pertrahis.

4. Qui vivit in sinu patris
Cinctus perenni gloria,
Amatus ut sponsus tua
Recumbit inter ubera.

5. Amore Christum vulneras,
Hic te vicissim vulnerat
Tuoque cordi propria
Inurit alte stigmata.

6. O singularis caritas
Et mira commutatio,
Hic corde respirat tuo,
Tu vivis hujus spiritu.

7. Te, sponse Jesu virginum,
Beata laudent agmina,
Patri, simul paraclito
Par sit per aevum gloria.

Antiph. ms. Geisenfeldense anni 1768. Clm. Monacen. 7352.

310. De sancto Gisleno.

Ad Vesperas.

1. Nos afflictos aestu vel pluvia
Sua dies urget malitia,
Tu, spes nostra, confessor inclite,
Redde munus quietis perditae.

2. Hymnos tibi canimus vesperos,
Aurem praebens exaudi miseros,
Vinctos educ de inter inferos,
Tuos tecum deduc ad superos.

3. Sol diurnus vergit ad vesperum,
Rogamus te semel et iterum,
Deprecare communem Dominum,
Ut det nobis felicem terminum.

4. Dic, Gislene, verbum intrepidum,
Ut det nobis post mare turbidum
Portum plena quiete placidum,
Fontem boni visere lucidum.

5. Fons est pater, fons patris genitus,
Fons vitalis amborum spiritus,
In quo nostra salus est omnium,
Cui laus sit, honor, imperium.

Ex. Cod. ms. S. Gisleni Anal. Bolland. VI. 301.

311. De sancto Gisleno.

Ad Nocturnum.

1. Pulsis longe somni vaporibus,
Pater summe, da vigilantibus
Sic instare nocturnis cantibus,
Ut et corda concordent vocibus.
2. Voces quorum, Gislene, praeveni
Et pro nobis judicem conveni.
Insta, roga, supplex interveni,
Supplicibus dignanter subveni.
3. In aquarum versantes medio
Laboramus gravi diluvio,
Perituri prorsus naufragio,
Si non tua juvet oratio.
4. Ursidondus aquis intumuit,
Cujus tumor non te retinuit,
Carni forte sinum aperuit,
Sed animam coelo inseruit.
5. Ibi lumen diurnum adspicis,
Nostram tamen noctem non despicis,
Soli vacas, in quem et prospicis,
Nec a tua nos cura projicis.
6. Celebremus ergo vigilias,
Demus laeti laudes et gratias,
Sit honoris decus perpetui
Patri, nato, sancto spiritui.

Ex. Cod. S. Gisleni Anal. Bolland. VI, 302. — Der Hymnus ist als „ad Nonas“ bezeichnet, was auf einen Lesefehler zurückzuführen sein wird; vgl. 1, 3. — 6, 2 et laudes; et ist zu tilgen.

312. De sancto Gisleno.

Ad Laudes.

1. Adest dies lucidior,
Spirat aura suavior,
Gratiarum lux rutilat,
Nobis Gislenus vigilat.
2. Nobis coelum jam penetrat,
Diem venturum impetrat,
Pro nobis adstat judici,
Juvat prece nos supplici.

3. Orat, ut nobis hodie
Oriatur lux gratiae,
Pleno cujus meridie
Plena fruamur requie.

4. Patri semper ingenito,
Filio soli genito,
Spiritui paraclito
Sit laus honore debito.

Ex. Cod. S. Gisleni Anal. Bolland. VI, 302.

313. De sancto Gordiano.

1. Sempiterne dominator,
Christe, mundi conditor,
Amans tuo persistentes
in agone milites,
Confortasti Gordianum,
agonistam maximum.

2. Qui praeclara stirpe cretus,
nempe miles aulicus
Atque gerens Juliani
vicem regis impii,
Eminebat praepollenti
dignitate saeculi.

3. Tunc instructus fide tua
per devota pectora,
Parvipendens temporalis
almitatem Caesaris,
Est secutus te coelestem
prompta mente principem.

4. Jam tyranni blandimenta,
saeva spernens verbera,
Et festinans per tormenta
ad coelorum dindima,
Caput suum sicut ovis
pro te dedit jugulis.

5. Conjunxisti cui fortem
Epimachum militem,
Carnificum qui flagella
contemnebat plurima
Et per poenas ad supernam
properabat regiam.

6. Quorum festa celebrantes
te rogamus supplices,
Ut juvamen nos eorum
sentiamus sedulum,
Quos precari non cessamus
submissivis precibus.

7. Hoc concede, pater summe,
patris hoc et unice
Nate dignans condonare,
sancto juncto pneumate
Nunc et semper nobis tuam
dona clemens gratiam.

Brev. ms. Disertinum saec. 12. Cod. Sangallen. 403. add. saec. $^{12}/_{13}$.

314. De sancto Gregorio.

1. Sancte Gregori, magni pastor meriti,
Doctor praeclarus, vere Dei famulus,
Sacerdos Dei, pontifex et populi
Urbis Romanae, tanto dignus nomine.

2. Quibus hac vita demonstrasti pabula
Vitae aeternae permansura lumine,
Docens terena fore transitoria,
Nil in hac vita carnis prosit gloria.

3. Qui meruisti coeli portas ingredi
Et regi Christo adsistere Domino,
Tibi commissum supplicantem populum
Commenda pio creatori Domino.

4. Ut Christianus mereatur populus
In hac mortali semper vita protegi
Et absoluto peccatorum vinculo
Vivat cum patre in aeterna requie.

5. Praestet hoc nobis pater, qui est in coelis,
Cum coaeterno semper sibi filio,
Hoc virtus sancti annuat paracliti,
Trinitas sancta per aeterna saecula.

Brev. ms. Wirceburgense saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 518. — 2, 1 Quibus in hac vita Hs. Lies Quis in hac?

315. De sancto Gregorio.

Ad Vesperas.

1. Laetetur orbis quadruus
Piis concertans laudibus,
Adest festum Gregorii,
Pontificis eximii.

2. Hic sacro fervens studio
Totum se vovit Domino,
Verbis, scriptis et opere
Propagator ecclesiae.

3. Gentem convertit Anglicam
Colentem idolatriam,
Missis praedicatoribus
Adscribens Christi ovibus.

4. Spiritu sancto didicit
Magistro, quidquid edidit,
Favos destillans mentibus
Nunc sermone nunc cantibus.

5. Sancto sanctorum gloria
Tanti patris memoria
Ab angelis et homine
Dicatur omni tempore.

Propr. Boscoducense imp. Antwerpiae s. a.

316. De sancto Gregorio.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, confessoris
Incliti praeconium,
Melodiam formet oris
Fervens ardor mentium,
Intus corda, lingua foris
Personent Gregorium.

2. Tamquam Aaron electus
Christi praeest ovibus,
Pastor vigil, zelo rectus,
Sed suavis moribus,
Velut Moyses dilectus
Deo et hominibus.

3. Modulantis harmoniae
Renovans dulcedinem
Et reformans hierarchiae
Subcoelestis ordinem
In se David et Josiae
Pertulit imaginem.

4. Simul morbis lacessitus
Et bellorum turbine
Perstat fortis, alte situs
In virtutis culmine,
Job et Josue munitus
Bina fortitudine.

5. Tibi summa sit majestas
Gratiarum actio,
Honor, virtus et potestas,
Laus et benedictio,
Quae coelestis regni praestas
Gloriam Gregorio.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. S. Salvii Florent. saec. 15. Cod. Riccardian. 372. B. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. C. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. D. — 4, 1 morbo A. — 4, 2 turbidine D. — Ad Nocturnum C.

317. De sancto Gregorio.

Ad Nocturnum.

1. Laudis opus ut honori
Serviat opificis
Collaudari te, Gregori,
Decet modis musicis,
Per quem servit conditori
Mundus laudum canticis.

2. Christi vice tu praelatus,
Sed subsistens humilis,
Christo semper es conatus
Inveniri similis,
Ut praeesses Deo gratus,
Mundo venerabilis.

3. Primo confert te pastori
Fidei constantia,
Paulo sensus, praecursori
Victus parsimonia
Et Joanni seniori
Mentis eminentia.

4. O vas auri, pretiosis
Renitens lapidibus,
Quasi coelum radiosis
Emicans sideribus,
Affer opem gloriosis
Meritis et precibus.

5. Tibi summa sit majestas.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. S. Salvii Florentini saec. 15. Cod. Riccardian. 372. B. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. C. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. D. — 3, 3 sensus fehlt A.

318. De sancto Gregorio.

1. Fulget in coelis celebris sacerdos,
Stella doctorum rutilat in astris,
Fidei sacros radios per orbis
Climata spargens.

2. Israelita pius et fidelis
Hac die junctus angelis in alto
Regis superni meruit serenum
Cernere vultum.

3. Cive tam claro, Sion o superna,
Laeta dic laudes Domino salutis,
Jubila, tellus, meritis protecta
Praesulis almi.

4. Hic fidem sacram vigilanter firmat,
Arma errorum subigit potenter,
Maculas morum lavat et repellit
Dogmate claro.

5. O gregis Christi speculator alme,
Norma pastorum, monachorum gemma,
Speculum cleri, pater orphanorum,
Sancte Gregori.

6. Tu Dei nobis faciem placato,
Donet ut nobis veniam reatus,
Dona virtutum ferat et perennis
Gaudia vitae.

7. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saecli.

Orat. ms. Schonaugiense saec. 12; daraus bei Roth, die Visionen der hl. Elisabeth von Schoenau, Brünn 1884. S. 341 sq. Roth nennt als Verfasser Ecbert von Schönau, was vielleicht richtig, aber nicht über Zweifel erhaben ist.

319. De S. Gregorio et Sociis.

In 1. Vesperis.

1. Gaude, tellus fructuosa
Natis, Mauritania,
Quorum morte pretiosa,
Quae fit in Colonia,
Spatiosa, gloriosa
Coeli gaudet regio.

2. De loginquo qui venerunt
Et pro Christi nomine
Dimicantes perstiterunt
Fortes in certamine,
Rubricarunt et sanxerunt
Hanc effuso sanguine.

3. Passi simul hi tercentum
Sexaginta socii
Dant Colonis supplementum
Praesentis auxilii
Et salutis incrementum
In die judicii.

4. Nulli tantum meruerunt
In hoc mundi proelio,
Ut qui semet impenderunt,
O fidelis concio,
Fido tuis, qui te quaerunt,
Adsta patrocinio.

5. Honor patri sit et nato,
Laus cum sancto spiritu,
Qui purgatos a peccato
In extremo transitu
Claudat fine nos beato
Maurorum intuitu.

Antiph. ms. S. Gereonis. Colonien. s. n. saec. 15. A. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90 B. — Melodie: Pange lingua.

320. De sancto Gumperto.

1. A fundamenti ordine
Morum gesta inspicite
Sancti Gumperti merita,
Quae fecit in ecclesia.

2. Fundans Mariae virgini
Ecclesiam et inibi
Cultum auxit dominicum
Instituens collegium.

3. Sancto Johanni pariter
Templum struxit hilariter
Ibique humo tegitur,
Post inde huc transvehitur.

4. Ibi pro suis meritis
Dei dona recipiunt,
Qui huc devoti veniunt
Et pia vota offerunt

5. Eja, patrone inclite,
Sancte Gumperte, porrige
Pro nobis preces hodie,
Matris Christi juvamine.

6. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patrique filio
Cum sancto sit spiramine
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Onolsbacense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mp. th. o 11. A. — Brev. ms. Onolsbacense saec. 15. Cod. Wirceburgen. M. ch. o 3. B.

321. De sancta Hedwige.

1. Coeli sonant, nos canamus,
Laetetur Polonia,
Generosae recolamus
Ducissae solemnia,
Prece cujus ascendamus
Ad aeterna gaudia.

2. Haec Hedwigis, Christi rosa,
Flore florens gratiae,
Sibi spina stimulosa
Poenis poenitentiae,
Alienis fructuosa
Nardus alimoniae.

3. Corpus extra castigavit
Zona cum cilicio,
Intus carnem maceravit
Fletu cum jejunio,
Cor in fine roboravit
Vera contemplatio.

4. Ad quid loquar, quos gustavit
Panes, cibos, pocula?
Sic luctando terminavit
Hujus vitae saecula,
Pro qua Deus tot monstravit
In terris miracula.

5. Suscitatur puer sanus
Rotatus in flumine,
Dependentes levat manus
Simon quidam nomine,
Orba visu videt anus
Restaurato lumine.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I O 73. A. — Brev. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 249. B. — Brev. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 77. C. — 3, 5 Quo in fine roboravit AB. — 5, 5 Urba visu visu B.

322. De sancta Helena.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Aponia,
Gaude de Christi munere,
Laudes vi notae varia
Corde promens et opere.

2. Helena quod sanctissima
De te nascendo prodiit,
Rite detestans infima
Coeleste regnum petiit.

3. Terreni regis filia
Coelesti regi placuit,
Electum super milia
Quaerens invenit, tenuit.

4. Conjuncta coeli civibus
Vitae potatur flumine,
Divinis vacans laudibus
Lumen videt in lumine.

5. Laeta stupet Jerosolyma
Fractis naturae regulis,
Dum sanctae per suffragia
Fulgent miranda saeculis.

6. Vita defunctis redditur,
Aegris confertur sanitas,
Claudus directe graditur,
Caecos illustrat claritas,

7. Hanc ergo dignis laudibus
Nostra collaudet concio,
Quae nos profusis fletibus
Dei commendet filio.

Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. — 1, 4 promans. — 4, 3 Divino vacans lumine. — Vgl. Anal. IV, 130 sq.

323. De sancta Helena.

1. Aureos solis rotat, ecce, currus
Haec dies semper veneranda nobis,
Qua sacrae coelos Helenae subivit
Spiritus almus.

2. Cujus obtentu studioque lignum
Regis aeterni rutilat retectum,
Quodque sacratum latuit sepulchrum
Luce coruscat.

3. Haec carens hostis jaculum maligni
Obtegi ferro docuit terebrum,
Quo manus Christi vulnerata curat
Vulnera nostra.

4. Sancta priscorum recolensque vatum
Dicta fraenari monuit habenis
Ora cunctorum redimita clavis
Vulneris agni.

5. Plura mirantes pietatis ejus,
Lingua quae nec mens valet experiri,
Credimus cujus precibus foveri
Nocte dieque.

6. Gloriam patri resonemus omnes,
Gloriam nato pariterque sancto
Flamini noster chorus et resultat
Omne per aevum.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 subiit. — 5, 2 valet exprimere.

324. De sancto Hieronymo.

1. Hieronymus, flos doctorum,
Dos aeternae scientiae,
De choro seraphicorum,
Vir dulcis eloquentiae.

2. Hieronymi florens vita
Aerumnis et laboribus
Tersa exstat et polita,
Nitet plena fulgoribus.

3. Hieronymo modulemur
Triumphum super aethera
Et constanter ei femur:
Tu nova scis et vetera.

4. Hieronymum Augustinus,
Eusebius et Cyrillus
Laudant, quod totus divinus
Est, clarus, fervens, tranquillus.

5. Hieronyme, pie pater,
Servis propinet luteis
Hoc tuus mellitus crater,
Quod hauserat de puteis.

6. Hieronymo sempiterno
Fruamur modulamine,
Qui divino nos Falerno
Replet et sacro flamine.

7. Sit nunc semper uni trino
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos morsu serpentino
Eruat et aporia.

Psalt. ms. Engelbergense 40. saec. 15.

325. De sancto Hieronymo.

Ad Vesperas.

1. Collaudemus venerantes
Beatum Hieronymum,
Eremitam, confessorem,
Doctorem eximium,
Ex Haebreo in Latinum
Translatorem optimum.

2. Carnem domat, aspernatur
Opes, mundi culmina,
Orat, plorat, meditatur,
Arguit et crimina,
Scribit, legit, operatur
Plurima volumina.

3. Velut stella matutina
Lucens mundo oritur,
Vita, signis et doctrina
Tribus linguis loquitur,
Quibus sacra lex divina
Ab illo exponitur.

4. Pro his digne praedicatur
In coelesti patria,
Virgo, doctor coronatur
Duplici aureola,
Nude Deum contemplatur
Per aeterna saecula.

5. Hujus contemplationis
Consortes efficiat
Nos, si bonae actionis
Meritum deficiat,
Suae magnae proportionis
Partem nobis tribuat.

6. Gloriam patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam paraclito,
Qui Deus trinus et unus
Exstat ante saecula.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520.

326. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Sanctus doctor Hieronymus
Dulci laudetur carmine,
Quem illustravit coelitus
Splendor paternae gloriae.

2. Hic margaritam reperit,
Pro qua cuncta deseruit,
Adspirans ad aetherea
Aeterna Christi munera.

3. In mortalique corpore
Vitam peregit caelibem,
Plaudit pro dato munere
Urbs beata Hierusalem.

4. Haurit arcana fidei
Et dulcorem eloquii,
Ex te, fons sapientiae,
Lucis creator optime.

5. Officium composuit
Divinum, libros transtulit,
His mundo patefaciens
Verbum supernum prodiens.

6. Signis clarescens variis,
Doctrina et virtutibus,
Summis potitur praemiis,
Exsultet coelum laudibus.

7. Simplex et trina deitas,
Per ipsius suffragia
Da post mundi miserias
Beata nobis gaudia.

8. Sit laus patri cum flamine,
Salus, decus, imperium
Tibique, patris unice,
Christe, redemptor omnium.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520.

327. De sancto Hieronymo.

In 2 Vesperis.

1. A solis ortus cardine
Et usque terrae limitem
Te doctrina, Hieronyme,
Vitaque reddunt celebrem.

2. Beatus auctor saeculi
Sacro te replet numine,
Scribis, dictas, transfers libros,
Studes, oras assidue.

3. Castae parenti jugiter
Exstas devotus Domini,
Die, noctu alacriter
His corde servis supplici.

4. Domus pudici pectoris
Tui fit Dei mansio,
Carnem domans jejuniis,
Conversaris in eremo.

5. Enixa est puerpera
Virgo Deum in Bethlehem,
Caduca spernens omnia
Vitam quo ducis caelibem.

6. Foeno, quo Christus jacuit
Inter bovem et asinum,
Prae cunctis tibi placuit
Locus in habitaculum.

7. Gaudet chorus coelestium
Pro tali dato collega,
Qui baptistae par praemio
Est sola dempta aureola.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui nos prece Hieronymi
Mundes ab omni crimine
Coelique jungas agmini.

Brev. ms. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — Die ersten Zeilen aller Strophen (6, 1 nur teilweise) sind den entsprechenden Strophen des Weihnachtsliedes des Sedulius entlehnt.

328. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Christe, sanctorum omnium
Aeterna salus hominum,
Honor te decet Dominum,
Qui laureas Hieronymum.

2. Hic haereses eliminat,
Errorum nubes profugat,
Dissolvens nodos reserat,
Aenigmata dilucidat.

3. Doctrinae panem tribuit,
Laqueum mortis diripit,
Ex falso verum elicit,
Scutum et arma conterit.

4. Scripturae planat aspera
Tranquilla praebens foedera,
Aufert pravorum scelera
Cuncta probans per opera.

5. Linguas dispersas aggregat,
Malo concordes segregat,
Egenti manum erogat,
Christo fallenti derogat.

6. Mentem arentem irrigat,
Vecordem pie mitigat,
Infertilem fructificat,
Peccatorem aedificat.

7. Lucerna patens radiat,
Verbum aeternum seminat,
Horas distinguens ordinat
Et collisos alleviat.

8. Legem, quae linguis evagat,
Sub una mire congregat,
In libris sic nidificat,
Quod fructuose pullulat.

9. Studendo se exercitat,
Saecli curas suppeditat,
Pro fine Christum quaeritat,
Cujus dono sic rutilat.

10. Tantorum ad memoriam
Summo canamus gloriam,
Per cujus hic victoriam
Labentem sprevit scoriam.

Propr. Boscoducense imp. Antwerpiae s. a.

329. De sancto Hieronymo.

In 2. Vesperis.

1. Pange, lingua, gloriosi
Doctoris praeconium,
Actis, verbo pretiosi,
Venerantis Dominum,
Et exaltent amorosi
Celebrem Hieronymum.

2. Literas, linguas, elementa
Fere novit omnium,
Sed frequentius commenta
Perorans gentilium,
Caesus liquit documenta
Amplius similium.

3. Sese totus segregavit
In opus dominicum,
Se divinae mancipavit
Legi, quaerens unicum
Dei verbum, sic lustravit
Iter evangelicum.

4. Irroratus coeli rore
Fructum multum contulit,
Suo legem cum labore
Priscam vere transtulit,
Novam et eodem more
Sub latino retulit.

5. Inclitus interpres verus
Nedum sacrae paginae,
Fecit plura, quibus clerus
Fulget cum indagine,
Brevis semper et sincerus
Clara de propagine.

6. Lucens ardensque lucerna,
Fecit nam, quod docuit,
Morum sedulus pincerna
Universis profuit,
Obit docens ad superna
Migrans, nulli nocuit.

7. Talis, tantus, doctor sancte,
Divis in oraculis,
In decessu post et ante
Stupendis miraculis
Late clares Deo dante,
Nos emunda maculis.

8. Hostis fremis vitiorum,
Fidei propagulum,
Flagellum haereticorum,
Moestis es umbraculum
Semper virgo, norma morum,
Pede terens zabulum.

9. Sit jucunda, sit decora
Summi trino nomini
Laus perennis omni hora,
Cujus dono Domini
Tam praeclara, sic sonora
Fulget laus Hieronymi.

Propr. Boscoducense imp. Antwerpiae s. a.

330. De sancto Hieronymo.

1. Sancte doctor Hieronyme,
Inter doctores maxime,
Clarens in sacris literis,
Refulgens flos in superis.

2. Ars ornans te rhethorica,
In vita plus theorica,
Damnavit Ciceronica,
Nunc salvat ars te polica.

3. Refulsit omnis veritas
Cardinalisque dignitas,
Paternalis insignitas,
Vitae castae sinceritas.

4. Te leo ferox quaeritat
Sanandus atque visitat,
Salvandum se non haesitat,
Servire tibi se litat.

5. Desperans, cerne talia,
Per hunc quae sunt et qualia,
Peccata qui mortalia
Laxat et venialia.

6. Sacerdos hic inungitur
Et in papam decernitur,
Sed hoc ab eo spernitur,
Coelestibus adjungitur.

7. Da, pater, in hoc neumate,
Jesu, cum sancto pneumate,
Ut nos doctoris precibus
Jungamur poli civibus.

Brev. Bremense imp. Coloniae 1486. — 1, 4 Refulgens nos in. — 2, 4 salvet; polita. — 4, 4 tibi celicat.

331. De sancto Hieronymo.

Ad Vesperas.

1. Proles de coelo prodiit
Magnificique generis,
Hieronymus dum adiit
Superni regnum culminis.

2. Spoliat Romam gaudio
Monachosque, quos genuit,
Christi jungit consortio,
Genus superni numinis.

3. Assumptus cum apostolis
Gaudet horreo Domini,
In paupertatis praediis
Exsultat nunc cum jubilis.

4. Legi, prophetae primitus
Gerit gratum obsequium,
Post factus servus Domini
Monastico sub ordine.

5. Calens sed carens febribus,
Christi aestuans amore,
Moriens monet precibus
Fratres regens cum rigore.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 1, 1 Proles Deo prodiit. — 1, 2 que ergänzt. — 1, 3 dum ergänzt. — 2, 1 Romanos. — 2, 2 que ergänzt. — 3, 2 in horreo. — 3, 3 Paupertate praediis. — 3, 4 Exsultent nunc Christo jubilis. — 4, 1 Lex et prophetae. — 4, 3 Post ergänzt. — 5, 1 Calens caret. — 5, 3 Mori monet. — 5, 4 cum ergänzt. — Vgl. den Hymnus Mone III, 308 (Nr. 932), an welchen der vorliegende nicht selten anspielt.

332. In Elevatione s. Hiltrudis.

Ad Vesp. et Laud.

1. Hortus ecclesiae fragrans deliciis,
Florem munditiae praesignans liliis,
Odorem gratiae fudit in Laetiis,
Hiltrudem Christo foederans.

2. Quae claris clarior orta natalibus,
Formam formosior excessit moribus
Fortemque fortior vicit virtutibus,
Hostem in Deo superans.

3. Spretisque nuptiis ducis Burgundiae,
Vacans jejuniis et parsimoniae
Abdit se Lactiis, grandis laetitiae
Causa futura posteris.

4. Jam sponsi sedula castis amplexibus
Confert ad oscula se votis omnibus,
Ut fumi virgula ex aromatibus
Odorem spirat superis.

5. A mundi vitiis mundans nos expia
Patremque filiis, mater, concilia,
Et tecum gaudiis in coeli curia
Nos jungat vera caritas.

6. Patri et filio sanctoque flamini
Psallat haec concio devota virgini,
Cujus praesidio nos trino numini
Apponat una trinitas.

Wonderlyk Leven van de h. Maghet Hiltrudis. Tot Loven 1770. p. 38. — Der Hymnus erscheint als ein alter, weshalb er hier mitgeteilt ist.

333. In Elevatione s. Hiltrudis.

Ad Nocturnum.

1. Sanctarum mentes virginum
Confortas, auctor luminum,
Sibique reddit placitum
Sanctae Hiltrudis meritum.

2. Quae, ne quid agat temere,
Christo disponit nubere.
Praeventa Christi gratia
Mundana fugit gaudia.

3. Procos spernit, lasciviae
Non cedit, parsimoniae
Studet Christi discipula,
Brevi reclusa cellula.

4. Vivendo solitarie
Meretur regnum gloriae,
Vitam claudens feliciter
Vita vivit perenniter.

5. Deus donis interminis
Donavit fidem virginis,
Cujus quae sint insignia,
Signa fantur sequentia.

6. In ipsius memoria
Sit trinitati gloria,
Patri, nato, paraclito,
Divinae dextrae digito.

Wonderlyk Leven van de h. Maghet Hiltrudis. Tot Loven 1770. p. 39.

334. De sancto Hippolyto.

1. Chorus novae Jerusalem
Promat Christum laudabilem
Pro martyris memoria
Hippolytique gloria.

2. Qui divino suffragio
Ereptus e naufragio
Per hortulum ecclesiae
Ad portum venit gloriae.

3. Sed tempestate praevia
Caesus, tractus per devia,
Probatus passionibus,
Effectus martyr inclitus.

4. Valerianum, Decium
Sprevit, omne supplicium
Contempsit propter Dominum,
Qui est et salus omnium.

5. Cujus tota familia
Cum nutrice Concordia
Per martyrii supplicia
Intrant cum palma gaudia.

6. Quorum nos, Christe, precibus
Culparum munda faecibus
Et transfer nos ad gaudia,
Ubi regnas per saecula.

Brev. Patavience imp. Augustae 1495. A. — Brev. Patavience imp. Venetiis 1508. B. — Brev. Patavience imp. Venetiis 1515. C. — 1, 3 martyriis ABC, memoria ergänzt. — 2, 2 Exhortans naufragio ABC. — 3, 4 Effectus est ABC. — 4, 2 Sprevitque omne C, sprevit omneque BC. — 6, 3 nos fehlt ABC.

335. De sancto Huberto.

Ad Vesperas.

1. Laudis hymnus decantetur
Christo regi gloriae,
Ei nostrae praesentetur
Organum melodiae,
Quem Hubertus intuetur
Revelata facie.

2. Saecli pompam abdicavit
Lamberti consilio,
Se divino mancipavit
Hubertus obsequio
Ac in Christi vigilavit
Sedulus officio.

3. Post Lamberti martyrium,
Praeclari pontificis
Insignitur per Sergium
Infulis magnificis
Fitque pastor Tongrensium
Jussibus angelicis.

4. Plebi suae praedicavit
Spem supernae gloriae.
Quam Dominus praeparavit
Haeredibus gratiae,
Sic subditos informavit
Verbo sapientiae.

5. Hunc patronum extollamus
Per laudum praeconia.
Ei grata studeamus
Offerre servitia,
Ut adesse sentiamus
Sua nobis praemia.

6. Deo patri sit potestas,
Filio prudentia,
Coaequalis sit majestas
Paraclito gratia,
Qui confortet mentes maestas
Perenni laetitia.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2 A. — Brev. ms. saec. 14. Cod. Dusseldorpin. C 60. B. — Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. C. — Antiph. ms. Franciscanum saec. 16 Cod. Bruxellen. 6433. D. — 1, 1 Hymnus laudis AD. — 2, 3 divino dedicavit B. — 4, 5 infamavit A. — 6, 5 Qui consortes A. — Mel. Pange lingua D.

336. De sancto Huberto.

Ad Laudes.

1. Novum melos decantemus
In Huberti nomine,
Votum mentis ordinemus
Cum vocali carmine,
Ut condigne resonemus
Sub hoc moderamine.

2. Militare concupivit
In adolescentia,
Jugum Christi post subivit
Spreta mundi gloria,
Hunc Lambertus erudivit
Morali scientia.

3. Ut Lambertus transmigravit
De carnis ergastulo,
Illum papa decoravit
Pastorali baculo
Et defuncto subrogavit
Divino miraculo.

4. Curam rexit feliciter
Tungrensis ecclesiae,
Gestans in manu jugiter
Stateram justitiae,
Effundens cunctis largiter
Oleum clementiae.

5. O Huberte, ubertatem
Morum nobis tribue,
Corporalem sanitatem
Infirmis restitue,
Orans summam majestatem
Pro nobis continue.

6. Deo patri sit potestas,
Filio prudentia,
Coaequalis sit majestas,
Paraclito, gratia
Qui confortat mentes maestas
Perenni laetitia.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Brev. Leodiense imp. Lovanii 1498. B. — 1, 5 cum digne A.

337. De s. Jacobo Majore.

Ad Vesperas.

1. Grates demus et cantemus
Cum cordium tripudio
Nato Dei, Zebedei
Congratulanti filio.

2. Hic implevit, ut decrevit
Immensa sapientia,
Semen David demonstravit
Deifica scientia.

3. Jesum datum, nobis natum
Sine virili semine
De Maria, matre pia,
Spiritus sancti numine.

4. Scripturarum, prophetarum,
Pagina firmavit Deum,
Quod Judaei pharisaei
Falso clamant mortis reum.

5. Exclamavit, indicavit
Ore, corde et opere
Praedicando, seminando,
Divinum verbum prospere.

6. Laetus istum quia Christum
Fatebatur crucifixum,
Resurgentem et scandentem,
Ascendendo coelum fixum,

7. Est despectus et ejectus,
Decollatus, interfectus,
Fide fervens, mundum spernens,
Ergo martyr est effectus.

8. Reformare nunc dignare
Nos peccatores firmiter,
Serve Dei, quod in Dei
Sistamus spe perenniter.

9. Ut deflere mala vere
Valeamus jugiter,
Jesu Christe, sanctus iste
Conservet nos fideliter.

10. Salvet gregem, quem ad regem
Perducat, ad coelestia,
Qui est trinus Deus unus
Per infinita gaudia.

Cod. Beverin. 672. saec. 15. — „Explicit historia de sancto Jacobo, edita Hildesem anno Domini MCCCCVI ad festum beati Jacobi majoris a quodam, nomen cujus monstrat hymnus vesperalis.“ Vgl. Lüntzel, Gesch. d. Diöcese und Stadt Hildesheim II, 375.

338. De sancto Jacobo.

1. Dum poli sphaera volvitur,
Nobis novum exoritur
Sidus anniversario
De Jacobi martyrio.

2. Clarent festa celebria,
Per quae monstrat historia,
Quali virtute praeditus
Apostolus sit inclitus.

3. Hic decollatus hodie
Succedit thronum gloriae,
Felicem bibens calicem
Hostem devicit pernicem.

4. Cujus beata dogmata
Per vasti orbis climata
Credendi normam ingerunt
Et caritatem suggerunt.

5. O martyr apostolice,
Jubar legis catholicae,
Exora pro supplicibus
Tua festa colentibus.

6. Laus trinitati debita
Honor, potestas, gloria
Perenniter sit omnia
Per sacculorum saecula.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. A. — Brev. Trajectense imp. Coloniae 1517. B.

339. De ss. Innocentibus.

1. Verbum patris principium,
Proles beata coelitus,
Narrare quem nemo valet,
Dimissus terris apparens.

2. Homo videris, deitas,
Manens apud patrem ut eras,
Omnipotens inspiceris
Immortalis et cerneris.

3. Tu priscis vaticiniis
Te venturum spoponderas,
Ades, medendi pietas,
Cunctorum cura vulnera.

4. Tibi jam primum munera
Dependit Aethiopia,
Bethlem, Judaea patria
Salemque offert xenia.

5. Sanguis primus dum funditur
Natorum ipsorum strage,
Edictum regis pervolans
Occidit infantum agmina.

6. Dicto patratur citius
Herodis saeva jussio,
Abstractos ab uberibus
Allidit solo protinus.

7. Nos etiam sequi semper
Agni refert vestigia.
Quos protulit cruor sacer
Primam praemittens hostiam.

Brev. ms. Lunaelacense saec. 14. Cod. Palat. Vindob. 1950 A. — Brev. ms. Emmeramense saec. 14. Clm. Monacen. 14741. B. — 1, 1 Verbi patris AB. — 2, 4 Et cerneris immortalis A. — 5, 1 Sanguis pius A. — 7, 1 Nos et sequi A.

340. De ss. Innocentibus.

1. Hostis Herodes impie,
Christum dum vis occidere.
Pueros innocentia
Coelis coronat gloria.

2. Matrum caterva personat.
Collisa deflent pignora,
Vox in Rama est audita,
Rachel plorans tot milia.

3. O quam beatae lacrimae
Dolore martyrum editae,
Quae non carent coelestibus
Dantes loquelam gemitus.

4. Hac prole mater inclita
Fecundatur ecclesia,
Gaudet chorus angelicus
Crescitque suus numerus.

5. O Christe, rex fortissime,
O actor innocentiae,
Conjunge nos infantulis,
Qui te canunt in mortibus.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. — 1, 2 Christum Deum vis. — 1, 3 Pueris. — 1, 4 Coelos. — 2, 1 Fratrum. — 4, 2 Fecundetur.

341. De sancto Joachim.

Ad Vesperas.

1. Quem terra, pontus, aethera
Colunt, plebs laudat hominum,
Quod transtulit ad sidera
Joachim, patrem Mariae.

2. Cui luna, sol et omnia
Deserviunt, hunc creavit
Cum omni sanctimonia
Et protulit stirpe David.

3. Mirantur ergo saecula,
Deum ac hominem vere
Ex Judaea plebecula
Joachim avum habere.

4. Beata mater munere,
Mariam quae angelico
Fatu meruit gignere
Joachim, viro coelico.

5. Benedicta coeli nuntio
Verba, Joachim, audisti,
Per quem cessit confusio
Cum sterilitate tristi.

6. O gloriosa domina,
Laetare cum poliarchis,
Quia Joachim divina
Suscepit cum patriarchis.

7. Tu regis alti janua
Fac quod nobis sit pervia,
Cum filia ingenua
Dans dona tolle devia.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Avi tui precamine
Salva nos in examine.

Officia SS. Anna, Joachim, Joseph, imp. s. l. et a. (Hain 8748). — 1, 2 Colunt omnis plebs; lies laudat varie? Es fehlt nämlich sonst 1, 4 der Reim. — 2, 2 creavit hunc. — 2, 3 Cum ergänzt. — 2, 4 de stirpe. — 4, 4 Ex Joachim. — 6, 3 Quod Joachim. — 8, 4 in mortis examine. — Alle Anfangszeilen der Strophen sind dem marianischen Hymnus gleichen Anfangs entlehnt; dadurch wird dies Lied für die Textkritik jenes von Belang.

342. De sancto Joachim.

Ad Nocturnum.

1. Gaude visceribus, mater, muneribus
Joachim referta, solvens vota certa,
Expurget piae mentis
Corde natus ex parentis.

2. Cujus magnifica gesta deifica
Plebs canit sanctorum, clerus, miserorum
Tuba colat ordine
A solis ortus cardine.

3. Quae virgo peperit, Mariam comperit
Joachim se natam, juste educatam,
Quam cupivit intime
Lucis creator optime.

4. Felix multiplici pater magnifici
Ex fructu germinis sterilis seminis
Pellis voto pistico
Ex more docti mystico.

5. Te nunc suppliciter orat et jugiter
Plebs, Joachim sancte, te Deum precante
Nostra cessent sedula
Nox, tenebrae et nubila.

6. Sanctis obtineas per vitae lineas
Jungi coeli aede, Joachim, quem in sede
Locavit post somnium
Deus creator omnium.

7. Praesta, pater summe, fili architecte,
Spiritus hagie, cum patre Mariae
Frui nos victoria
Aeterna coeli gloria.

Offic. SS. Annae, Joachim, Joseph, imp. s. l. et a. — 1, 3 Ut expurget. — 3, 1 Maria. — 3, 3 concupivit. — 5, 2 Ut te Deum pro nobis precante. — 6, 1 tuae lineas. — 6, 2 Et junge. — 7, 1 pater summi filii; lies pater recte? — 7, 3 nos ergänzt. — 7, 4 In aeterna.

343. De sancto Joachim.

Ad Laudes.

1. Coeli cives, adplaudite
Et vos, fratres, concinite,
Sancti Joachim solemnia
Solis reduxit orbita.

2. Huic ergo psalmi resonent,
Huic lectiones concrepent,
Et hymnorum dulcisona
Multiplicentur carmina.

3. Quod lingua foris personat,
Intus affectus sentiat,
Nec imitari pigeat,
Quod mens laudare adprobat.

4. Hunc post mundi pericula
Coeli suscepit curia,
Quem avum Dei filius
Suum salutavit Dominus.

5. Conemur totis viribus,
Jungamus preces precibus,
Ut sancti Joachim meritis
Coeli fruamur gaudiis.

6. Tanto patrono supplicet,
Quisquis juvari indiget,
Eique jubilet cantica
Per quadra mundi climata.

7. Vita vivit feliciter
Cum filia Christifera,
Cum qua degustat dulciter
Aeterna vitae gaudia.

8. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Offic. SS. Annae, Joachim, Joseph, imp. s. l. et a. — 2, 1 ergo fehlt, ergänzt nach Daniel IV, 280 aus dem Augustinushymnus gleichen Anfangs, von dem Str. 1—5 des vorliegenden eine Bearbeitung ist. Das Original liest 2, 1 sq. Hinc ergo, Hinc lectiones. — 4, 4 Lies salutat? — 6, 3 Lies: Ei jubilet?

344. In Conceptione s. Johannis B.

1. Hymnum novum concinamus
Per mentale gaudium
Et Johannis recolamus
Conceptum mirificum,
Quem ut recte cognoscamus,
Docet evangelium.

2. Zacharias ex Abia
Traxerat originem,
Hic sacerdos erat quia,
Sanctam duxit conjugem
Ex Aaron stirpe dia,
Quam habebat sterilem.

3. Hic cum magno festo die
Functus sacerdotio
Templum introisset pie,
Deum sacrificio
Ut placaret et Judaeae
Fieret remissio;

4. Tunc incensi videt hora
Stare stantem angelum:
Exaudiris sine mora,
Qui solatur tremulum,
Uxor tua, non ignora,
Tibi gignet filium.

5. Qui diffidens veritatis
Signum poscit precibus,
Et accepit mutitatis;
Rite factis omnibus
Foris exit, fatigatis
Innuit cum manibus.

6. Plebs exspectans intellexit,
Quod secreta viderit,
Post ad domum dum perrexit,
Tunc effeta concipit,
Quae plus Deo cor porrexit,
Gaudens grates reddidit.

7. Quam semestrem visitavit
Virgo Deo gravida,
Tunc Johannes exsultavit
Matris inter viscera,
Qualis erit, reseravit,
Quantus natus, gratia.

8. Laus et honor trinitati
Sanctae sit et gloria,
Quae nos salvans in beati
Johannis memoria,
Nobis det, ut sibi grati
Laetemur in patria.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 4, 5 non ignara. — 8, 5 Nobis ergänzt.

345. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Vesperas.

1. Spiritus sancti organum
Johannes est dulcissimum,
Quo soli Deo vivere
Novit ipsius vivere.

2. Dilectus ergo Domini
Est templum sancti spiritus,
Non laesus ullo vitio,
Sed vere liber in Christo.

3. Ut virgo sine macula,
Martyr clarus cum corona,
Fers flores virgo candidas
Et ut martyr purpureas.

4. Praestet hoc pater omnium
Per suum unigenitum,
Per almum quoque spiritum
Dans angelorum gaudium.

Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. — 3, 1 Virgo sine macula.

346. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Nocturnum.

1. Fulgens lucerna martyrum
Sidusque coeli aureum,
Te speramus praecipuum
Placatorem apud Deum.

2. Nominis tui gloriam
Canentes corde inclitam
Tu funde preces, quaesumus,
Pro nobis, martyr, propitius.

3. Ut donet Deus spernere
Mundum cum suo principe
Et post tempus volubile
Nos cum Christo resurgere.

4. Praestet hoc pater omnium
Per suum unigenitum,
Per almum quoque spiritum,
Dans angelorum gaudium.

Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. — 3, 4 Lies martyr promptius? — Ist als divisio des vorhergehenden Hymnus bezeichnet.

347. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Tertiam.

1. Johannes, martyr Domini,
Gabrielis archangeli
Voce patri promittitur
Et matri diu sterili.

2. Nomen cujus et meritum
Declaratur per angelum,
Nam patri dat eloquium
Natus et multis gaudium.

3. O Christi testimonium!
Inter natos mulierum
Nemo Johanne altior,
Nam prophetis sublimior.

4. Johannes major homine,
Compar angelis utique,
Virginitatis speculum
Ac trinitatis medius.

5. Qui tam clarus Dei laude
Pro Herodiadis fraude,
Pro castitatis tenore
Decollatur in carcere.

6. Fulgens lucerna martyrum
Sidusque coeli aureum,
Te speramus praecipuum
Placatorem apud Deum.

7. Festa tui martyrii
Colentes placare sibi
Ducensque per victoriam
Resurgentis ad gloriam.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui sublimasti hodie
Johannem coeli civibus,
Nos illis junge, quaesumus.

Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. A. — Diurn. ms. Veteris Monasterii saec. 14. Cod. Maguntin. II. 342. B. — Mel: Deus tuorum militum.

348. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Completorium.

1. Baptistae Christi merita
Pangamus laude debita,
Agnum placans nobis prece,
Quem demonstravit indice.

2. Motus non arundinei
De te esse fatur plebi,
Sed perfectum ac stabilem,
Ducentem vitam caelibem.

3. Spernens mundi delicias
Et fallaces divitias,
Vivens sine doli felle,
Contentus locustis, melle.

4. Hic vocatur Nazarenus
Et Christi gratia plenus
Praeparat Deo semitam
Et suasit poenitentiam.

5. Sed pro zelo veritatis
A ministris falsitatis
Condemnatur in carcere,
Quem solatur rex gloriae.

6. Quem rex Herodes occidit,
Felix in aeternum vivit,
Occumbit temporaliter,
Vivit perpetualiter.

7. Ejus nos festi gaudia
Digne colamus annua,
Quo praecursorem proprium
Ad vitae vexit gaudium.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui sublimasti hodie
Johannem coeli civibus,
Nos illis junge, quaesumus.

Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. A. — Diurn. ms. Veteris Monasterii saec. 14. Cod. Maguntin. II 342. B. — Mel.: Aeterni patris unice.

349. In Decollatione s. Johannis B.

1. Sancta [haec] congregatio
Johannis instat laudibus,
Cujus nunc decollatio
Commendatur fidelibus.

2. Afficitur inedia
Corpus sacrum, non horruit
Carnis afflictae taedia,
Dum in deserto latuit.

3. Vitae consors angelicae
Melle, locustis pascitur,
Sumens potum de latice
Pilis cameli tegitur.

4. Zelo legis dum sceleris
Herodem vult arguere
Divini praeco foederis,
Recluditur in carcere.

5. Hic pugnans hoc in stadio
Triumphi cum victoria,
Maligni caesus gladio
Coeli potitur gloria.

6. Laus, honor et imperium
Deo sit aeternaliter,
Qui suos per martyrium
Coronat multipliciter.

Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 80. — 1, 1 Sancta congregatio; lies Sacrata? — 1, 4 a fidelibus. — Dieser Hymnus steht aus eben dieser Hs. bei Morel Nr. 226, aber mit so vielen stillschweigenden Korrekturen und Irrtümern, daſs ich ihn wiederhole. In der Hs. hängt der folgende Hymnus mit diesem zusammen.

350. In Decollatione s. Johannis B.

1. Gaude, fidelis concio,
In te tractans magnalia
Baptistae de supplicio,
Quae recolit ecclesia.

2. Verbi divini facula,
Lucens, ardens prae omnibus,
Saeva datur ad vincula
Pornis ab infamibus.

3. Saltantis ad instantiam
Puellae justus caeditur,
Virtutis ob constantiam
Sanguis sacratus funditur.

4. Ejus caput ad epulas
Delatum datur feminae,
Qui nunc inter coelicolas
Laudis praefulget lumine.

5. Laus, honor et imperium
Deo sit aeternaliter,
Qui suos per martyrium
Coronat multipliciter.

Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 80. — 2, 4 Pernis ab infantia Hs; Morel l. c. Perinde ab infantia. Dafs der Vers korrupt ist, beweist das Fehlen einer Silbe, des Reimes und des Sinnes. Beiden letztern Mängeln wird abgeholfen, wenn wir lesen, wie im Text. Es bleibt dann nur Mangel an einer Silbe, der wegfiele, wenn gelesen würde porniâ oder auch porniae. Es entstünde indes dadurch ein Hiatus, von dem der Hymnus sonst kein Beispiel bietet.

351. De s. Johanne Chrysostomo.

1. Quem terra, pontus, aethera,
Alta polorum sidera
Colunt, pavent ut Dominum,
Coelo pegit Chrysostomum.

2. Cui luna, sol et omnia
Subjecta transitoria
Johanni sunt ut scoria,
Dum jubilat in gloria.

3. Mirantur ergo saecula,
Quod Johannes in specula
Poli innixus stadio
Magno potitur bravio.

4. Beata mater munere
Ecclesia, quae dogmate
Johannis clares, glosulis,
Commentorum opusculis.

5. Benedicta coeli nuntio
Antiochena genito
Johanne stirpe nobili,
Exortu admirabili.

6. O gloriosa domina,
Constantini per omnia
Fuisti urbs egregia
Pastoris in praesentia.

7. Quod Eva tristis abstulit,
Bonum Johannes contulit,
Augustae qui invidia
De sede pulsus propria.

8. Tu regis alti janua
Fac miseris sit patula,
Te deprecamur hodie,
Praesul Johannes inclite.

9. Gloria tibi, Domine,
Deus in trino nomine,
Qui Johannis precamine
Nos salves in examine.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — 8, 1 alti genua. — Vergl. das weiter oben zu Nr. 341 Bemerkte.

352. De s. Johanne Evangelista.

Ad Laudes.

1. Magnis ecclesiae laudibus omni
Nunc et perpetuo rite colende,
Nostrae suscipias, sancte Johannes,
Dignanter, petimus, munia vocis.

2. Christus, virgineae filius aulae,
Temet prae sociis, inclite caelebs,
Fovet pro merito virginitatis,
Cui matrem voluit credere castam.

3. Te clemens etiam pectus in almum
Acclinem satiat fonte perenni,
Verbum se genitum quo patre discens,
Hoc natis hominum pandere posses.

4. Nunc autem facie cernere gaudens,
Quod dudum poteras promere voce,
Nostris multimodis, alme, querelis
Orans pro miseris compatiaris.

5. Sit laus ingenito, gloria nato
Atque spiritui jubila sancto,
Qui coelum moderans trinus et unus,
Dignetur visere arva Johannes.

Brev. ms. Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 413. — 3, 1 pectus in alvum. — 5, 4 Lies Johannis?

353. De s. Johanne Evangelista.

1. Gignens per evangelium
Deo turbas fidelium
Johannes Dei gratia
Det tristibus solatia.

2. Cui Christus privilegium
Dat amoris egregium,
Quod virginem matrem ipsi,
Ipsum dat natum virgini.

3. Unice amans unicam
Christus ei dat dominam,
Super quam nil amaverat,
Huic matrem commendaverat.

4. Suscepit dilectissimam
Hic virgo virginissimam,
Ut fu . . . . . .
. . . . . .

Psalt. ms. Turicense saec. 13. Cod. Civit. Turicen. C 155. — 1, 4 tristis. — 3, 2 ei ergänzt. — 3, 3 nihil. — 4, 3 Das Weitere fehlt. — Dem Hymnus geht ohne Absatz vorher das Lied: Fit porta Christi pervia; vor beiden steht die Rubrik: Incipit cursus Beatae Mariae Virginis et S. Johannis Evangelistae.

354. De s. Johanne Evangelista.

Ad Vesperas.

1. Gaude, coelestis curia,
Tanta lucerna inclita,
Et tu, mater ecclesia,
Johannis promens gloriam.

2. Qui spernens mundi gaudia,
Sequens Christi vestigia,
Evangelista maximus
Exsistens et apostolus.

3. Florebat in virtutibus
Ut lucifer clarissimus,
Quem diligens prae omnibus
Aeterni patris filius.

4. Recubuit in pectore
Coelesti hausto nectare,
Amplectitur divinitus
Ut Christi amantissimus.

5. Virgo electus Domini
A Christo datur virgini,
Ut alter esset filius
Post ipsum dilectissimus.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Diurn. ms. Constantien. saec. 14. Cod. Turicen. Rhenov. CXXXIII.

355. De s. Johanne Evangelista.

1. Novo psallendi jubilo
Hymnum canamus Domino,
Qui Johannem, vas gratiae,
Cunctae dedit ecclesiae.

2. Verbis iste dulcifluis,
Errores fugat haeresis
In mentibusque hominum
Fudit lumen salvificum.

3. Miraculis refloruit
Virtutibusque claruit,
Sanctitate magnificus,
Homo totus deificus.

4. Hujus prece, Jesu pie,
Chorum nostrum consocia
Choris coelestis curiae,
Ubi jugis melodia.

Festorum compositorum ecclesiae collegiatae Sancti Joannis apostoli et evangelistae Buscoducis pars hiemalis imp. s. l. et a.

356. In Reversione s. Johannis ab exilio.

Ad Vesperas.

1. Sacra nobis solemnitas
Nova reduxit gaudia,
Levet recens jucunditas
Vetusti fletus taedia.

2. Cordis et carnis puritas
Concurrant festo virginis,
Cujus insignis dignitas
Sensu signatur nominis.

3. Johannes, Dei gratia,
Dei ditatus munere,
Deitatis mysteria
Dignus fuit disserere.

4. Quod clausum erat homini,
Johanni sane patuit,
Dum supra pectus Domini
Hora coenae recubuit.

5. Virgo matris et virginis
Custos mundus eligitur,
Et supra metram hominis
Ejus honor extollitur.

6. Hujus suffultos meritis
Mariae prece praevia
Deletis Christus debitis
Nos ducat ad coelestia.

7. Praesta, pater, per filium
Pacis aeternae gaudium,
Praesta per almum spiritum
Ad vitam nobis reditum.

Antiph. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. IV. A. — Antiph. ms. Franciscan. saec. 16. Cod. Bruxellen. 6433. B. — Proprium Boscoducense imp. s. l. et a. C. — 2, 2 Occurrit C. — 3, 4 fuit discernere C. — 4, 1 erat domini A.

357. In Reversione s. Johannis.

Ad Laudes.

1. Magno salutis gaudio
Exsultet plebs fidelium,
Quae Zebedaei filio
Laudum promit praeconium.

2. Beatus hic apostolus,
Secreti Dei sedulus,
Quod dum rimatur quaerere,
Jesu cubat sub pectore.

3. De cujus fontis flumine
Illud hausit mirifice,
Scribendo evangelium,
Quo verbi dat principium.

4. Per quod coelos reseravit,
Cui Deus revelavit
Secreta, quae ediscere
Nulli licet vel dicere.

5. Hujus nos, Christe, precibus
A mortis solve nexibus
Donando indulgentiam
Et peccatorum veniam.

6. Praesta, pater, per filium
Pacis aeternae gaudium,
Praesta per almum spiritum
Ad vitam nobis reditum.

Antiph. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. IV. A. — Antiph. ms. Franciscan. saec. 16. Cod. Bruxellen. 6433. B. — Proprium Boscoducense imp. s. l. et a. C.

358. De sancto Joseph.

1. Exsultet aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Dum refert solis orbita
Joseph sacra solemnia.

2. Cui Herode mortuo,
Ecce, apparet illico
In somnis verbis angelus
Ipsum praemonens dulcibus.

3. Surge, accipe puerum
Et matrem ejus clanculum
Et cum ipso Emmanuel
Ad terram perge Israel.

4. Qui consurrexit citius,
Pergit, quo dixit angelus,
Quia quaerentes puerum
Jam intraverunt Erebum.

5. Hujus a culpae nexibus
Eruat piis precibus,
Qui pro tonantis gloria
Ejus canimus hymnia.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

359. De sancto Joseph.

1. Joseph, confessor inclite,
Custos Mariae dominae,
Adesto nostris precibus,
Quas pie tibi fundimus.

2. O gloriose bajule
Conditoris orbis terrae,
Ut digne demus cantica,
Nostra disrumpe crimina.

3. O custos matris Domini,
Devotos tuo nomini,
Joseph alme, per aspera
Salva semper et prospera.

4. Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis,
Sentiant nostra pectora
Tua semper juvamina.

5. O faber beatissime,
Nobis benigne succurre
Nosque supplices respice,
Vota servorum suscipe.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu, cum sancto flamine,
Ut Joseph almi precibus
Jungamur in coelestibus.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

360. De sancto Joseph.

In 1. Vesperis.

1. Scriptores evangelici
Narrant, quod generatio
Christi, rectoris coelici,
Sic erat ab initio:

2. Ex Abraham progenie
Patrum genus describitur
Et per David ex semine
Ad Joseph usque ducitur.

3. Quam magna commendatio
Viri justi cognoscitur,
Carnalis nam successio
Patrum post hunc concluditur.

4. Divinum per oraculum
Senex accepit virginem,
Intacta per mysterium
Deum concepit hominem.

5. O quam altum consilium,
Absconsus Christus venerat,
Plebs putat fabri filium
Hunc, quem virgo pepererat.

6. Sic per successum temporum
Crescit honesta castitas,
Absque contactu corporum
Christum parit virginitas.

7. Custos Mariae virginis,
O sancte Joseph, propera,
In nobis rore flaminis
Aestum carnis refrigera.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Nos cum tuo nutricio
Fac frui coeli gaudio.

Diurn. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Colonien. 92. [Handschriftliche Zusätze zum Diurn. Colonien. imp. s. l. et a.] A. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1479. B. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. C. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. D.

361. De sancto Joseph.

Ad Nocturnum.

1. Joseph fert mentem stupidam
Fugae parans praesidium,
Dum videt sponsam gravidam
Ignoratque mysterium.

2. Cui angelus apparuit
Et rem sacram exposuit,
Dicens: puellae servias
Intactamque custodias.

3. Cujus te pudicitiae
Testem Deus efficiat,
Congratulare gratiae,
Nam salvatorem pariat.

4. Fidelis et obediens
In Bethlehem dum properat,
Professionem faciens
Ipsam secum detulerat.

5. Sacerdotis signaculum
Viro sancto conceditur,
Post virginem nam parvulum
Primus tractat, dum nascitur.

6. Regalis quoque dignitas
Recte Joseph adscribitur,
Qui virginem per semitas
Associat, quo graditur.

7. Regale sacerdotium
Tenentes ex officio,
Per castitatis lilium
Ite Joseph vestigio.

8. Paranymphi ecclesiae,
Parvulorum nutricii,
Attendatis custodiae
Commissi ministerii.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1479. A. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. B. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. C. — 1, 2 Fugae pavens AC.

362. De sancto Joseph.

Ad Laudes.

1. Mariae cur conjugio
Viri juncta describitur,
Causarum trium ratio
A sanctis ad hoc traditur:

2. Christus venit absconditus,
Ut Satanam deciperet,
Et sic partus incognitus
Virginis rite fieret.

3. Ut plebis ab infamia
Mater regis eximia
Servetur eo melius,
Fit Joseph ejus socius.

4. Ut haec viri solatium
Haberet, ubi pergeret,
Et ad sponsae obsequium
Promptus se sponsum faceret.

5. Quem angelus edocuit,
Divo monstrans oraculo,
Quocunque ire debuit
Cum matre vel cum parvulo.

6. Qui monitis obediens
Fit testis fidelissimus,
Ad laborandum patiens
Obsequio promptissimus.

7. Gloria tibi, Domine.

Diurn. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Colonien 92. A. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1479. — Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. C. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. D.

363. De sancto Joseph.

Ad Vesperas.

1. Iste confessor, patriarcha magnus,
De domo David generosus haeres,
Dignus auctoris hominum vocari
Est pater almus.

2. Qui manens justus, placidus supernis,
Regis aeterni fuit almae matris
Sponsus et custos Mariae, pro nobis
Cuncta regentis.

3. Ad sacrum sponsae thalamum Mariae
Virgo permansit decorans cubile
Atque per votum decoravit aulam
Virginitatis.

4. Unde Bethlehem pariente sponsa
Vidit, agnovit Dominum jacentem,
Quem adoravit hominem Deumque
Cuncta levantem.

5. Sit salus Christo, decus et potestas,
Patris aeterni genito perenni,
Qui pro humani generis salute
Est homo factus.

Antiph. ms. Plagense s. n. saec. 16. — Mel: Iste confessor.

364. De sancto Joseph.

Ad Matutinum.

1. Veni Joseph, pater patrum,
Ostende partum virginis,
Natum patri coaeternum,
Speculum divinitatis.

2. Non ex virili semine
Tuo, sed sponsa virgine
Verbum Dei factum caro
Venit de thalamo tuo.

3. Christo nato sit gloria
Dei patris et virginis
Sub patre Joseph in terra
De dono spiritus sancti.

Antiph. ms. Plagen. s. n. saec. 16.

365. De sancto Joseph.

1. Iste nutritor Domini sacratus,
Festa plebs cujus celebrat per orbem,
Hodie laetus meruit secreta
Scandere coeli.

2. Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit et quietus,
Vita dum praesens vegetavit ejus
Corporis artus.

3. Angelus Dei aparens in somnis
Joseph et dicens: Fuge in Aegyptum
Matremque tollens una cum filio,
Dum dicam tibi.

4. Casti parentes, nobis praedilecti,
Tenebras petunt angelo ductore,
Et illic manent obitum adusque
Regis Herodis.

5. Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.

6. Unde nunc noster chorus in honorem
Ipsius hymnum canit hunc libenter,
Ut piis ejus meritis juvemur
Omne per aevum.

7. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra coeli residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus.

Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 14. Cod. Pragen. VIII E 1. add. saec. 17. — 4, 4 Regis ergänzt. — 7, 4 Ternus Jesu redemptor.

366. De sancto Joseph.

1. Collaudemus toto corde
Dei sapientiam,
Virgini qui junxit sorte
Viri diligentiam,
Qui nascentis sine sorde
Aleret infantiam.

2. Sponsum suae providebat
Genitrici Dominus,
Quem Maria non horrebat
Ministrantem cominus,
Virgini dum serviebat
Virgo nihilominus.

3. Quam Johanni commendavit
Ad patrem regrediens,
Ipsam Joseph desponsavit
Rex mundum ingrediens,
Duplex arcam sic velavit
Cherub hoc respiciens.

4. Hortus verae voluptatis
Joseph sunt cubilia,
Ubi flos virginitatis
Pascit inter lilia,
Corda fovens castitatis
Hinc inde parilia.

5. Quem inviolatae matris
Peperit integritas,
Ipsum putativi patris
Aluit virginitas,
Hostibus celatur atris
Hac arte divinitus.

6. Joseph portat, Joseph tractat,
Joseph mulcet osculis,
Dum Herodes parvos mactat
Artubus minusculis,
Joseph hunc, quem virgo lactat,
Subtrahit periculis.

7. Puer in Aegyptum ductus
Joseph ministerio
Ab eodem post reductus
Patris est imperio,
Maturescit coeli fructus
Sic crucis mysterio.

8. Gloria summo parenti,
Laus aequali filio,
Ab utroque procedenti
Par decus paraclito,
Qui nos salvet praepotenti
Sancti Joseph merito.

Officia SS. Annae, Joachim, Joseph imp. s. l. et a. (Hain 8748). A. — Brev. Romanum imp. Parisiis 1531. B. — In B hat der Hymnus nur fünf statt acht Strophen; so verkürzt steht er bei Daniel I, 310. — 2, 1 sq. genitrici providebat A. — 5, 5 celatur agris A. — 6, 1 portat Joseph fehlen A. — 6, 3 Dum Herodes parvulos infantes mactat A. — 7, 3 Ab eodem est reductus A. — 7, 4 Dei patris imperio A; lies de patris?

367. De sancto Joseph.

Ad Nocturnum.

1. Festa nutritoris Jesu
Colant fideles servuli,
Qui humano pavit esu
Nutritorem saeculi.

2. Hic pariturae virgini
Digne virgo conjugatur,
Et sic coelestis daemoni
Partus tunc occultatur.

3. Cui Herode mortuo,
Ecce, apparet illico
In somnis verbis angelus
Praemonens cum dulcibus:

4. Surge, accipe puerum
Et matrem ejus clanculum
Et cum ipso Emanuel
Ad terram perge Israel.

5. Qui consurrexit citius,
Pergens, quo dixit angelus,
Quia quaerentes puerum
Jam intrarant gehennium.

6. Sancti Joseph suffragia
Nos tueantur jugiter
Et ad regna coelestia
Nos perducant feliciter.

7. Ejus a culpae nexibus
Nos eruamur precibus,
Qui pro tonantis gloria
Ejus cantamus numina.

8. Gloria summo parenti,
Laus ejus unigenito,
Et ab illis procedenti
Par honor sit paraclito.

Brev. Romanum imp. Parisiis 1531.

368. De sancto Joseph.

Ad Laudes.

1. Festa nutritoris Jesu
Colant fideles servuli,
Qui humano pavit esu
Nutritorem saeculi.

2. Hic pariturae virgini
Digne virgo conjugatur,
Et sic coelestis daemoni
Partus tunc occultatur.

3. Illibatus habitavit
Desponsatus cum virgine,
Quam divina fecundavit
Gratia sine semine.

4. Ab aeterno praeparatur
Insignis Joseph nomine,
Venerari quem dignatur
Christus natus ex virgine.

5. Natum virginis intactae
Virgo vir Joseph aluit,
Grandiusculus a lacte
Quando cibari voluit.

6. Gloria summo parenti,
Laus ejus unigenito,
Et ab illis procedenti
Par honor sit paraclito.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. add. saec. 15. A. — Brev. Carmelit. imp. Venetiis 1579 B. — 2, 4 tunc fehlt AB.

369. De sancto Justo.

1. O Christe, rex justitiae,
Congratulans coetus iste
Jam depromit tibi hymnum,
Suum solvens servitium,

2. Pulsans tuam pietatem,
Flens suam iniquitatem
Martyris in festo Justi,
Quem tibi sanctum fecisti.

3. Quem in primo aevi flore
Saevus occidit mucrone
Veluti florentem rosam
In Jericho speciosam.

4. Sic per tale martyrium
Scandit coeli fastigium,
Adsistit in Dei vultu
Liber ab omni tumultu.

5. Hunc Deus nobis patronum
Fac semper adesse bonum,
Nunc hic nos prece defendat
Et ad coelestia ferat.

6. Quod praestet trinus et unus
Verus Deus et Dominus,
Cui sit honor et gloria
Per saeculorum saecula.

Propr. ms. Eremitense saec. 16. Cod. Eremiten. 93. A. — Propr. ms. Eremitense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 616 B.

370. De s. Kanuto Duce.

Ad Nocturnum.

1. Primo proscriptos patria
Parentum imprudentia
Ad praesens premunt propria
Nos peccatorum pondera.

2. Alleviatur sarcina,
Si non per nostra merita,
Ob martyris suffragia,
Cujus sunt haec solemnia.

3. Dux, ora regem gloriae,
Qui sponsus est ecclesiae,
Ut nos in ejus corpore
Servet in pacis foedere.

4. Parce, pater, reatibus
Patroni nostri precibus,
Devictis cunctis hostibus
Pax sit nostris temporibus.

5. Patri, proli, paraclito
Trinus honor uni Deo,
Cujus nobis professio
Peccati sit remissio.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517.

371. De s. Kanuto Duce.

Ad Laudes.

1. Gaudet mater ecclesia,
Quae pridem prolis nescia,
Fecunda sponsi gratia
Fit sterilis puerpera.

2. Frustrata legis foedere
Cessat ancilla parere,
Sed fides in baptismate
Praeponit partus liberae.

3. Plures parit martyrio,
Quorum ducem consortio
Sancta junxit devotio
Et sanguinis effusio.

4. O pie proles regie,
Dux et martyr egregie,
Tuo sancto munimine
Conserva nos a crimine.

5. Ora patrem familias,
Ut inter Sion filias
Post funeris exsequias
Nostras conjungat animas.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517.

372. De s. Kanuto Rege.

In Vesperis.

1. Caterva nostra laudibus
Jam concrepet solemnibus
Regis Kanuti gloriae
Solvens melos laetitiae.

2. Quem perfidorum cuneus
Saeclo sequestrans fraudibus
Transmisit ad perennia
Comptum cruore gaudia.

3. Circumdatus periculis
Haeret Dei peribolis
Et mente perfert fervida
Plebis furentis spicula.

4. Horrescit ignis atriis
Haerere sacratissimis,
Cum rex pius mysteriis
Communicatur vividis.

5. Saxis sagittae vulnera
Addunt cruentae rosea,
Sed perforati lancea
It spiritus ad sidera.

6. Hinc debitas nos cernui
Laudes canamus servuli
Patri piaeque soboli
Et utriusque flamini.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. C. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. D. — 2, 3 Transivit D. — 3, 2 peribulis AD. — 3, 3 Et fehlt C. — 4, 3 Quo rex AD, Qua rex B. — 5, 3 Rege confosso lancea BC. — 6, 3 pioque ABC.

373. De s. Kanuto Rege.

Ad Nocturnum.

1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit hodie,
Quo rex Kanutus Daciae
Thronum conscendit gloriae.

2. Qui stirpe natus regia
Regalique prosapia
In tota luxit Dacia
Virtutum per vestigia.

3. Sub juventutis tempore
Vitam refraenans lubricam,
In delicato corpore
Conservat innocentiam.

4. Ad recreandum pauperes
Manus ejus largissima
Ad protegendum debiles
Et flebiles promptissima.

5. Per hujus sancti merita,
Jesu, redemptor omnium,
Dimitte nobis debita
Et da perenne gaudium.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517.

374. De s. Kanuto Rege.

Ad Laudes.

1. Accelerant, ut rapiant,
Iniqui coetus hominum,
Persequuntur et vigilant
Regem suum et dominum.

2. Ab iniquis dum plectitur,
Dignum linquit memoria,
Pro fide Christi moritur
Rex sanctus in ecclesia.

3. Regem digne mirificat
Sanitatum frequentia,
Quam testatur et praedicat
Languentum cura varia.

4. Regis prece dulcissima
Nos, Deus clemens, adjuva
Et mundi de miseria
Perduc ad coeli gaudia.

5. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Regali pro victoria.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. — 1, 4 suum ergänzt. — 2, 4 sanctus et ecclesia.

375. De sancta Katharina.

1. O patris gloria, proles virginea,
Jesu, rex inclite, psallentes protege,
Cum laudes virginis praeclari nominis,
Katharinae concinimus.

2. Quae sub Maxentio torquetur impio
Fame, carceribus, rota, verberibus,
Cruorque tenera purpurat latera,
Mucrone tandem caeditur.

3. Quam condunt angeli in monte Sinai,
De cujus olei corpore rivuli
Manant perenniter, unde salubriter
Aegris confertur gratia.

4. Nos, virgo regia, transfer ad gaudia,
Ut tuis precibus sanctorum coetibus
Admixti jugiter fruamur dulciter
Deitatis deliciis.

5. Praesta hoc, genitor optime maxime,
Hoc tu, nate Dei et bone spiritus,
Regnans perpetuo fulgida trinitas
Per cuncta pie saecula.

Diurn. ms. Steinfeldense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1104. A. — Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Namurcen. 45. B. — Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Bruxellen. 3023—24. C. — 1, 4 praecinimus C. — 5, 2 Tuque nate C.

376. De sancta Katharina.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, coelestis curia,
Nostra resultet patria,
Dum recensentur annua
Katharinae solemnia.

2. Quae spreto mundi gaudio
Torquetur a Maxentio,
Fame, siti, carceribus,
Rotis, flagris, verberibus.

3. Hinc decollatam angeli
In monte condunt Sinai,
De cujus membris olei
Perennes manant rivuli.

4. O decus pudicitiae,
Nos oleo laetitiae
Tua perunctos gratia
Transfer ad coeli gaudia.

5. Jesu, benigne Domine,
Hujus pio precamine
Fac nos in patris gloria
Tua frui praesentia.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Namurcen. 45.

377. De sancta Katharina.

Ad Laudes.

1. O quam pura laudatio,
Quam dulcis exsultatio,
Cum Deus absque nubilo
Cordis laudatur jubilo.

2. Hic dulcor et si afficit,
Mentem replet et reficit,
Praecellit quidem omnia
Terena desideria.

3. His affecta multimodis
Katharina deliciis
Mundi contempsit gaudia
Suspirans ad coelestia.

4. Carnis soluta nexibus
Sponsi sui amplexibus
Gaudens hac die jungitur,
Quo sine fine fruitur.

5. Jesu, benigne Domine.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Namurcen. 45. A. — Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Bruxellen. 3023—24. B. — Ad Nocturnum in B.

378. De sancta Katharina.

1. Christe, sponsus ecclesiae,
Fons vivus innocentiae,
Katharinae prece, poscimus,
Nos tuere propitius.

2. O sponsa Christi provida,
Virilis tactus nescia,
Pro nobis prece sedula
Rogando Christum supplica.

3. Ne nos permittat saeculi
Hujus ex mole conteri,
Sed nos ad locum subvehat,
Ubi lux lucis luceat.

4. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio,
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Hymn. ms. Montis S. Mariae (?) saec. 13. Cod. Guelfenbyteran. 1257 (Helm 1150).

379. De sancta Katharina.

Ad Completorium.

1. Perplexa mundi retia
Cavit, scidit viriliter,
Cujus modo solemnia
Amplectimur solemniter.

2. Haec caesa virgis ferreis
Dirisque scorpionibus,
Plus femina, non est eis
Mutata torsionibus.

3. In carceris custodia
Non marcuit jejunio,
Columba fert cibaria,
Cui Christus est refectio.

4. Favus sacrae dulcedinis
Novae lucis est claritas,
Est Katharinae virginis
Praedulcis haec solemnitas.

5. Nobis pater cum filio
Sanctusque praestet spiritus,
In virginum collegio
Ut computemur coelitus.

Psalt. ms. Veteris Montis saec. 13. Cod. Dusseldorpin. C 58. add. saec. 14. A. — Antiph. ms. Cisterciens. Neerland. saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. B. — Diurn. ms. Kirchheimense (?) Cod. Maihingen. II 1. 8° 18. C. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15. D. — 2, 4 tortionibus B, tunsionibus A. — 4, 3 Est fehlt BCD. — 4, 4 Praedulcis est solemnitas BCD. — 5, 4 Ut copulemur BCD.

380. De sancta Katharina.

Ad Completorium.

1. Salve, virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Regi regum sociata,
Fulgens digne laureata.

2. Ave, virgo ter beata,
Veri sponsi sponsa grata,
Jesu Christo dedicata,
Fulgens quasi liliata.

3. Jesum sponsum contemplaris,
Ipso plene satiaris,
Cui, virgo, nos commenda
In illa die tremenda.

4. Ave, martyr Deo grata,
Audi virgo nos beata,
Nobis veniam implora
Et suscipe mortis hora.

5. Gaude, felix Katharina,
Peccatorum medicina,
Virgo sponsa [Christi bona],
Jesu tecum frui dona.

6. Gloria regi sanctorum,
Qui per Katharinam [chorum]
Jungat festis angelorum
In saecula saeculorum.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Arch. Gandaven. 100. — 2, 4 quasi lilium. — 4, 1 Ave mater. — 4, 3 veniam impetrata. — 5, 3 O virgo sponsa. — 6, 3 Nos jungat.

381. De sancta Katharina.

Ad Tertiam.

1. Ave, rosa Katharina,
Christi sponsa et regina.
Virgo, martyr Deo digna,
Dulcis, mitis ac benigna.

2. Costi regis filia,
Sprevisti mundi gaudia,
Vera imitatrix Christi
In passione sanguinis.

3. Sic sol luna lucidior
Et luna sideribus,
Sic Katharina dignior
Omnibus virginibus.

4. Ebur candens cum saphyro
Radians in mundi gyro,
Sic virgo felix Katharina
Vernans coelesti gloria.

5. O rosa paradisi,
More flagrans balsami,
O virginalis castitas,
Nos transfer ad coelestia.

Grad. ms. Wonnensteinense saec. 14. in. Cod. Carolsruhan. Won. 1. — 2, 2 mundum cum gaudio.

382. De sancta Katharina.

Ad Nocturnum.

1. Plaudat laetitia,
Fugiat moestitia,
In laude virginis,
Sacri germinis
Laudant natalia
Quaeque fatalia.

2. Regis tu filia,
Patrem cum filio
Nobis concilia,
Cernens humilia
Da post exsilia
Tua cubilia.

3. Virgo Katherina,
Colens nomina trina,
Patrem et filium
Et spiritum sanctum
Nobis impertire
Post vitae planctum.

Brev. ms. Wingartense (?) saec. 14. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 76. — 1, 4 Lies sacrati. — 2, 2 cum filia.

383. De sancto Ketillo.

Ad Vesperas.

1. Alternatim sonent voces
et dulci concordia,
Laudum melos regi regum
concinat ecclesia,
Qui Ketillum immortali
coronavit gloria.

2. Cujus nutu et virtute
gubernantur omnia,
Hunc electum sibi servum
ante mundi tempora
Praecognovit admiranda
illustrandum gratia.

3. A diebus juventutis
pium, castum, humilem
Praesciebat, largum, mitem,
caritate praecluem
Et virtute meritorum
jam inaestimabilem.

4. Qui per signa adhuc vivens
renitebat varia,
Nunc subjectus ad superna
operatur plurima
Resplendensque cum electis
in perenni gloria.

5. Trino Deo in personis,
uni in substantia
Summus honor, summa virtus,
summa sit et gloria,
Cujus regnum et potestas
per aeterna saecula.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1519. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhursiae 1519. C.

384. De sancto Ketillo.

Ad Nocturnum.

1. Festiva dies colitur,
In qua migrasse traditur
Christi fidelis assecla,
Ketillus ad coelestia.

2. Sonent ergo nunc tinnuli
Harmoniarum moduli,
Et collaudemus consona
Voce Dei magnalia.

3. Qui coruscantem meritis
Et virtutum prodigiis
Conscivit sanctum hunc sacro
Sanctorum contubernio.

4. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C.

385. De sancto Ketillo.

Ad Laudes.

1. Refulget dies annua,
Quae ad festa continua
Quorumque suspirantium
Movet mentes fidelium.

2. Unde praedulci Domino
Canamus dulci jubilo
In hac sui sanctissimi
Solemnitate famuli.

3. Qui de verbi dulcedine
Gregem consuevit pascere
Et in collecto pauperum
Coetu collegit Dominum.

4. Nunc Marthae vicem exsequens,
Nunc cum Maria residens,
Per utriusque meritum
Vitae nactus est praemium.

5. Laus, honor, vitus, gloria.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C.

386. De sancto Kiliano.

Ad Vesperas.

1. Proles de coelo exiit
Novis utens prodigiis,
Coelum ignaris prodidit
Calcans mare vestigiis.

2. Spoliatis Aegyptiis
Germaniam ingreditur,
Qui de Scotorum genere
Novellus flos producitur.

3. Assumptis secum sociis
Herbipolim ingreditur,
Ditatus hinc divitiis
Romam laetus regreditur.

4. Tradit huic apostolicus
Virtutem sacri impetus,
Seminare incredulis
Veritatem altissimi.

5. Reparavit virtutibus
Praesul suum hospitium,
Dum templum Christo consecrat
Cordis sanctarum mentium.

6. Legem, prophetas, gratiam
Exponit hic multimode,
Gratum gerens obsequium
Christo paravit populum.

7. Deo patri sit gloria.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 1, 1 Proles Deo exiit. — 1, 2 utens signis. — 1, 3 prodiit. — 2, 1 Kilianus Aegyptum spolians. — 2, 2 Dives Germaniam ingreditur. — 2, 3 De Scotorum genere. — 3, 1 Assumptus cum sociis. — 3, 2 Ditatus illic. — 4, 2 sacre. — 4, 4 Virtutem. — 5, 1 Reparat. — 5, 3 Dum fehlt. — 5, 4 Cordis commodum sanctarum. — 6, 1 et gratiam. — 6, 4 parat. — Zu vergleichen ist der Franciskus-Hymnus gleichen Anfangs (Mone III, 308), von dem der vorliegende eine Überarbeitung ist.

387. De sancto Kiliano.

1. Chorus cantet jucundius,
Quo Kilianus amplius
Passus est cum consortibus,
Exsultet coelum laudibus.

2. Felix mater Scotia,
Felicior Franconia
Martyrum per innumera
Aeterna Christi praemia.

3. Legantur tres Herbipolim,
Francorum ad metropolim,
Stabuli ubi obeunt,
Vexilla regis prodeunt.

4. Athletarum occisio
Urbis regeneratio,
Ut tua dispositio,
Jesu, nostra redemptio.

5. Lutum cruore dedicant,
Gentem Francorum praedicant,
Errorum cedunt tenebrae
Jam lucis orto sidere.

6. Trino Deo et simplici
Corde canamus supplici,
Nos ducas ad consortium.
Deus, tuorum militum.

Antiph. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 410. — 2, 1 Lies Felix es? — 3, 3 fehlt eine Silbe. — 6, 2 und 3 umgestellt.

388. De sancto Kiliano.

1. Veneremur beatorum
Martyrum solemnia,
Ut in die patronorum
Festiva laetitia
Sentiamus nos eorum
Votiva suffragia.

2. Qui dum vera pugnaverunt
Pro fide viriliter
Et eandem docuerunt
Teneri fideliter,
Sempiterna meruerunt
Coronam feliciter.

3. Trinum Deum sunt confessi
Trino in martyrio,
Nec ab uno sunt digressi
Fidei mysterio,
Quem laudemus indefessi
Cordis, oris jubilo.

4. Ex occasu illustrari
Solis ortus stupuit,
Ab extremo nobis mari
Dum lumen emicuit,
Per quod nos ad se vocari
Deo nostro placuit.

5. Kiliane, pastor bone,
Tuas oves refice,
Colonate, in agone
Colluctantes respice,
O Totnane nos patrone
Turbae junge coelicae.

6. Praesta nobis hoc beata,
Vera, una trinitas,
Nostra dilue peccata,
Trina, una deitas,
Per te venia sit data,
Trina, una unitas.

Brev. ms. Wirceburgense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mp. th. o. 11.

389. De sancta Kunegunde.

1. Laetis pangamus vocibus
Kunegis sanctae merita,
Devotis illi cordibus
Dicamus laudum carmina.

2. Cujus vita laudabilis,
Tota pollens virtutibus,
Coelestis fit amabilis
Regis placens obtutibus.

3. Data Henrico socia,
Mundi monarchae nobili,
Carnis spernentes vitia
Spe Christo vivunt stabili.

4. Servata castimonia
Carnis haeredem respuunt,
Degunt in sanctimonia,
Se, sua Christo tribuunt.

5. Plantis igniti vomeres
Nudis iter dant roseum,
Pedes illaesa teneres
Sic purgat adulterium.

6. Nota neptis accidia,
Dum genam ferit alapa,
Infixa manent stigmata
Adusque vitae tempora.

7. Mancam abjectam manibus
Sustentat solis radius,
Quam reddit offertorio
Completo more regio.

8. O digna Christi vernula,
Pro nobis Deo supplica
Ut post haec transitoria
Praestet aeterna gaudia.

9. Ergo, Dei tu famula,
Kunegundis, per saecula
Christo conregnans veniam
Nobis poscas et gratiam.

10. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Nurembergense anni 1412. Cod. Civit. Nurembergen. VII. 43. — 5, 1 vomeris. — 6, 2 gena. — 7, 2 solis.

390. De sancto Lamberto.

1. Fulges salvifico nomine martyr,
Custos ecclesiae pastor et alme,
Munis atque regis quam vice Petri,
O Lantberte, gerens proelia Christi.

2. Defensor patriam climatis hujus
Compsisti rosei sanguinis undis,
Hanc ut coeligenis jungere possis,
Tempus cum fuerit, currere coelis.

3. Tu nos a vitiis carne coactis
Ac vinclis pariter solve malignis,
Deposcens Dominum, quo regat aptos
Nos et laetificet pace potitos.

Cod. Bruxellen. 14650—59 saec. 10. „Hymnus sancti Lantberti“ folgt unmittelbar der Vita metrica „Pagani ritus“, welche im Auftrage Stephans, Bischofs von Tongern (Lüttich) 903—920, verfafst worden. J. Demartau hat im Bulletin Archéologique Liégois S. 383 ff. wahrscheinlich gemacht, dafs der Verfasser der Vita metrica Hucbald von Saint-Amand war. Derselbe wäre dann auch Verfasser dieses Hymnus.

391. De sancto Laurentio.

1. Adest triumphi palma nobilissimi,
Dies celebris Laurentii martyris.
Cujus trophaeo gratulantes inclito
Melos canamus in honore debito.

2. Felix talenti distributor crediti,
Levita fulsit clarus in miraculis
Alensque censu corporali pauperem,
In se frementem concitavit judicem.

3. Artatus inde ducitur praetorio,
Percurrit ungues cum dolore carneo,
Post haec feroci sauciatus vulnere
Torquetur, ardet semiusto corpore.

4. Objecta victor mitigans incendia
Cruore scandit laureatus coelica,
Illic superno praeditus charismate
Potatur agni sacrosancto sanguine.

5. Ergo precamur, martyr invictissime,
Ad nos serena sanctitate respice,
Cujus levamen exspectantes poscimus,
Votis faveto supplicantum, quaesumus.

6. Adesto nobis, sempiterna trinitas,
Intende servis, trinitatis unitas,
Per gloriosa Laurentii proelia
Fac nos perenni munerari gloria.

Brev. ms. Venetum saec. 14. Cod. Marcianus L I 81. A. — Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. B. — 1, 2 celebris fehlt A. — 2, 3 sensu corporali AB. — 3, 1 Hortatus inducit praetorio A. — 3, 4 Torquetur ardens se in isto corpore A. — 4, 3 perdictus A. — 6, 3 Laurentii merita A. — Nach Str. 3 Divisio ad Laudes A.

392. De sancto Lazaro.

1. Veni, creator siderum,
Terge maculas scelerum,
Devoti tibi famuli
Precibus sancti Lazari.

2. Qui te convivam saepius
Habuit et alacrius
Recepit aede propria
Ministrante Martha pia.

3. Hunc suscitasti, Domine,
Sacro spirante flamine
Prece ejus nos visita
Visitatosque suscita.

4. Qui actibusque floruit,
Vitam suam non timuit
Pro tuo sacro nomine
Perdere suo sanguine.

5. Ob hoc ipsum perpetuo
Vis pleno frui gaudio,
Quem ostendisti lacrimis
Amicum fore numinis.

6. Laus patri sit et genito,
Decus atque paraclito,
Beatus vero Lazarus
Oret pro nobis omnibus.

Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. A. — Brev. ms. Sanganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 89. B.

393. De sancto Lebuino.

1. Votorum Deus arbiter,
Quae dant fideles pariter,
Rogamus, nostris vocibus
Ut annuas propitius.

2. Per Lebuini merita
Quo solvas nostra crimina,
Quibus quasi compedibus
Illaqueati sternimur.

3. Sed quod nequimus consequi
Reatu multo saucii,
Id Lebuino tribuas,
Qui sanctis tuis nil negas.

4. Hic nobis dux et praevius
Sit in periclis omnibus,
Cujus precatu territus
Fatiscat hostis invidus.

5. Hic nos purgatos sordibus
Restituat coelestibus,
Ubi felici gaudio
Fruamur aevi termino.

Sequentiae et Hymni per totum annum imp. Daventriae 1494.

394. De sancto Leodegario.

1. O martyr Leodegari,
Miles invicte Domini,
Athleta fortis, famulis
Nobis fave poscentibus.

2. Christi crucem tu bajulas,
Corpus tuum mortificas,
Caduca spernens gaudia,
Superna ferens praemia.

3. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Praesens adesto cominus,
Omne impetrando commodum
Et post perenne gaudium.

4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84.

395. De sancto Leonhardo.

Ad Noct. et Laud.

1. Gaudeat Christo populus redemptus,
Terra laetetur jubilentque coeli,
Et diem festi recolat fidelis
Plebs Leonhardi.

2. Stirpe Francorum Leonhardus ortus,
Patribus mundo. pietate Christo
Clarus, hunc illi sapienter unum
Praetulit omni.

3. Verba Remigi tua sancte praesul
Mente concepit, patefecit actu
Et tuos mores fuit aemulatus,
Facta secutus.

4. Hinc domo patris patriaque terra
Atque cognato populo relictis
Solus abscedens Abraham recessu
Retulit isto.

5. Exsul in mundo propiorque coelo,
Pauperem pauper Dominum secutus,
Vasta deserti petit Aquitani
Versus ad orbem.

6. Fons scroben siccam refluens replevit,
Conjugem nupta, domina clientes,
Prole reginam meritum beati
Laetificavit.

7. Vinculis vinctos, pede claudicantes,
Luce caecatos, animis tyrannos
Solvis, instauras, radias, refrenas,
O Leonharde.

8. O vir insignis, mala cuncta solvens,
Solve peccati manicis ligatos,
Vinculis carnis simul absolutos
Nos fer ad astra.

9. Laus in excelsis tibi, laus in orbe,
Trinitas simplex, Deus alme, detur,
Da reis vitam, tua qui dedisti
Praemia sanctis.

Brev. ms. Basilense saec. 13. Cod. Engelbergen. 107. add. anni 1429. A. — Antiph. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 529. B. — 1, 3 sq. plebs fidelis A. — Vor Str. 5. Divisio A.

396. De sancta Lucia.

1. Gaudeat chorus virginum
Canens novam melodiam,
Et tu, mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam.

2. Qui rosam delectabilem
De qua coelestis curia
Ornatur mirabiliter,
Plantat de terra arida.

3. Ex matre tunc Eutitia
Lucia est progenita,
Quae spernens mundi gloriam,
Christi sequens vestigia.

4. Dies illuxit gaudii,
In qua martyr eripitur
De gravi carnis saeculo
Et dulci sponso jungitur.

5. Laus tibi, rex altissime,
Qui Luciam virginem
Post brevis spatium vitae
Coronas serto perpete.

Antiph. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 410. — 2, 4 Plantavit de terra. — 3, 3 Quae fehlt. — 4, 2 martyr ergänzt. — 5, 4 serto perpetuo. — Vgl. den Hymnus gleichen Anfangs de S. Margareta.

397. De sancto Lucio.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Christi suffulta gratia,
Ob patris nostri merita
Nova depromens cantica.

2. Athleta Christi Lucius,
Vir totus apostolicus,
A luce nomen traxerat,
Quod factis declaraverat.

3. Pius, pudicus, humilis
Vivendi normam praebuit,
In lege Christi docilis
Verbis, exemplis micuit.

4. In fide luxit crebrius
Per signa, per prodigia,
Mundum calcans sub pedibus
Manum misit ad fortia.

5. Jesu, dulce refugium,
Spes nostra, te laudantium
Ob tanti patris meritum
Peccati solve debitum.

6. Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui mundi post haec stadia
Dat justis vitae praemia.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C. — Str. 3 und 4 umgestellt C.

398. De sancto Lucio.

Ad Nocturnum.

1. Ad laudem Christi Domini
Sanctus laudetur Lucius,
Qui rem conformat nomini
Gestis et dictis lucidus.

2. Lucet verbis, miraculis,
Christi sequens vestigia
Tormenta fert tyrannidis
Cum omni patientia.

3. Triumphat per martyrium
Christi fortis in acie,
Et contemplatur Dominum
Jam revelata facie.

4. Jesu, dulce refugium,
Spes nostra, te laudantium
Ob tanti patris meritum
Peccati solve debitum.

5. Uni Deo sit gloria.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C. — 1, 4 dictis vividis A. — 3, 3 contemplator A.

399. De sancto Lucio.

Ad Laudes.

1. Magnae dies laetitiae.
Quo pater noster Lucius
Ad thronum coeli gloriae
Martyr pervenit inclitus.

2. Carnem afflixit jugiter
In labore multiplici,
Pro fide stat viriliter
Pugnans corde non duplici.

3. Mors corporis contemnitur,
Dum Christi mors attenditur,
Vincit ergo, dum vincitur.
Magis vivit, dum moritur.

4. Occumbens enim hodie
Cum rege vivit gloriae,
Cujus precamur precibus
Nos coeli junge civibus.

5. Jesu, dulce refugium.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C.

400. De sancto Ludgero.

1. En, dies anno remeat peracto,
Quo sacer summi Domini sacerdos
Digna Lutgerus proprii laboris
Praemia sumpsit.

2. Hic enim dono meruit superno
Emori culpis, Domino renasci
Atque coelorum penetrare culmen
Carne relicta.

3. O piam Christo revelante mortem,
O sacerdotem nimium beatum,
Cujus excrevit decus atque virtus
Munere leti.

4. Qui licet fuso minime cruore
Sorte praereptus fuerit suprema,
Attamen votis retinebit istum
Morte honorem.

5. Quem ab adstanti modo hac caterva
Cuncta poscamus removere dira
Et bonum semper dare consequenter
Omne per aevum.

6. Quo malis cunctis procul effugatis
Et bonis jugi prece consecutis
Semper in sanctis recinamus ejus
Omnipotentem.

7. Gloriam patri simul atque nato,
Gloriam almo spiritui perenni,
Gloriam sanctis simul universis
Rite canentes.

Brev. ms. S. Ludgeri Helmstadien. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 433 (H. 398) A. — Hymn. ms. S. Ludgeri Helmstadien. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 1455 (H. 1341) B. — 4, 4 Martyr A; honorem fehlt A. — 5, 1 Nunc abstastan A. — 6, 2 prece et securus A. — 6, 3 bis 7, 3 fehlen A. — 7, 3 sanctis fehlt B; Semper in sanctis A.

401. De sancta Ludmilla.

Ad Laudes.

1. Laudes promat ecclesia
Cum multiplici gaudio,
Nam haec sancta solemnia
Deus illustrat radio.

2. Qui post sacras exsequias
Dat Ludmillae matris piae,
Ut ad ejus reliquias
Fluant virtutes variae.

3. Fraglans odor de tumulo
Cum virtutum frequentia
Dat in Ludmillae populo
Sanctitatis indicia.

4. De coelis luminaria
Tumbam septenis vicibus
Visitarunt ardentia
Fragrantem sacris ossibus.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Nam agminis jam coelici
Gaudet Ludmilla patria.

Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Pragen. VII A 12. A. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1674. B. — Brev. Pragense imp. Nurembergae 1502 C. — 3, 1 Flagrans C. — 4, 4 Flagrante sanctis A. — 5, 4 Ludmilla gaudet C.

402. De sancto Magno.

1. Deus piissime, pater, dignare,
Altis te vocibus ut collaudemus,
In patroni almi nomine Magni.

2. Qui tibi meritis placuit sanctis,
Hujus nunc precibus adesto pius
Et tu, Deus, nostris ignosce noxis.
3. Castis ut mentibus omnes possimus
Mortem evadere, vitam tenere
Regnantes tecum, Christe rex regum.
4. Sit patri gloria, nato corona,
Sancto spiritui jubilent cuncti,
Par potestas trino, uni, aeterno.

Brev. ms. Faucense saec. 14. Cod. Maihingen. II 1. 4° 7. A. — Brev. Faucense saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 13. B. — Brev. ms. Faucense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. 8° 14. C. — 2, 3 Hujus nos B. — 3, 3 Regnanti tecum B. — In B stehen aufserdem auf Magnus übertragen die beiden Hymnen auf Nicolaus Tolentinus, Mone III 466.

403. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Gaudeat chorus virginum
Canens novam harmoniam
Et tu, mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam.
2. Qui rosam delectabilem,
De qua coelestis curia
Ornatur mirabiliter,
Plantans de terra arida.
3. Ex patre Theodosio
Margareta est genita,
Quae spernens vana idola,
Christi sequens vestigia.
4. Puella felle caruit,
Humilitate floruit,
Unde non dedignata est
Oves nutricis colere.
5. Virgo electa Domini,
Sis memor tui memorum
Et auctorem laudum harum
Salva, decus puellarum.
6. Laus tibi, rex piissime,
Qui Margaretam virginem
Post brevis vitae spatium
Ornans serto perpetuo.

Brev. ms. Dominican. saec. 14. Cod. Carolsruhan. Pm. 79. add. saec. 14. A. — Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monacen. 10930. B. — 4, 1 velle caruit A. — 6, 4 serto perpetuum B.

404. De sancta Margareta.

Ad Nocturnum.

1. Dies illuxit gaudii,
In quo virgo eripitur
De gravi carnis sacculo
Et suo sponso jungitur.
2. Hanc insanus Olybrius
Videns in pastu ovium,
Quam ille statim cupiens
Vult in uxorem ducere.
3. Nam virgo erat florida,
In mira pulchritudine,
Nec eam sol fuscaverat,
Sed quasi rosa floruit.
4. Haec jussione praesidis
A militibus capitur
Et iniquo Olybrio
Virgo est praesentata.

5. Hic puellae sermonibus
Confunditur in omnibus,
Nec potens eam vincere,
Quam pius Deus protegens.

6. Laus tibi, rex piissime,
Qui Margaretam virginem
Post brevis vitae spatium
Ornans serto perpetuo.

Brev. ms. Dominican. saec. 14. Cod. Carolsruhan. Pm. 79. A. — Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monac. 10930. B. — 1, 3 De gravi fehlt, A; saeculo A. — 1, 4 Et suo vero sponso A; Et suo nunc sponso B. — 2, 4 Ad uxorem ducere AB. — 4, 4 fehlt eine Silbe; lies Virgo fuit? — 5, 3 Nec fehlt A. — 6, 4 serto perpetuum B.

405. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Solemnis dies virginis
Celebretur cum gaudio,
Quae novam dans laetitiam
Supremo choro virginum.

2. Caput draconis horridi
Calcans virgo sub pedibus,
Qui clamans voce quaerula,
Ut sibi virgo parceret.

3. Felix puella caeditur
Ac laniatur ungulis
Ignibusque comburitur
Et dolio immittitur.

4. Tandem virgo Margareta
Ad decollandum ducitur,
Quae se et sui memores
Supplex Domino commendans.

5. Laus tibi, rex piissime.

Brev. ms. Dominican. saec. 14. Cod. Carolsruhan. Pm. 79. — 2, 3 Quae clamans. — 2, 4 Fehlen zwei Silben; virgo ergänzt. — 3, 2 Ac lania ungulis. — 4, 3 Et quae se. — 4, 4 Super Deo commendans.

406. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Pange, lingua, gloriosae
Virginis martyrium,
Gemmae jubar pretiosae
Descendat in medium,
Ut illustret tenebrosae
Mentis domicilium.

2. Virgo poenis jam attrita
Obscuro ergastulo
Praesentatur, praemunita
Fidei signaculo,
Genu flectit, orat ita
Cum devoto animo:

3. Inimicum mihi pande
Me volentem laedere,
Nec me sinas, Jesu Christe,
Tormentis deficere,
Sed dare conchristianis
firmam spem victoriae.

4. Vox completur, mox videtur
Daemon tanti sceleris
Et, dum parat deglutire
Corpus sanctae virginis,
Superatur et damnatur
Nutu summi judicis.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519.

407. De sancta Margareta.

1. Pange, lingua, Margaretae
virginis praeconia,
Summi castae sponsae regis,
quam laudat ecclesia
Universa, nam temptantem
trivit cum victoria.

2. Dum contempsit furiosi
praeceptum Olybrii,
Idolorum sprevit cultum
spe coelestis praemii,
Mancipatur tenebrosis
mox locis ergastuli.

3. Flagellatur, concrematur
ignitis lampadibus,
Constanter non suspiravit
poenis horribilibus,
Coronari sed optavit
sanctis cum virginibus.

4. Extendens cervicem sacram
exspectabat gladium,
Petit ab iniquo Malcho
exorandi spatium,
Precatus cordis et oris
direxit ad Dominum.

5. Bonis spretis et completis
tormentis crudelibus
Sponsa Christi speciosa
jungitur martyribus,
Caput sanctum decollatur
saevis carnificibus.

6. Genitori genitoque
laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
compar sit laudatio.

Antiph. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n.

408. De sancta Margareta.

1. Pange, lingua, Margaretae
Lacrimam et gaudium,
Laudem sonent voces laetae
De concentu cordium,
Applaudentes sint athletae
Laetae post supplicium.

2. Hanc Olybrius molitur
Virginem seducere,
Nec promissis emollitur
Nec terretur verbere,
Compeditur, custoditur
Taetro clausa carcere.

3. Carcerata deglutitur
A ventre pestifero,
Liberatur, dum munitur,
Signo salutifero,
Daemon alter compeditur
Virginis calcaneo.

4. Post educta Margareta
Praefectum Olybrium
Non formidat, quia laeta
Sustinet martyrium
Et confundit verbi meta
Errores gentilium.

5. Pendens ungue laceratur,
Torquetur incendio,
Virgis caesa religatur
Frustra mersa dolio,
Cum qua tandem decollatur
Credens multa concio.

6. Hujus ergo concionis
Concordi constantia
Vim humanae passionis
Pari patientia
Superemur, ut cum bonis
Laetemur in gloria.

Psalt. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1502. Cod. Semin. Colonien. 49. A. — Psalt. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1542. Cod. Semin. Colonien. 52. B. — 6, 5 ut cum justis B. — Mel: Pange lingua.

409. De sancta Margareta.

1. Summo Deo decantemus,
Regi regum omnium,
Laudes ejus personemus,
Nam sanctorum praemium,
Ut abstergat, hunc rogemus,
Mentis domicilium.

2. Cui virgo haec servivit
Ab annis infantiae,
Munda mundum pertransivit
Rore plena gratiae,
Castitatem custodivit
Norma pudicitiae.

3. Sponsa Christi Margareta,
Candens quasi lilium,
Coeli spirat ad secreta,
Subintrat martyrium,
Corde puro, mente laeta
Festinat ad bravium.

4. Haec draconem interfecit
Devincens Olybrium,
Neuter harum hanc infecit,
Cui spes ad filium,
Postquam opus hoc perfecit
Migravit ad gaudium.

5. Sit laus summae trinitati,
Patri, nato potentia,
Sit spiritus unitati
Honor et victoria,
Qui nos prece Margaretae
Coronet in gloria.

Brev. ms. Coloniense anni 1450. Cod. Darmstadien. 1100.

410. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Beata virgo nobilis,
Quae Deo es amabilis
In mundo et laudabilis,
Sis nobis favorabilis.

2. Quae dum in pueritia
Fuisti, cum laetitia
Duxisti animalia
Nutricis et non alia.

3. Sancta Deum in carcere
Rogavit, ut dissolvere
Vellet ipsam a bestia,
Quae fuit crudelissima.

4. Virgo draconem vicerat,
Qui eam devoraverat,
In carceris umbraculo
Facto crucis signaculo.

5. Laudemus sanctam virginem,
Margaritam tam nobilem,
Quam ad coeleste gaudium
Duxit creator omnium.

6. Praesta, pater piissime,
Ut nos cum sancta virgine
Tuo quoque juvamine
Possimus semper vivere.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. (3) A. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. B. — 4, 2 Qui ibi eam B. — 6, 3 Tuoque sancto juvamine B.

411. De sancta Margareta.

1. Hymnizet nunc ecclesia
Et praesens haec familia,
Peragens cum frequentia
Margaretae solemnia.

2. Cujus datur memoriae
Securae laus victoriae,
Juste namque et sobrie
Egit triumphum gloriae.

3. Jussa spernens Olybrii
Complevit cursum proelii,
Palmam sumpsit martyrii
Dono coelestis praemii.

4. Laeta nostra sit concio,
Sincera sit devotio,
Sit gratiarum actio
Pro tanto patrocinio.

5. Dulcis nunc hymnis concrepat
Coelestem sponsum persequens,
Quae et materne nos regat
Pacem et vitam conferens.

6. Honor patri perenniter,
Sit nato virtus pariter,
Pneumati decus jugiter,
Uni Deo sit laus semper.

Brev. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 15. Cod. Gotingen. 238.

412. De sancta Margareta.

1. Gaudeat nunc ecclesia
De insigni victoria,
Quod fragilis militia
Adauget natalitia.

2. Accepta nostra munera,
Ne fluctuemus vespera,
Per te vitemus aspera,
Da coeli vitae prospera.

3. Regi sponso laureata
Servit virgo adornata
Cum triplici aureola,
Rosa, lilium, viola.

4. Extensa in equuleo,
Cruore lota roseo
Lampas ardet cum oleo:
Amore tui langueo.

5. Tui agonis stadium
Te praestolante gladium
Consummasti viriliter
Conjuncta sponso jugiter.

6. Astra ascendit gloriae,
Sit trinitati unicae
Laus, honor et victoria
In aeterna memoria.

Brev. ms. Augustinian. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Hanoveran. I 90. — 2, 2 Ne fluctuamus in vespera.

413. De sancta Margareta.

1. Ut spina rosam parturit,
Sic Margareta prodiit
Ex gentili prosapia,
Hanc desponsat ecclesia.

2. In annis pueritiae
Fontem suscepit gratiae,
Adhaesit regi gloriae,
Cum quo regnat in aethere.

3. Haec blandimenta saeculi
Promissaque Olybrii,
Terrores draconis diri
Sprevit ut vaporem fumi.

4. Dum mergitur in dolio
Tripudiat in animo,
Sententiatur gladio,
Deum orat pro populo.

5. Gloriam melodis Jesu
Demus cum cordis affectu,
Ut nos in ejus concentu
Pascat aeternali fructu.

6. Pater, nate, flamen sanctum,
Praesta, laudanda trinitas,
Nobis coelorum gaudia
Per infinita saecula.

Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72.

414. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Fontem bonorum omnium
Laudent omnes cum gaudio,
Sit mundum cor laudantium,
Ut pulchra sit laudatio.

2. Qui Margaritam virginem
Fide junxit Christicolis,
Ipsam post fusum sanguinem
Binis ornans aureolis.

3. Caput serpentis conterit
Ejus cavens subsidias,
Agnum, quocunque ierit,
Sequens inter consocias.

4. Virgo, pudoris lilium,
Magno digna praeconio,
Fit rosa per martyrium
Illustre sub Olybrio.

5. Rosa coeli rosarium,
Fonte vitae irriguum,
Intrat ad cantum avium
Jugem et ver perpetuum.

6. O virgo, tui memorum
Memor pio precamine,
Quietem nobis temporum
Et coeli regnum obtine.

7. Laus Deo, qui vincentibus
Manna confert absconditum,
Quod nobis det poscentibus
Per Margaretae meritum.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivii Gandaven. 100. — Diurn. ms. Windeshemense saec. 15. Cod. Bollandian s. n. B.

415. De sancta Margareta.

1. Jesu, pastor piissime,
Flos et decus ecclesiae,
Festum colentes refove
In Margaretae nomine.

2. Quae hodie felicia
Coeli petit palatia
Mundique spernens gaudia
Vitae suscepit praemia.

3. Nam sobria haec ebrium
Superavit Olybrium,
Casta incestum respuit,
Deo se sponsam contulit.

4. Haec in mundo floruit,
Sed ejus flos non marcuit,
Talemque se exhibuit,
Qualem Deo condecuit.

5. O quam dulcis melodia
Peragitur in aethera,
Cum virgo sacratissima
Coeli pulsavit ostia.

6. Nam huic tantae virgini
Omnes occurrunt angeli,
Jesusque sponsus inclitus
Hanc amplexatur blandius.

7. Felix haec virgo dicitur,
Quae tali sponso jungitur,
In quo non est mutatio
Nec vicis obumbratio.

8. Summo patri sit gloria
Per infinita saecula
Ejusque decus filio
Cum spiritu paraclito.

Diurn. ms. Windeshemense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n.

416. De s. Maria Aegyptiaca.

1. Exsultet aula coelica,
Nam fruitur angelica
Maria tersa scoria
Aeterna coeli gloria.

2. Aeterna Christi munera
Maria Aegyptiaca,
Dona cepit angelica,
Exsultet aula coelica.

3. Jesu, salvator saeculi,
Mariam tres paniculi
Fovebant multo tempore,
Aeterne rex altissime.

4. Corde natus ex parentis
Precatu Mariae flentis
Templi ingressum tribuit,
Novum sidus emicuit.

5. Jesu quadragenariae
Adhaesit abstinentiae,
Fulsit in hac pervigili
Clarum decus jejunii.

6. Jesu, redemptor omnium,
Maria vitae somnium
Effugit per laudabile
Signum crucis mirabile.

7. Conditor almae siderum,
Qui ducis per presbyterum
Animam sanctam candidi
Ad coenam agni providi.

8. A solis ortus cardine
Translatam miro ordine
Sanctam suscepit Gallia
Laeta fratrum concordia.

9. Festivo laudes gaudio
Mariae natalitio
Tibi det una veritas,
O lux beata trinitas.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — Nach Str. 4 Divisio.

417. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. Sacrata dies emicat,
Spes lapsorum et gloria,
Qua Maria Magdalena
Coeli scandit palatia.

2. Haec sacros pedes lacrimis
Christi rigans uberrimis
Fusis dum tergit crinibus,
Cordis purgatur sordibus.

3. Nardi spicacum balsamo
Mixta liquore congruo
Plantas dum tergit crinibus:
Te salvo, inquit Dominus.

4. O praecelsa virtutibus,
Illustrata divinitus,
In te sperantes largius,
Maria, lava precibus.

5. Hagie pater omnium,
Nobis praesta per filium
Charismatum subsidia
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1452. A. — Brev. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 506. B. — Hymn. ms. saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1374. C. — Antiph. ms. Cistercien. Neerland. saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. D. — 3, 1 Nardi spicatum A; pisca cum B. — 3, 3 Unxit plantas cum crinibus D. — 3, 4 Te solvo D. — 5, 1 Ave pater A, Quae pater B. — 5, 3 Crismatis subsidia AB.

418. De sancta Martha.

1. Pangat turba clericorum
   Marthae beatae cantica,
   Sonet turba praelatorum
   Ejus gesta mirifica.

2. Sicut sacrato ubere
   Virgo Christum ablactavit,
   Sic Martha salutifere
   Suis cibis ipsum pavit.

3. Maris demptis diris telis
   Marsiliam applicuit
   Sine remis atque velis,
   Res mira cunctis claruit.

4. In litore Avenico
   Exanimem suscitavit,
   Ore loquens dominico
   Multos in fide plantavit.

5. Praesta, beata trinitas,
   Ut in regno vincentium
   Nobis detur haereditas
   Per ipsius suffragium.

Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72. A. — Brev. ms. Nurembergense anni 1412. Cod. Civit. Nurembergen. VII 43. B. — Brev. Carmeli Bambergen. anni 1467. Cod. Bambergen. Ed. VII 35. C. — Hymn. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 130. D. — Brev. ms. Halberstadiense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 42. E. — Brev. Misnense imp. s. l. 1483. F. — Brev. Misnense imp. 1517. E. — 1, 1 Plangat turba B; Clangat CDE, Pange F. — 2, 2 lactavit B. — 3, 1 tempestas diris B; diris fehlt C. — 4, 2 Exstinctum suscitavit C.

419. De sancta Martha.

Ad Nocturnum.

1. O Martha, Christi hospita,
   Martha, in aede vernula,
   Placato nobis hospitem
   Tuumque nostrum judicem.

2. Quem lare tuo proprio
   Confovisti cum gaudio,
   Ministrans ei largiter,
   Quod te sumpsit alacriter.

3. Tua prece melliflua
   Deterge nostra crimina,
   Ut hic possimus liberi
   Servire tuo hospiti.

4. Ubi pater cum filio
   Regno regnat perpetuo
   Una cum Dei digito,
   Laus sit aeterno Domino.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — 1, 1 O sancta Christi B. — 1, 2 Martha eloe vernula B. — 1, 3 Placare nobis B. — 2, 4 te fehlt B; Qui te sumpsit A. — 3, 2 Detege B.

420. De sancta Martha.

1. Praesens solemnium nostrum sit gaudium,
Cujus praeconium cordis tripudium,
Cum Martha solium scandens ad arduum
Adivit regem omnium.

2. Virtutum Dominus gaudet amplexibus
Felicis hospitae, fidei debita
Reddit officia, dum beneficia
Larga solvit in patria.

3. Pascentem reficit, qui mundo sufficit,
Nova dans fercula, dulcia pocula,
Fons indeficiens, hospita sitiens
Bibat nunquam fastidiens.

4. Dulce convivium, in quo per fluvium
Delectabilium tollit fastidium,
Hoc plenum gaudium, hoc patrocinium
Marthae datur in praemium.

5. Oramus, Domine, dilectae hospitae
Dum festum agimus hymnumque pangimus,
Ejus precamine purgemur crimine,
Coeli laetemur agmine.

6. Te, summa trinitas, simplex divinitas,
Quam fide noscimus, devote poscimus,
Ut per suffragia Marthae des gaudia
Nobis [in coeli curia].

Brev. ms. Mellicense 992 saec. 15. — 1, 1 Praesens nostrum solemne sit. — 5, 4 Cum coeli laetemur. — 6, 3 nobis Marthae des gaudia.

421. De sancto Martino.

1. Martinus, meritis compar apostolis,
Praesul magnificus, pontificum decus,
In mundo celebrem consecrat hanc diem,
Qua conscendit ad aethera.

2. Martinus, modicus et pauper saeculo,
Dives ingreditur regna perennia,
Quamvis ecclesiae pace quiesceret,
Palmam martyrii tenet.

3. Hic Christum media chlamyde texerat
Tres de morte viros atque resuscitat,
Dum nudis brachiis obtulit hostiam,
Ignis coelitus adfuit.

4. Quanta possideat gaudia perpetim,
Nullum cor penetrat lingua vel explicat,
Unam namque tenet perpetuo stolam,
Praestolatur et alteram.

5. O Martine, Dei praesul amabilis,
Pro nobis Dominum posce piissimum,
Ut mundet miseros crimine sordidos,
Justis praemia conferens.

6. Hoc summus genitor, conditor omnium,
Hoc unigenitus annuat filius,
Amborumque simul spiritus omnium
Disponens bene saecula.

Brev. Aquilejense imp. Venetiis 1481. — 5, 1 O ergänzt.

422. De sancto Martino.

1. Martine, confessor patris,
Invicte miles filii,
Athleta fortis spiritus,
Nobis fave poscentibus.

2. Christi crucem tu bajulas
Christoque confixus cruci
Jucunda spernens saeculi
Gaudes modo in regno Dei.

3. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Praesens adesto cominus
Omne impetrando commodum
Et post perenne gaudium.

4. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Maguntinum anni 1413. Cod. Francofurten. Barth. 150. A. — Brev. ms. S. Bartholomaei saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 114. B. — 1, 1 Nicolae confessor B.

423. In Festo Quinque Martyrum.

Ad Vesperas.

1. Proles Francisci germinat
Crucis Christi in stipite,
Flores roseos geminat
Cruore Jesu comite.

2. Uberes fructus protulit
Rigatos Christi flumine,
Qui rorem stirpi contulit
Cum spiritus munimine.

3. Dulcem ut gustet palmitum
Liquoremque fragrantiae,
Mortis Christi se hospitum
Conjunxit redolentiae.

4. Radix de terra sitiens
Hos fusti haerens madidat
Et gladius pertransiens,
Profanus inde trepidat.

5. Ignis flamma supponitur
Capillis horum floridis,
Nec is nec caro uritur,
Nec membris fuscat squalidis.

6. Rabiem gentis perfidae
De finibus credentium
Aufer, o Jesu, provide
Ob necem morientium.

7. Familiaeque martyrum,
Pater coelestis gratiae,
Preme hostem atque dirum,
Dextra nons siste acie.

Brev. ms. Franciscan. anni 1492. Clm. Monacen. 23152. — 2, 4 monimine. — 3, 4 Jungant redolentiae. — 7, 3 Prime hoste atque thirum. — 7, 4 Dextera.

424. In Festo Quinque Martyrum.

Ad Nocturnum.

1. Pangat sanctorum merita
Coetus Minorum candidus,
Mente delectat subdita
Excelsa sede splendidus.

2. Partus virtute generat
Stirpem inclitus fulgidam,
Nec ab ipso degenerat
Nobilitate floridam.

3. Suavi multi nectare
Christi sitiunt sanguinem,
Rubentem rosae jubare
Gustant Deum et hominem.

4. Tulisse mortis verbera,
Cum uterum egreditur,
Tremunt pontus et aethera.
Dum cruce pallens moritur.

5. Languent dolore nimio,
Rubet vultus ob lacrimas,
Dulci Jesu eximio
Donant corpus et animas.

6. Deficiunt prae taedio
Cruorem mox non fundere,
Pro Christi mortis praemio
Contracta corda tundere.

7. Petunt exinde aditus
Pati livore gentium,
Quorum errorem funditus
Eliminant furentium.

8. Trucidantur funiculo,
Verberum ictus tolerant,
Figuntur spinae spiculo
Nec eas poenas ponderant.

9. Plectuntur fracto gladio,
Cervicem tendunt propere,
Jubilantes prae gaudio
Jesum sequi prospere.

10. Praestet hoc nobis genitus
Patris coelestis gratiae
Ac utriusque spiritus,
Aeternae jungant gloriae.

Brev. ms. Franciscan. anni 1492. Clm. Monacen. 23153. — 1, 4 splendidas. — 6, 3 praedio. — 9, 4 lies sequendo?

425. In Festo Quinque Martyrum.

Ad Laudes.

1. Victrix fides, quam non vides,
Martyres movit quaerere
Mitem esum, dulcem Jesum
Jam lucis orto sidere.

2. Lux in luce Jesu duce
Martyres probas framea,
In te flore et nitore
Lux, ecce, surgit aurea.

3. Rege isti coram tristi
Alligatisque manibus
Conducuntur, conspuuntur
Somno refectis artubus.

4. Igne diro fudit tiro
Mens in te, Jesu, jubila,
Jam candescunt et albescunt
Nox, tenebrae et nubila.

5. Cincti fune importune
Teruntur more scoriae,
Jesu, letum aufer, metum,
Splendor paternae
gloriae.

6. Vitam puram et securam
Victorum interemptio
Ferat, pacem, auge facem,
Jesu, nostra redemptio.

7. Videntium, tacentium
More tyrannum adeunt,
Fluit unda, rubet munda,
Vexilla regis prodeunt.

8. Nunc victores, conductores,
Iram auferte perfidi,
Nos tuendo, inducendo
Ad coenam agni providi.

Brev. ms. Franciscan. anni 1492. Clm. Monacen. 23152. — 3, 1 Reges Christi coram. — 3, 2 Alligansque. — 4, 1 furit tiro. — 4, 3 condescunt. — 5, 2 mores coriae. — 8, 2 afferte.

426. De sancto Materno.

1. Ad honorem conditoris,
Cui vivunt omnia,
Diem magni confessoris
Celebret ecclesia,
In quo cursus et laboris
Est adeptus praemia.

2. Primum hic praeordinatus
Divina clementia,
Ad Germanos destinatus
Petri providentia,
Binis fuit sociatus
Praedicandi gratia.

3. Qui insistens votis plenis
Sermonis officio,
Praegravatus mortis poenis
Raptus est de medio
Et diebus quater denis
Terrae tentus gremio.

4. Sed a morte suscitatus
Sacro Petri baculo,
Est tot annis praesul datus,
Quem convertit, populo,
Quot diebus hic humatus
Fuerat in tumulo.

5. Tandem cursu consummato
Corpus a Tungrensibus
Expetitum planctu grato
Et Coloniensibus
Rheno sursum obliquato
Datur Trevirensibus.

6. Serve Dei praeelecte,
Tua per suffragia
O Materne, Deum flecte
Impetrata venia,
Nos salutis ut perfectae
Consequamur gaudia.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Antiph. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. IV. B. — Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. C. — Antiph. ms. Franciscan. saec. 16. Cod. Bruxellen. 6433. D. — 4, 4 populum C.

427. De sancto Mauritio.

1. Dulce carmen et melodum
canimus, ecce, tibi,
O beate martyr Christi,
candidate Mauriti.

2. Nihil dignum nostra valent,
optime,
Compensare servitutis
et honoris
Corda tuis obsequiis.

3. Nempe carnem nostrae quondam
possidens consimilem,
Mortis legibus subactam
et telluris deditam.

4. Meritorum sanctitate
culmina
Coeli celsa scandidisti
ac mortalis
vitae lapsus antea
Pretioso consecrasti
Tyrannorum
Sub duellis martyrio.

5. Hinc adeptus Domini
sacra contubernia
Splendidorum angelorum
ductus es ad agmina.

6. Illi tecum incorruptis
potiuntur praemiis
Ac congaudent tibi laeti
triumphantes proeliis.

7. Hinc orantes comprecamur
cominus
Condescende nostrae vitae
medicando
Scelerum cicatricibus.

8. Ut Deo nostro tibique,
famulo
Suo, cantu expiato
modulisque
Famulemur innocuis.

9. Castam sere voluntatem,
pudica praecordia,
Membrorum da sanitatem
et vegeta viscera,
Post occasum hujus vitae
colloca
Coeli templis aureis.

10. Nec digneris pati letum
famulos,
Subiisse Phlegetontis
ac Averni
Detrimenta sulphurea,

11. Qui tibi hic canimus
laeta fide cantica
Et votorum pangimus
sedula praeconia
Ortu lucis fulgidae,
vespere, meridie,
Qui te semper laude dignum
conlaudamus carmine,

12. Laeto vultu de supernis
siderum
Nos tuere et defende
ac conserva
Venustis habitaculis.

13. Interventu, sancte, tuo
niteat
Laetabundo corde semper
illustrata
Mentis nostrae devotio.

14. Nosque labe emundatos
criminum
Regis regum fac post mortem
temporalem
Praesentari conspectibus.

Process. ms. saec. 10. Cod. Vatican. Palat. 489. A. — Cod. Sangallen. 679. add. saec. 10. B. — Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. C. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19417. saec. 10. — 2, 2 optima D. — 3, 1 carmen A, nostram ABD. — 3, 2 Passi consimilem B. — 3, 3 subacta B subactu D. — 3, 4 telluri D, dedita BD. — 4, 3 scandidistis D. — 4, 5 ante C. — 4, 6–8 fehlen C. — 4, 6 Preosa B. — 4, 8 martyria D. — 5, 1 Nunc A, Illinc B. — 5, 3 Splendorum B. — 5, 4 Ductus est C; Subintrasti B. — 6, 1 Ille B, Illic A. — 6, 3 Ac conlaudent B, Et collaudant C. — 6, 4 Triumphanti C, Triumphant in B, praemiis D. — 7, 1 comprecantur B. — 7, 3 Cumdescende B, conscendere C. — 8, 2 famuli C. — 8, 3 Tuo C. cantum A, expiati C, ex in atu B. — 8, 5 Flagitemur B, innocuis fehlt B — 9, 1 sero D, fere A, voluptatem A. — 9, 3 de sanitate B. — Bis hieher D, dann beginnt es wieder von neuem bei 4, 1: Membratorum (!) sanctitate

culmina coeli celsas (!) scandidisti u. s. f. — 9, 4 ac vegeta C, vegetata A. — 10, 1 leti B. — 10, 3 Fluviusque A, Flagetuntis B. — 10, 4 et carverni A, et caverna B. — 10, 5 sulphura A. — 11, 1 Quid tibi B, hic fehlt AB. — 11, 3 Ac votorum C. — 11, 5 Ortus A. — 11, 6 vesperi C. — 11, 7 digna B. — 11 8 carmina B. — 12, 1 Laetu B, desuper B. — 12, 4 et conserva B. — Str. 12 fehlt C. — Str. 13 fehlt AB. — 14, 3 Regi B.

428. De sancto Mauritio.

In 1. Vesperis.

1. Christum laudemus Dominum
Et Deum patrem luminum,
In quo triumphat coelitus
Princeps et dux Mauritius.

2. Cum corona victoriae
Ad thronum tendit gloriae
Cum tot et tantis milibus,
Veris Christi martyribus.

3. Quanta salus coelestium,
Quantus honor terrestrium
In Christo triumphantium
Et milibus laetantium.

4. Fermenta sacrae fidei
Et amor cordis ignei
Dulcorant jam supplicia
Ingrata pio gratia.

5. O martyres sanctissimi,
Coelesti Deo proximi,
Qui vestris nunc in milibus
Regnatis in sublimibus.

6. In virtute multiplici
Plebi favete supplici,
Et nos a malis omnibus
Vestris salvate precibus.

7. Praestet aeterna deitas,
Manens et regnans trinitas,
Ingenitus et genitus
Et spiritus paraclitus.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90.

429. De sancto Mauritio.

1. Ave, beatissima Thebaeorum victoria,
Quae sacratissimo mortis triumpho
Ecclesiam Christi late ditasti.

2. Sanctum Mauritium, ducem clarissimum,
Cum tribus milibus martyrum et amplius
Ad coeleste gaudium misit Agaunum.

3. Multa luminaria agminis praefulgida
Cum pio Cassio et Florentio,
Ducibus praeelectis, Bonna obtinuit.

4. Agrippina sacrum agmen Gereonicum,
Et venerabilem principem Victorem
Cum martyrum copiis Troja suscepit.

5. Eja, pii martyres, respicite supplices,
Ut nostris precibus obtineamus
Culparum veniam et Christi gratiam.

6. Nunc, beata trinitas, vota nostra dirigat
Pater et filius et paraclitus,
In quibus est gaudium et virtus sanctorum.

Miss. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — Das Metrum des Liedes ist das des Kiliani-Hymnus Anal. IV, 174, aber sehr verwildert.

430. De sancto Mauritio.

1. Multorum militum dux bone martyrum,
Mauriti, te cano, te modo veneror,
Vicisti saeculum et qui in eo sunt,
Triumphas ergo meritis.
2. Ab ortu luminis veneras inclitus,
Ut illuminares tenebras mentium,
Perirent hominum vana colentium
Tot dii cum sacris gentium.
3. Vir iste militum regulam tenuit,
Baptista quam dedit, hostes perterruit,
Fidelis principi, habens stipendium,
Concussit ipse neminem.
4. Renuit idolis hostias aliquas
Offerre donaque, socius maluit
Putari martyrum Christo fidelium,
Mori pro Christo maluit.
5. Iniquus imperat Caesar, ut obeat
Ex ipsis decimus, praecipit satarpis,
Occidant milites, spoliant mortuos,
Sed Christus eos suscipit.
6. Tu, primicerius, admones alios,
Contemnant idola, stabiles maneant,
Pro fide militent, mori non dubitent,
Intrabunt coeli gaudia.
7. Invictus animus, martyr egregius,
Nunc claret omnibus, quis tibi similis?
Haec dona coelitus sunt data meritis,
Mauriti, tuis maximis.

Miss. ms. Belisianum. saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. — „Metrum instar hymni Sanctorum meritis vel quasi Inventor rutili."

431. De sancto Mauro.

Ad Vesp. et Noct.

1. Hic est patris magnifici,
Benedicti mirifici,
Carus Maurus discipulus
Verusque Christi famulus.
2. Qui in adolescentia
Christi sequens vestigia
Benedicti in oculis
Complacuit miraculis.

3. Et vitae parsimonia
Morumque sanctimonia
Templum se fecit gloriae
Divinae dono gratiae.

4. Claudo gressus restituit,
Cui et loquelam tribuit,
Salutem dans cum gaudiis
Itineris cum sociis.

5. Ob mulieris gemitum
Dat seminecem genitum
Mox sanitati pristinae,
De quo laus tibi, Domine.

6. Collisis membris omnibus
Infirmum sanat precibus
Et tristem de miraculo
Daemonem ligat vinculo.

7. Caecum Maurus illuminat
Et daemonem eliminat,
Reddens defunctis spiritum
Ob vitae sanctae meritum.

8. Patris ac nati spiritus
Illuminet nos coelitus,
Et de Mauri laetitia
Sit trinitati gloria.

Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. A. — Brev. Coelestinorum imp. Venetiis 1588. B. — 6, 4 ligavit AB; lies Satan ligavit?

432. De sancto Michaele.

1. Christe, lux vera patris et figura,
Cujus ex vultu specie decora
Ducitur vita ratione nixa,
Suscipe vota.

2. Hostiam vivam tibi macto corde,
Cujus emanans placidum vaporem
Suavitas gratos superis choreis
Spiret odores.

3. In die, quaeso, tribulationis,
Daemonum cum me cunei globati
In lacum quaerent barathri cruento
Scindere dente.

4. Pacis opponat clipeum Michael,
Adsit adjutor validus Raphael,
Suscipiat sinus Patris Abrahae.
. . . . . .

5. Sit Deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis,
Qui poli summa residet in arce
Trinus et unus.

Orat. ms. Chunegundis. saec. 14. in. Cod. Pragen. XII D 8 a. — 2, 3 Suavitatis. — 3, 4 Lies Trudere dente? — 4, 3 sqq. Lückenhaft.

433. De sancta Monica.

Ad Vesperas.

1. Te ferant linguae celebrent et omnes,
Te simul totus moduletur orbis,
Saeculis cunctis memor eris ampla,
Monica, laude.

2. Cujus effusae lacrimae precesque
Cor tui durum rigidumque nati
Ad Dei magni meruere sacrum
Vertere cultum.

3. O decus summum pia spesque matrum,
Certa natorum via, dux, asylum,
Daemonum victrix, haeresum fugatrix,
Alma virago.

4. O tibi quantas populus fidelis
Gratias debet memori sub aevo,
Quem tuis summis meritis beasti,
Candida mater.

5. Quando bis mundo generares illum,
Quem sacrae per te fidei reductum
Denuo de te genitum fatemur,
Augustinum.

6. Qui tot invictus domuit rebelles,
Tot feros verae pietatis hostes,
Monstra tot, tantam rabiem repressit
Maximus ultor.

7. Qui tot errorum laqueos nocentes
Dissipans tantae tenebrasque noctis
Exstitit nulli meritis nec ulli
Laude secundus.

8. Cui Deus tantum nisi praestitisset,
Tanta scripsisset nisi tantus ille,
Tota nimirum sacra lex fidesque
Nostra ruisset.

9. Laus tibi, summe pater atque fili,
Quique procedis simul ex utroque,
Spiritus sancte, Deus unus idem,
Laus tibi semper.

Hymn. ms. S. Salvatoris de Silva lacus anni 1415. Cod. Londinen. Add 30014. A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1521. B. — In tono: „Ut queant laxis“. B. — Dan. I. 266 giebt die zwei ersten Strophen; Morel 514 den ganzen Hymnus. Der Umstand, dafs A für ein Produkt des Humanismus eine so frühzeitige Quelle ist, veranlafst mich, den Hymnus daraus zu wiederholen.

434. De sancta Monica.

Ad Laudes.

1. Excelse princeps omnium,
Mundi regis qui machinam,
Aeterna regnans saecula,
Audi tuos nunc servulos.

2. Sanctas preces qui Monicae,
Atro sub hoc ergastulo
Dum viveret, susceperas,
Donans salutem filii.

3. Alti poli nunc incolam
Raptamque tot de sordibus
Pro lubricis mortalibus
Audi precantem, quaesumus.

4. Terram colens sic contulit
Tantum cadenti saeculo,
Quod in celsos supra polos
Evecta plus nunc conferat.

5. Si nunc preces, quas largiter
Olim profudit. duplicet,
Sic nos malis et liberet
Multis suo suffragio.

6. O nos beatos munere
Tanto, bonis tam grandibus,
Ejus modo, quas porrigit
Pronus, preces tu suscipe.

7. Nunc vota cuncti fundite
Prae ceteris, qui scilicet
Vel literis gentilibus
Estis sacris vel praediti.

8. Nam haec eum nobis dedit,
Sublime cujus maximis
Omnes acumen laudibus
Cultumque summum tollimus.

9. Nos tu, pater, cum filio,
Sancto simul cum spiritu,
Unus Deus qui saecula
Per cuncta vivis, protege.

Hymn. ms. S. Salvatoris in Silva lacus anni 1415. Cod. Londinen. Add. 30014. A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1521. B. — In tono: „Ad coenam agni providi“. B. — Vgl. das zum vorigen Hymnus Bemerkte.

435. De ss. Monulpho et Gendulpho.

1. Adest sacrata praesulum
Festivitas illustrium,
Confessione cordium
Qui respuerunt saeculum.

2. Quorum colentes annuam
Festivitatem propriam,
Ipsos precamur cernui,
Ut nostra mundent crimina.

3. Oratione sedula
Votisque nostris subditis
Nobis det indulgentiam
Eorum intercessio.

4. Hoc summa praestet deitas
Patris, natique spiritus,
Quorum potestas unica
Per cuncta regnat saecula.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. — 1, 1 Adest sancta. — 2, 1 annua. — 3, 2 que fehlt.

436. De sancto Nicolao.

1. Splendor, Jesu, summi fontis paterni,
Infusus ex temet totus refulget
Missis divinitus jam Nicolaus.

2. Qui natus praeclarae civis Paterae,
Ubera jam sugens cernitur tenens
Bis per septimanam abstinentiam.
3. Tandemque adultus primum orbatus
Normam justitiae sequitur aequae,
Incestus virginum vetans per aurum.
4. Clero devotius dehinc promotus
Audivit [juvenum] letum ut trium,
Reddit continuo in palatio.
5. Post haecque emicat regemque sedat
Apparens in somnis a nece mortis
Trium aliorum innocentium.
6. Jam Dei electe tu Nicolae,
Nostri tu nunc votis annue totis
Semper ante [Deum] in perpetuum.
7. Virtus potestatis, honor perennis,
Laus in unitate ac trinitate
Sit uni Domino hic et in aevo.

Psalt. ms. Rhenoviense saec. 14. Cod. Turicen. Rhen. 27. add. saec. 16. — 1, 1 foontis. — 3, 1 Lies patre orbatus? — 3, 2 aequus.

437. De sancto Nicolao.

1. Ad tua solemnia,
Sacerdotum gemmula,
Surgat nostra concio
Piae mentis jubilo
Ducens ad memoriam
Tanti patris gloriam.
2. Cujus vita claruit
Ac talis apparuit,
Ut fama tam celebris
Non staret in tenebris,
Sed multis miraculis
Monstraretur saeculis.
3. Virginum miseriam
Patris et inediam
Dempsit liberaliter
Et familiariter
Morti tres destinatos
Liberavit pueros.
4. Quae lingua sufficeret,
Ut perfecte diceret,
Ipsius magnalia
Quanta sunt et qualia?
Hunc laudemus jugiter
Canentes solemniter.
5. Nicolae nobilis,
Gloriosae indolis,
Salus aegrotantium,
Quies laborantium,
Tua duc nos gratia
Ad vitae palatia.
6. Honor, decus, gloria,
Virtus ac victoria
Patri sit ingenito,
Nato unigenito
Et sancto spiritui
In saeculum saeculi.

Brev. ms. Gengenbacense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Geo 22. A. — Brev. ms. Constantiense anni 1301. Cod. Engelbergen. 115. B. — 4, 3 Illius B.

438. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. Nicolaus, vir electus,
clarus fuit genere,
Clarus ortu, clarus sensu,
clarior ex opere,
Veste tectus syncopata
novit sancte vivere.

2. Qui figuram suam cernens
caesam multo verbere,
Ad latrones cito pergit,
furta facit reddere
Et paganum movet toto
corde Christum colere.

3. Hic pupillos et egenos
conservare studuit,
Hic de morte tres sodales
nobiles eripuit,
Dum in somnis Constantinum
et eparchum terruit.

4. Signo crucis non videntes
oculos aperuit,
Claudis gressum atque surdis
auditum restituit,
Et in coelis post excessum
coronari meruit.

5. Audi, Christe, servulorum
preces et suspiria,
Parce nobis per beata
praesulis suffragia,
Ut cum Christo gloriemur
in coelesti curia.

Brev. ms. Metense saec. 14. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 103. — 3, 6 epartum.

439. De sancto Nicolao.

1. Purae mentis et sincero
Cordis oblectamine
Jam devota plebs cum clero
Votivo libamine
Psallat Christo, Deo vero,
Vocis modulamine.

2. Jubilantes hymnizemus
Regi potentissimo,
Praesuli solemnizemus
Concentu suavissimo,
Cujus ope congaudemus
Ritu frequentissimo.

3. Nicolaus adhuc jacens
Infans in cunabulis,
Adhuc stricta lingua tacens,
Non utens vocabulis,
Hora certa Deo placens
Abstinebat pabulis.

4. Adolescens incrementa
Virtutum adhibuit
Et egenis alimenta
Salutis exhibuit,
Sic pauperibus fomenta
Peccati prohibuit.

5. Vox coelestis declaratur
Plebis in concilio,
Praesul sedi sublimatur
Divino consilio,
Sanctus Dei consecratur
Plebetenus opilio.

6. Jam in terra constitutus
Claruit miraculis
Et legaliter exutus
Carnis obumbraculis,
Claritate sic indutus
Coeli habitaculis.

7. Sed ex ejus tumba manat
Pinguis coeli roribus
Liquor et infirmos sanat
A cunctis languoribus,
Sic peccati vas profanat
Piis a pectoribus.

8. Salus ergo sit parenti
Et nato aequaliter
Pneumatique continenti
Patri infinaliter,
Uni Deo permanenti
Sit laus aeternaliter.

Brev. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 15. Cod. Gotingen. 239. A. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 145. B. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 92. C. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 59. D. — 5, 6 Plebeteus A. — 6, 5 Claritati AB. — 7, 5 peccati nos A.

440. De sancta Oda.

1. Jesu, corona virginum,
Rex et redemptor hominum,
Sume odas colentium
Sacrae Odae solemnium.

2. Haec virgo, proles regia,
Nobilis et ingenua,
Contemnens mundi gaudia
Suspirat ad perpetua.

3. Visu orbata primitus
Illuminatur coelitus,
Te largiente pluribus
Emicuit virtutibus.

4. Natalis solum patriae
Pro dote linquens gloriae,
Terram lustrat Taxandriae
Coelestis dono gratiae.

5. Hujus prece lux omnium
Nos a faece duc criminum,
Ut post carnis hoc taedium
Ad te ducamur Dominum.

6. Deo patri sit gloria
Et filio victoria
Paraclitoque gratia,
Sacrae Odae memoria.

Propr. S. Johannis Boscoducen. imp. Antwerpiae s. a. — 4, 2 linquens gratiae.

441. De sancta Odilia.

Ad Laudes.

1. Sponsa regis angelorum,
Nobilis Odilia,
Ab immani peccatorum
Fasce nos exonera,
Ad amorem supernorum
Nostra levans pectora.

2. Cujus sanctitate vinum
Crescit suo tempore,
Fac nos toto corde primum
Regnum Dei quaerere
Et sufficientem victum
Nobis clemens adjice.

3. Prece jungens genitorem
Superis ordinibus,
Justum mitiga censorem
Nobis transgressoribus,
Qui nos nostrum det errorem
Hic purgare fletibus.

4. Monitisque praecursoris
Domini de injustis
Fac nos templum redemptoris
Tuis patrociniis,
Praemunitum intus, foris
Hostis ab insidiis.

5. Indivisae trinitati
Semper laus et gloria,
Cujus nos benignitati
Commendet Odilia,
Cui post mortem sociati
Laetemur per saecula.

Psalt. ms. S. Laurentii Sangallen. saec. 15. Cod. Sangallen. 16. — 1, 2 Nobis Odilia. — 2, 2 Crescit approbato tempore. — 4, 1 Munitisque; lies Meritisque? — 4, 2 de justis. — 4, 5 Prae momentu intus.

442. De sancta Odrada.

Ad Vesp. et Noct.

1. Jesu, corona virginum,
Da nobis manna coelicum
Odradae sanctae meritis,
Quam veneramur supplices.

2. Haec stirpe nata regia
Et corpore pulcherrima
Optatur ad connubia,
Spernit regum prosapiam.

3. Matre orbata unica
Suffert novercae tristia,
Deus, qui potest omnia,
Dedit electae gaudia.

4. Hanc pater dure respuens
Non dedicatam transiens
Ad Milligem ecclesiam
Sumitque vagam bestiam.

5. Quam pater cernens fletibus
Descendens equo genibus
Exorat flexis filiam,
Dat malae culpae veniam.

6. Orans haec in ecclesia
Tunc sitis abundantia
Hanc artat, foris exiens
Fonte cibatur hauriens.

7. Da nobis, pater coelice,
Cum filio angelice
Et spiritu paraclito
Potari fonte coelico.

Psalt. ms. Alemnense saec. 15. Cod. S. Petri Boscoducen. s. n. — 4, 3 mylliglen. — 5, 1 cernens genibus. — 5, 2 equo fletibus.

443. De sancta Odrada.

Ad Laudes.

1. Consors paterni luminis,
Sponse Odradae virginis,
Laudes canentes solvimus
Adsiste postulantibus.

2. Aufer Odradae meritis
Peccata, quae nos fecimus,
Virtutum da constantiam,
Finis ne malus capiat.

3. Sic, Christe, nobis omnibus
Odradae sanctae precibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosit exorantibus.

4. Persaepe pro coelicolis
Absolvis nexu criminis
Donando indulgentiam,
Tuos ne orcus rapiat.

5. Odrada, cum virginibus
Dilecti fruens gaudiis,
Sis memor nostri, petimus,
Cum tui sponsi civibus.

6. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi patrique gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. Alemnense saec. 15. Cod. S. Petri Boscoducen. s. n.

444. De sancta Odrada.

In 2. Vesperis.

1. Organa cordis solvimus votis
Preces servorum arce polorum,
Christe, precatur, suscipe pie,
Virgo Odrada.

2. Dator salutis, dona salutem
Omnibus nobis, merita sancta
Psallimus digna laudibus tuis
Virginis Odradae.

3. Redde beatam fonte renatam
Animam nostram maculis mundam,
Coeli jucunda petiit illa,
Cedas Odradae.

4. Auge devotam populi catervam,
Ne saevi hostis ruat sub telis,
Christe, subleva, nos tuam sponsam
Colimus Odradam.

5. Da nobis sanctam ducere vitam
Pace tranquilla, ne nos procella
Mergat in hora mortis, exora,
Virgo Odrada.

6. Angeli summo laudant in coelo
Trinum et unum nunc et in aevum,
Cujus adspectu coetus sanctorum
Stat cum Odrada.

Psalt. ms. Alemnense saec. 15. Cod. S. Petri Boscoducen. s. n.

445. De sancto Olavo.

1. Adest dies laetitiae,
Laudis adest materia,
Resultet vox ecclesiae,
Pulset hymnis coelestia.

2. Martyr insignis hodie
Palmae ferens insignia
Feliciter ex acie
Traductus in palatia.

3. Per coronam victoriae
Vera migrans ad gaudia,
Stolam suscepit gloriae
Olaus, regum gloria.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. C.

446. De sancto Olavo.

Ad Laudes.

1. Graecus Caesar constitutus
In arto certamine
Poscit opem sancti tutus
Non tardo laudamine,
Barbarorum sic adjutus
Victor redit agmine.

2. Ergo Christum imploremus
Opem ferre miseris,
Ut tyrannum superemus
Et ministrum sceleris
Et in coelis conregnemus
Reducti ab inferis.

3. Sit laus, honor patri Deo.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519.

447. De sancto Othmaro.

1. Splendor paternae gloriae
De tenebris gentilium
Lumen qui vocas pridie,
Othmarum tuum famulum.

2. Verusque sol illabere
Candore nivis nitidae,
Tuo demonstrans digito
Salutis tui dogmata.

3. Votis vocemus et patrem
In aula summae gloriae,
Rhaetiae sumpsit Curia
Othmarum saluberrime.

4. Laetus dies hic transeat
Tanti patris solemniis,
Cujus beatis meritis
Solvamur nexu criminis.

5. Aurora cursus provehit,
Suis precum praesidiis
Spretis mundus illecebris
Exsultet Christo jubilis.

6. Informet actus strenuos,
Solvat petram caliginis,
Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 1, 2 gentium. — 2, 1 illabere durchstrichen; dann noch: coelestis gratiae qui candore etc. — 2, 4 Salutaris tui. — 3, 1 Vocemus te patrem pater. — 3, 3 Rhaetiaque Curiae. — 3, 4 Othmarum sumpsit saluberrime. — 4, 2 Tanti patroni. — 4, 3 lucentibus meritis. — 4, 4 Solvemur. — 5, 1 Aurora nunc extollitur. — 5, 3 mundi. — 6, 2 Solvit. — Rücksichtlich der Emendation sei bemerkt, dafs die erste Zeile jeder Strophe dem Hymnus des Ambrosius Splendor paternae gloriae entlehnt ist.

448. De sancto Panthaleone.

1. Summi tonantis unice,
Qui cuncta regis provide,
Adesto nostris vocibus
Te, Christe, collaudantibus.

2. En, pollet lux praefulgida
Sacri cruoris conscia,
Quo sibi Pantaeleymon
Concinit coelicam Sion.

3. Hic miles ut laudabilis
Contemnens jussa principis
In hujus mundi stadio
Ditatur Christi bravio.

4. Ignem, rotam, equuleum,
Bestias, mare, carcerem,
Post victor vincens gladium
Nunc fulget pompa martyrum.

5. Hujus precatu criminis,
Jesu, nos solve vinculis,
Nondum qui lotus lavacro
Vincla dissolvit puero.

6. Honor, decus, imperium
Sit trinitati solidum
In unitate simplici,
Quam summi laudant angeli.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Colonien. 2.

449. De sancto Paulo.

1. Sancte Paule, pastor bone,
Vas electum Domini,
Praedicator
Gentium egregie.

2. Quem Damasco propinquantem
Lux divina subito
Circumfulsit
His verbis interrogans:

3. Saule, Saule, quid me caedis?
Ego sum Jesus benignus,
Omnium conditor,
Qui te quoque
Condidi ex nihilo.

4. Tunc in terram corruisti,
Nec sufferre potuisti
Vocis vim coelicae,
Mox futurus
Doctor in ecclesia.

5. Seminans fidei
Dogmata catholicae
Numerum credentium
Accumulans.

6. Ex quibus nos sumus,
Licet in novissimis
Constituti temporis
Angustiis.

7. Nos audi supplicantes,
Lux decus orbis hujus,
Atque vota famulorum
Pura mente famulantum
Recita judici,
Qui coelorum
Continet insignia.

8. Tu pastor nobis datus,
Tu gregis Christi custos,
Ejus pro salute semper
Supplicare regi nostro,
Cujus imperium
Sine fine
Manet in perpetuum.

9. Tu, feritas hominum
Quotiens id exigebat,
Carnem tuam cruciabas
Sempiternam
Ut acciperes gloriam.

10. Ter pelago navibus
Crepitis
Ingenti de periculo
Vix elapsus
Mortis merito coronaris
Ab altithrono.

11. Tu flagellis crebro caesus
Nomen Christi resonans
Superasti
Verbera carnificum.

12. Certe semel lapidatus
Inter imbres saxeos
Cecinisti
Cantica vivifica.

13. Multa sunt, quae memorantur,
Multo plura, quae tacentur,
Vincula, verbera,
Quae subisti
Pro fide dominica.

14. Nunc in sede duodena
Post beatum Petrum sedes
Judicans populos,
Tuos quoque
Proprios contribulos.

15. Ideo petimus,
Ut, qui tanta passus es,
Damna nostra
Gravia consideres,

16. Variis casibus
Et timori subditis
Pietatis
Munere subvenias.

17. Nos juste pro peccatis
Tot poenis agitamur,
Pugnae foris, timor intus,
Ultor adstat loricatus,
Gladiis trucibus
Subjacemus
Et diris praedonibus.

18. His malis interventu
Nos tuo liberari
In amore salvatoris,
Qui pro nobis crucifixus,
Supplices petimus
Cum sudore
Tristis poenitentiae.

19. Naufragii conscius
Navi nostrae tempestate
Liberatae portum pande,
Ubi protinus
Inveniet Dominum.

20. Parce fruens dapibus
Sedulo nos pane, vino
Satiatos abstinere
Vitiis tribuas,
Quae necant animam.

21. Sancte Paule, praesul magne,
Nobis opem fer divinam
Et perenne
Gaudium in saecula.

Process. ms. saec. 10. Cod. Vatican. Palat. 489. A. — Cod. Sangallen. 679 add. saec. 10. B. — Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. C. — 4, 4 futuris A. — 5, 3 credenti D. — 6, 1 Ex quibus novissimus B. — 7, 3—5 fehlen A. — 7, 5 recta judicii B. — 7, 7 Continent A. — 9, 2 id exhibes B. — 9, 3 carmen A, macerabas B. — 10, 2 Creditis A, crevitis B, creditas C. — 10, 3 de fehlt B. — 10, 4 Ut elapso A. — 10, 6 ab alto throno A. — 11, 1 Tunc flagellis BC. — 12, 4 Cantica davica (l: Davidica?) A. — Str. 13 u. 14 umgestellt C. — 13, 2 quae docentur B. — 14, 3 populos fehlt A. — 14, 5 Tuos fehlt A. — Str. 15 u. 16 umgestellt B. — 15, 1 Supplices petimus B. — 15, 4 considerans C. — 16, 2 timore ABC. — 16, 4 subvenies A, subveniens B. — Das weitere fehlt C. — 17, 2 Tot fehlt B, poenis A, agitemur AB. — 17, 3 Pugna B. — 17, 7 Et dipredonibus A; Et tiris prae domibus B. — 18, 1 interventus A. — 18, 2 liberare A, liberati B. — 18, 7 poenitentia B. — 19, 2 nostri A, nostra B. — 19, 3 Liberati A, fehlt B; pandens B. — 19, 5 Invenies B, Dominus A. — 20, 1 Parte fruges B. — 20, 2 Secundo nos B. — 20, 3 Satiatus A. — Bei 12, 4 springt A von fol. 8b auf 17a über. — Der Hymnus ist sequenzartig gebaut, nur zwischen 9 und 10 läfst sich der Parallelismus nicht erreichen.

450. De sancto Paulo.

1. Doctor egregie, Paule, mores instrue
Et mente polum nos transferre satage,
Donec perfectum largiatur plenius,
Evacuato, quod ex parte gerimus.

2. Plasmator Pauli, doctoris eximii,
Suo rogatu nos tecum nunc dirige
Et jugiter hic nos defende sedule,
Ut te fruamur in aeterna requie.

3. Virgo caste, Paule, hostes nostos repelle
Nos protegendo armis tuae gratiae,
Quam tibi dedit imperator omnium
Nos liberando de veneno viperae.

4. Vas deitatis secretorum omnium,
Nos recommenda nostro pio judici,
Ut sentiamus nos habere gratiam,
Quam exspectamus nunc et in perpetuum.

5. Sit trinitati sempiterna gloria
Honor, potestas atque jubilatio,
In trinitate cui manet imperium
Ex tunc et modo per aeterna saecula.

Antiph. ms. Italicum saec. 15. Cod. Rossian. s. n.

451. De s. Paulo Eremita.

Ad Nocturnum.

1. Antiquum throno positum
Scandit Paulus ad inclitum,
Dierum senex, insitum
Verbum et sanctum spiritum.

2. Beatus puer oneris
Jugum sub annis teneris
Christi tulit et sceleris
Nil traxit doctus literis.

3. Cum ditat gaza puerum
Multa parente liberum,
Sanctorum Christi pauperum
Libens surgit ad numerum.

4. Dolosi non ulciscitur
Affinis iram, patitur
Hostis, Christum consequitur
Parentem, cum occiditur.

5. Et sanctum in certamine
Hunc caedi ferro, flumine,
Hunc cernit cum libidine
Bellantem sine crimine.

6. Fretum sancto juvamine
Spirato Christi numine,
Linguae praecisae sanguine
Polluto vulto feminae.

7. Gemit adversa, prospera
Plus metuit, ad nemora
Fugit; o Paule, munera
Beata nobis impetra.

8. Honor virtutis inclitae
Patri prolique genitae,
Sacro spirato flamini
Sit sine meta termini.

Brev. ms. Franciscan. Gallic. saec. 14. Cod. Matriten. Bb 166. A. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 734. B. — Brev. ms. Eremitarum s. Augustini saec. 15. Cod. Londinen. Add. 16891. C. — Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX D. — Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. E. — 1, 1 corona positum D. — 1, 3 senex unicum D. — 1, 4 Verbum tenet et spiritum. — 2, 4 Non traxit ABD. — 3, 1 Dum ditat B. — 3, 4 munerum A. — 4, 3 Christum hosti consequitur ABD. — 4, 4 fehlt A; Per eum dum occiditur D. — 5, 1 B sanctos BDE, sanctis A. — 5, 2 flamine BD; caedi in cruciamine A. — 6, 1 Precum sancto B, sacro A. — 6, 3 Lies nomine? — 7, 1 Demit A, Temnit D. — 7, 3 Fugit pauper munera D. — Str. 8 fehlt D.

452. De s. Paulo Eremita.

Ad Laudes.

1. In vasta solitudine
Ut adipis pinguedine
Afflatus sacro flamine
Christum cernit in lumine.

2. Karica pauca pascitur,
Caro jejuna teritur,
Sed spiritus erigitur,
Fraus hostis multa pellitur.

3. Latex arentem reficit,
Non vini luxus inficit,
Sophia patris afficit,
Paulum virtute perficit.

4. Membra sacrata mollibus
Spretis palmae rigoribus
Operta charismatibus
Refloret et virtutibus.

5. Novit orare sedulus
Fidelis Dei famulus,
Nos meritis et precibus
Jungat sanctorum civibus.

6. Honor virtutis inclitae
Patri prolique genitae,
Sacro spirato flamini
Sit sine meta termini.

Brev. ms. Franciscan. Gallic. saec. 14. Cod. Matriten. Bb 166. A. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patavien. 734. B. — Brev. ms. Eremitarum s. Augustini saec. 15. Cod. Londinen Add. 16891. C. — Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. D. — Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. E. — 1, 2 adipem A; adipe D. — 1, 4 cernit fehlt A. — 2, 1 Farina parva D. — 2, 2 Jejuna caro D. — 3, 2 Non fehlt D. — 4, 3 Aperta B. — 4, 4 Reflorent A. — 5, 1 Novit ora redulus A. — 5, 4 Conjungat coelorum A. — Die drei Hymnen auf Paulus bilden zusammen ein Alphabet; den Hymnus ad Vesperas, die Buchstaben O—X umfassend, vgl. Anal. IV, Nr. 413.

453. In Translatione s. Pauli.

Ad Vesperas.

1. Inclitos Pauli recolens honores
Concinat laudes populus fidelis
Atque coelestes resonent canoro
Carmine cives.

2. Ille terrenis opibus locuples
Literarumque studio peritus
Atque florentis fuerat juventae
Splendidus aevo.

3. Praetulit Christi tamen his amorem
Dulcis et linquens patriae penates,
Ut Deo soli vacet, in silenti
Conditus antro.

4. Fame nutricem scelerum juventam
Frangit et corpus subjicit labore,
Ut Deo castam sine labe vitam
Ducere possit.

5. Hoc duce prisci petiere patres
Antra deserti Dominumque pura
Mente quaerentes meruere vitae
Regna beatae.

6. Paule, sic nostram petimus salutem
Cures, ut coeli subeamus arcem
Atque cum sanctis mereamur hymnos
Dicere Christo.

7. Sit Deo patri decus et potestas
Et tibi, lapsi reparator orbis,
Quique septenis, paraclete, lustras
Pectora donis.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. — 1, 2 Concinet. — 3, 2 penatas.

454. In Translatione s. Pauli.

Ad Laudes.

1. Laudibus Christo jubilent fideles,
Cujus in terris deditus amori
Paulus aeternam meruit coronam
Caelibe vita.

2. Palma praebebat foliis amictum,
Fructibus victum, sitientis amnis
Irrigat fauces, tamen nec unquam his
Est satiatus.

3. Mente coelestes meditans honores
Splendidam Christi faciem frequenter
Adspicit gaudens fruiturque dulci
Nectare coeli.

4. Pane sexdenos alitur per annos,
Quem Dei nutu medium ferebat
Corvus, ut fessam melior senectam
Pasceret esca.

5. Inde post vitae varios labores
Inter orandum moribunda membra
Spiritus linquens meritis coruscans
Astra petebat.

6. Obviam cives veniunt superni,
Et prophetarum comitatur agmen,
Angeli summi revehunt canentes
Regis in arcem.

7. Paule, jam summo residens Olympo,
Impetra Christi famulis favorem,
Ut scelus laxet tribuatque summum
Scandere coelum.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540.

455. De sancto Paulino.

1. Agamus Domino laudes cum cantico
Melodis vocibus et piis mentibus,
Qui suos martyres, strenuos milites,
Coronat pro victoria.

2. Benigna caritas, sanctorum pietas
Terrena respuit, coelica tenuit,
Paulinus floridum probat martyrium
Tormenta per immania.

3. Cujus sanctissimum caput per ferreum
Teritur malleum, funditur cerebrum,
Cruore rubeum, sicut lac candidum
Ad faucis currens intima.

4. Da nobis, Domine, pro tuo nomine
Devote vivere, te semper timere
Teque diligere, placide colere
Paulini sacra merita.

5. Esto propitius tuis fidelibus,
Rex potentissime, conditor optime,
Paulini servulos magnos et parvulos
Guberna tua gratia.

6. Fiat hoc, genitor, fer, mundi redemptor,
Da, sancte spiritus, quod sane petimus;
Sit tibi, trinitas, una divinitas,
Laus, honor, virtus, gloria.

Brev. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 16. Cod. Darmstadien. 2656. — 3, 2 Conteritur.

456. De ss. Petro et Paulo.

1. Sanctorum pariter promite principum
Natalem, socii, psallite laudibus
Insignemque triumphum,
Gaudentes sonitum date.

2. Hoc poscit utique inclita gloria
Tantorum comitum regis et optimi,
Cum quo lucis in arce
Laeti perpetuo manent.

3. Nam Petrus titulum erigit arduum,
Cum pro laude Dei claviger aetheris
Exsultat generosus
Coeli regna potens tenens.

4. Cujus perpetuus exstat et inclitus
Paulus nam socius doctor et optimus,
Christi vas pretiosum
Et rector populi Dei.

5. En, quod iste vocat, ille supra locat,
Quod Paulus adhibet, hoc Petrus inseret,
Christi testis uterque,
Coeli cives et incolae.

6. Christum morte crucis nam sequitur Petrus,
Cum caesus capite Paulus et horride est,
Victores caput unum,
Ambo rite tenent domum.

7. Nos horum precibus, Christe, piissimis
Te dones citius poscere coelitus,
Absit scelus quod omne
Et cuncta veniant bona.

8. Immunes manibus simus et actibus,
Sensum corde pium confer et optimum,
Ut te rite colentes
Sequamur Dominum greges.

9. Cujus orbis honor, cujus et aethera,
Cujus tam et salus et bona maxima,
Est cui nomen in aevum,
Regnum perpetuum simul.

Hymn. ms. Fredeslariense saec. 11. Cod. Casselan. Ms. theol. IV 25. — 4, 4 Deus. — 6, 1 Spiritum (Spm), falsche Initiale.

457. De sancto Petro.

1. Apostolorum principem,
Celsam columnam ecclesiae,
Fortem petram fundamine,
Petrum fideles concrepent.

2. Hic pastor et vicarius
Altissimi praelatus est
Barjona nomen promerens
Et porta coeli factus est.

3. Clarus sacro praeconio,
Princeps caputque principum,
Dignus, cui dans gloriam
Pedes redemptor abluit.

4. Qui puppe lapsus pendulo
Pontum premit vestigio
Et dorsa per liquentia
Fidus fide perambulat.

5. Tactu salubri arentia
Resuscitans cadavera
Et umbra, quotquot attigit
Aegros, medelam contulit.

6. Virtute tanta nobilis,
Ubique primus eminens,
Romae cathedrae praesul est
Et arce coeli consul est.

Hymn. ms. saec. 10. Cod. Bernen. 455. — 2, 3 Vom Worte nomen nur die erste Silbe geschrieben. — Cfr. Hagen, Carmina medii aevi (Bernae 1877) p. 59.

458. De ss. Praejecto et Amarino.

1. Annua festa celebret ecclesia
In laude Christi, quem adorant angeli,
Qui dedit clemens triumphare milites,
Quorum coronas pandit haec solemnitas.

2. Sanctus Praejectus, pontifex egregius,
Digno amori Amarino hospiti
Notus placebat, caritas hos junxerat,
Donans abbatem pontifici comitem.

3. Qui cum exemplum fidei et operum,
Praesul doctrina, abbas reverentia
Populis darent, clari signis fierent,
Per hostis dolum passi sunt martyrium.

4. Hos infinitae consortes laetitiae
Poscimus nobis adesse suffragiis
Apud te, Christe, fons misericordiae,
Ut nos hic regas tandem illis socies.

5. Quod tu concedas, sempiterna trinitas,
Praesens ubique, unius essentiae,
Ut te laudantes dicamus unanimes:
Laus Deo soli in saeculum saeculi.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Eremiten. 759. — 4, 4 regat; sociat.

459. De sancto Quintino.

1. Militem Christi pariter canamus
Quintinum, sacris meritis coruscum,
Hymnicas Deo resonando laudes
Carminis almi.

2. Adsto nunc tuis oculis cruentis,
Sed manu Christi moderante cuncta
Victor in poenis penetravit terras
Sorte reorum.

3. Roma quem dudum genuit, triumphis
Pressa jam Christi meritisque docta,
Martyrem sed nunc coronante Christo
Gallia servat.

Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10. in. — Augenscheinlich nur Anfang und Schluſs eines längeren Hymnus; wahrscheinlich sind nach Str. 1 und zwischen 2, 1 und 2, 2 Strophen ausgefallen.

460. De sancta Quiteria.

Ad Vesperas.

1. Chorus novae Jerusalem
Quiteriam virginalem
Supra ut cum coelicolis
Colat hoc festum gaudiis.

2. Quo Christus, invictus leo,
In sanguine virgineo
Gloriari dum quaeritat,
A morte functos excitat.

3. Quam devorarat improbus,
Gazam fudit Alfadius,
Plebis post virgines [sacras]
Jesum sequuntur agmina.

4. Triumphat ille splendide
In capite Quiteriae.
Fontis qui latera unam
[Sibi] facit rem publicam.

5. Ipsum canendo supplices
Precemur, ut per limites
Quiteriae oratio
Nos ordinet palatio.

6. Per saecla mente nescia
Regnat virgo Quiteria,
Laudans patrem cum genito
Et spiritu paraclito.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — 3, 1 devorat. — 3, 3 Plebs; sacras ergänzt. — 4, 2 Quinteriae. — 6, 1 saecula. — 6, 2 Quinteria.

461. De sancta Quiteria.

Ad Nocturnum.

1. Quem terra, pontus, aethera
Colunt, vexit ad sidera,
Gaudet ubi Quiteria
Aeterna Christi gloria.

2. Vox clara, ecce, intonat,
Hanc angelique roborat,
Tenet votum oraminis
Consors paterni luminis.

3. Jesu, corona virginum,
Subarrhasti per annulum
Quiteriam magnam modo
Devoto corde et animo.

4. Tibi, Christe, splendor patris,
Virgo flore castitatis
Adhaerens noxas mutilat,
Ut lux aurorae rutilat.

5. Exsultet mentis jubilo
Terra lustrata nubilo,
Dicat infirma concio:
Laus plena fiat gaudio.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — 1, 3 Gaudet ut Quiteria. — 1, 4 gloriam. — 3, 3 Quiteria magna. — 4, 4 lux amore.

462. De sancta Quiteria.

Ad Laudes.

1. Recreator et purgator,
Per virginem te, regnator,
Vasconum colit pietas,
Fidelis universitas.

2. Hymnum Deo vox jucunda
Sonuit, dum virgo munda
Sectum caput continuit,
Novum sidus emicuit.

3. Audi precantis agminis
Preces merito virginis,
Nostra remitte crimina,
Rerum salus intermina.

4. Adest dies sanctissima,
Qua martyr candidissima
Dat trinitatis radio
Festivo laudes gaudio.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — 1, 3 Nasconum colit quietas. — 3, 4 Rex salus.

463. De sancta Regenflede.

Ad Vesperas.

1. Coeli pandant gloriosum
virginis praeconium,
Vitam atque penetrale
secretorum omnium,
Atque fantur, quod non fatur
apud ullum hominum.

2. Rex aeternus ac immensus,
rex insuperabilis,
Qui creavit coelum, terram
mira providentia
Facit, ut in sanctis suis
exstet ineffabilis.

3. Regenfledis admirandae
implevit praecordia
Vivo fonte, quo potaret
subditorum agmina,
Quibus sanctam donis plenam
promulgaret regulam.

4. Angelorum nacta vitam,
ut mortales angelos
Faceret et veri solis
propalaret radios
Et supernae civitati
restauraret perditos.

5. Per desertum hujus vitae
gregem sibi subditum
Manna pavit ac lymphavit,
quo pararet aditum
Ad ingressum sanctae terrae,
quo pars est viventium.

6. Sit laus patri filioque,
laus sit sancto flamini,
Qui devotam Regenfledam
magnis vitae meritis
Decoravit et aeternis
mancipavit praediis.

Apographum ecclesiae in Hoenepel saec. 18/19.

464. De sancta Regenflede.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, Austrovandia,
Gaude de Christi munere,
Laudes in voce varia
Corde promas et opere.

2. Regenfledis sanctissima
De te nascendo prodiit,
Rite detestans infima
Coeleste regnum petiit.

3. Ex regali prosapia
Regi coelesti placuit,
Electum super milia
Quaerens invenit, tenuit.

4. Conjuncta coeli civibus
Vitae potatur flumine,
Divinis vacans laudibus
Lumen vidit in lumine.

5. Laeta stupet vicinia
Fractis naturae regulis,
Dum per ejus suffragia
Miranda fiunt saeculis.

6. Laus patri sit ac genito
Simulque sancto flamini,
Ut Regenfledis merito
Nos coeli jungant agmini.

Apographum ecclesiae in Hoenepel saec. $^{18}/_{19}$. — Vgl. den Elisabeth-Hymnus Anal. IV, 130.

465. De sancta Regenflede.

Ad Laudes.

1. Hymnum novae laetitiae
Regi canamus omnium,
Qui Regenfledi inclitae
Coeli dat regni solium.

2. Monstrant clare miracula,
Quanta sit in coelestibus,
Morbos, pestem, pericula
Suis fugando precibus.

3. Dum ava caeca visitat
Beatae hujus tumulum
Ejusque opem dum orat,
Visum recepit pristinum.

4. In ejus nunc praeconia
Linguam solvat ecclesia,
Virginis sacrae gloriam
Promat sperando veniam.

5. Ipsius per te precibus
Justificari poscimus,
Ut post vitae miserias
Coelum nobis aperias.

6. Trino Deo et simplici
Sit sempiterna gloria,
Qui praemio multiplici
Sanctam ornat in patria.

Apographum Ecclesia in Hoenepel saec. $^{18}/_{19}$.

466. De sancta Regiswinde.

1. Mater sancta ecclesia,
Regiswindis solemnia,
Martyrium et merita
Cole laude debita.

2. Claris haec ex parentibus,
Ut illuceret gentibus,
Orta divina gratia
Cunctorum ad solatia.

3. Libens progenitoribus
Paruit et majoribus,
Sic in aetate tenera
Christi relucent opera.

4. Christi virgo dum cresceret
Et gratia lucresceret
In septennii dulcore
Christicolarum more,

5. Nutrix Satanae profani
Suasu verbera germani
Ulcisci volens nequiter
Necat puellam acriter.

6. Nec satiata scelere
Nefasque volens tegere
Martyrem cum induviis
Exponit sanctam fluviis.

7. Illaesum corpus rivulo
Extractum datur tumulo,
Sed spiritus in anima
Varia cepit gaudia.

8. Laetus praesul oraculo
Sacrato tabernaculo
Tumbam altat mirifice,
Intonant voces coelicae.

9. In martyris victoria
Sit trinitati gloria,
Per cujus patrocinia
Poli sumamus gaudia.

Diurn. ms. Adelbergense saec. 15. Cod. Univers. Patavin. 948. — 1, 4 fehlt eine Silbe; lies nunc cole oder recole? — 4, 2 Divina gratia lucresceret; lies lucesceret? — 4, 4 fehlt eine Silbe. — 5, 4 Occat puellam. — 8, 1 Latus praesul.

467. In Translatione Trium Regum.

1. Jesu, vocator gentium,
Illuminator cordium,
Haec pro magorum gloria
Clementer audi cantica.

2. Ducti superno lumine
Currunt magi cum munere
Et te reperto procidunt
Laetique dona proferunt.

3. Quot dona, tot mysteria:
Per thus patet divinitas,
Auro potestas regia,
Myrrhaque mors ostenditur.

4. Dum sanctitati debitas
Magi coronas impetrant,
Terrae relinquunt corpora,
His dives est Colonia.

5. Horum rogatu, quaesumus,
Largire, Jesu, servulis,
Sequi vocantis gratiam,
Ut consequamur gloriam.

6. Deo patri sit gloria
Tibique, patris unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Hymn. ms. Sanctensis saec. 15. Cod. Sancten. s. n. add. saec. 15/16. — Mel.: A solis ortus cardine.

468. De sancto Remigio.

1. O confessorum dignitas,
Ex te manat benignitas,
Quam Christi vera charitas
Ex pura nutrit gratia.

2. Remorum in remedium
Salutis prodit lilium,
Quae protulit Remigium
Ad Francorum solatia.

3. Mirabilem virtutibus,
Perplacidum obtutibus
Cunctorum atque nutibus
Hunc divina clementia.

4. Mirando fidem praedicat
Exemplis et fructificat,
Infirmos verbis medicat
Sua sancta praesentia.

5. Orans lumen restituit
Caecis, vinum, quod defuit,
Augmentat et comminuit
Hostis diri saevitiam.

6. Mactus hic in contrariis,
Humilis in fortuniis,
Compatiens miseriis
Moestis dedit laetitiam.

7. Propulsa, pater, nebulas
Culpae, pacis da serulas,
Mentes opere sedulas
Fac caritatis germine.

8. Nobis hoc summa trinitas,
Simplex concedat unitas,
Patris, nati divinitas
Cum sancto semper flamine.

Psalt. ms. Borkense A 6. saec. 15. — 2, 2 Salutis pre exsilium. — 6, 1 atus hic in mit fehlender Initiale. — Mel: Jesu nostra redemptio.

469. De sancto Roberto.

1. Olim vernans Campania
Novum produxit flosculum,
Cujus nobis fraglantia
Vitae praestat spiraculum.

2. Cisterciensis ordinis
Primus cultor et regulae,
Causam dedit originis
Religionis plantulae.

3. Benedicti patris aemulus,
Sic illi se contemperat,
Ut fonte manans rivulus
Aquas vitae circumferat.

4. Eja, fratres, jam plaudite
Roberti ob memoriam,
Laudes patris attollite
Sequendo sanctimoniam.

5. Qui velut sol in aethere
Fulsit in domo Domini,
Clarus signis et opere,
Carus Deo et homini.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

470. De sancto Rudberto.

1. Macte, summe confessorum
Cum Christo regnantium.
Gregis tui pastor pius,
adesto precantibus
Et criminum veternorum
resolve chirographum.

2. Sit patri virtus, potestas,
perpes sempiternitas,
Ejus concrepet et nato
honor, jubilatio,
Pneumati sit laus perennis
saeculorum saeculis.

Brev. ms. Lambrechtense saec. 15. Cod. Eschingan. 313.

471. De sancta Scholastica.

Ad Nocturnum.

1. Nunc sanctae nobis virginis,
Christe, da festa colere,
Pro castis cujus meritis
Te das in coelis cernere.

2. Haec pro te mundi gaudia
Spernens, quo vixit, tempore,
Laudes atque precamina
Studebat tibi solvere.

3. Haec virgo sacratissima
Servavit pudicitiae
Formam et sine macula
Tecum sedet in aethere.

4. Quam precamur assidue.
Ut nostris pro reatibus
Sit apud te, piissime,
Oratrix suis precibus.

5. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX.

472. De sancta Scholastica.

Ad Vesperas.

1. Hymniza cum tripudio
Et cantu, grex monastice,
Ferventi colens studio
Solemnia Scholasticae.

2. Haec sprevit ab infantia
Cum suo flore saeculum,
Sequens omni constantia
Mariam vitae speculum.

3. Germana fratri similis
Diruptis mundi casibus
Ad Christum sponsa nobilis
Mentis currebat passibus.

4. Hinc sanctimonialium
Exemplar esse meruit,
Bonorum aeternalium
Quibus iter aperuit.

5. Regnaret ut heriliter,
Serviles motus fomitis
Subjiciens viriliter
His imperavit domitis.

6. Haec nunquam cum errantibus
Mundi cucurrit devia,
Ut Christo famulantibus
Lux esset et dux praevia.

7. Frater audire renuit
Precem hujus sollicitam,
Soror invitum tenuit
Per tempestatem subitam.

8. Ut nos defendat miserans,
Ad aures Dei clamita,
Tu prece coelum reserans,
Dux, mater, soror, amita.

9. Dignare nos hoc nomine
Fratris favendo filiis,
Confirma nomen omine
Vivacibus auxiliis.

10. Sit Deo patri gloria,
Sit nato, sit paraclito,
Dum famulae victoria
Culto laudatur debito.

Brev. ms. Murense saec. 15/16. Cod. Araugien. M 9. Fol. A. — Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. B. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. C. — 1, 1 Hymnizet B. — 1, 2 monastico B. — 1, 3 Ferventer B. — 2, 3 Sequens cum constantia AC. — 3, 2 Mundi diruptis A. — 4, 1 Nunc sanctimonialium B. — 4, 2 esse fehlt A. — 5, 4 imperaret. B. — 7, 3 Sororem invitam A. — 8, 1 Et nos A. — 8, 2 clamitans A, clamitat C. — 8, 3 coelum prece AC. — 8, 4 Tu mater B, sonorum C, amica ABC. — 9, 2 Fratres fovendos A. — 9, 4 Viventibus A.

473. De sancto Sigisberto.

1. Iste confessor Dei Sigisbertus
Et Columbanus propria linquentes
Ambo haeserunt Domino coelorum
Ex toto corde.

2. Eremum intrant domibus relictis,
Ludicra cura nobilique pompa,
Mundo in isto nil amabant, Dei
Spiritu pleni.

3. In juventute sobriique casti
Pii, quieti, dogmate sacrato
Initiantes baptizabant multos
Fide instructos.

4. Flos paradisi, sanctus Sigisbertus,
In disciplina patris sub rigore
Vivens, plantavit Dei militiam
Ordine sacro.

5. Chorus te laudet sacerdotum sacer
Monachorumque, virginum sanctarum
Pangat caterva sub honore tuo
Munia laudis.

6. Clemens et pius mitisque ad omnes,
Sanctus Sigisbertus propria largitus
Pauperque Deum sequens gaudet stola
Jam duplicata.

7. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra coeli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — Zum Vergleiche folgt der Text der Hs:

1) Confessor Domini Sigisbertus et pater Columbanus propria loquentes (!) adhaeserunt Domino corde toto.

2) Exsilium intrabant domibus relictis ludicra cura pompa nobili mundo nil amabant Dei spiritu pleni.

3) In juventute sobrii casti pii et quieti sacrum dogma imittantes baptizabant multos fide instructos.

4) Sigisbertus flos paradisi in disciplina magistri sub rigore coiuens plantat Dei militiam ordine sacro.

5) Chorus te laudat sacerdotum monachorum et virginum pangat caterva honore tuo munia laudis.

6) Clemens pius et mitis ad omnes sanctus Sigisbertus propria largitus pauper Deum sequens gaudet stola duplicata. — 7) Sit salus illi.

474. De sancto Simeone.

1. Concinat noster chorus hoc in aevo
Nunc modo nostris reserata saeclis
Dona, quae quondam latuere multis
Clausa sub umbris.

2. Tempus dum venit opis et salutis,
Virgo post partum remanens Maria
Orbis auctorem peperit stupente
Foedere mundi.

3. Tunc erat sacra Simeon in urbe,
Justus et turbae venerandus omni,
Qui redemptorem cupide petebat
Accelerari.

4. Ille responsum meruit supernum
Ne prius mortem pateretur, usque
Carnis indutum trabea tonantem
Cerneret ulnis.

5. Virgo dum templum filium ferebat,
Legis ut ritu Domino dicaret,
Obviam venit Simeon, vocatus
Sorte superna.

6. Suscipit coelum lacrimis obortis
Tunc senex divos referens honores,
Siderum regi puero canebat
Carmina laudis.

7. Carne jam fessus cupiens resolvi,
Non timet caeci aditus Erebi,
Dum cito sperat redimi per agnum,
Quem videt ortum.

8. Auferat nostros puer ut reatus,
Quem tuis sacris manibus tulisti,
Jugiter mactis meritis perora,
Juste sacerdos.

9. Laus patri summo genitoque semper,
Flamini sacro simul et potestas,
Qui Deus simplex ditione solus
Cuncta gubernat.

Brev. Valentinum imp. Neapoli 1489. — Nach Str. 4 Divisio ad Laudes.

475. De sancto Sixto.

1. Christe, sanctorum precibus tuorum
Vincla pollutae pie solve linguae,
Cordis ut puris resonemus antris
Carmina laudis.

2. Haec dies Sixti meritis beati
Constat jucundo veneranda mundo,
Qui tuos gressus meruit secutus
Scandere caelos.

3. Non fuit major tibi, Roma, doctor
Pontifex sancto potiorque Sixto,
Qui nefandorum potuit deorum
Sternere templum.

4. Ille divinis adeo praeceptis
Mitis ac promptus paret, ut benignus
Sanguinis rubra meruisset unda
Gaudia celsa.

5. Martyris hujus precibus placatus
Terge jam nostras, Deus alme, culpas
Nosque coelorum habitare regnum
Redde per aevum.

6. Laus patri sancto maneatque nato,
Cum quibus sanctus regit omne flatus,
Quidquid in terra viget atque supra,
Saecula cuncta.

Brev. ms. Wisensteigense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1 Fol. 178. — 6, 2 omni flatu.

476. De sancto Stanislao.

1. Gaude, mater ecclesia,
Gaude, felix Cracovia,
Stanislai eximia
Celebrans solemnia.

2. In hac vita qui dum vixit,
Functo jam foetenti dixit:
Surge frater, et revixit
Huic in testimonium.

3. Aures surdis reserasti,
Claudis gressum reparasti,
Caecos luce perlustrasti
Divina clementia.

4. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Stanislai
Ducat ad coelestia.

Brev. ms. Benedictin. Cracovien. (?) anni 1406. Cod. Berolinen. IV° 149. (Scriptum per Albertum, filium Bartholomaei, natione de Srroda.)

477. De sancto Stephano.

1. Christe, sanctorum decus atque virtus,
Splendor aeterni radians parentis,
Vota servorum veniam precantum
Suscipe clemens.

2. Ecce, solemnes resonemus omnes
Carminum laudes Stephani colentes
Festa, qui celsum meruit polorum
Scandere regnum.

3. Aula quo coeli patuit secreti,
Christus a dextris genitoris adstans
Hocque hostilem patiente plebem
Milite vicit.

4. Hujus ut nostram precibus beatam
Coelitus vitam facias, precamur,
Perpetis regni tribuendo semper
Gaudia nobis.

5. Arce quo coeli mereamur omnes
Alma sanctorum habitare templa
Intra sacratum numerum piorum
Omne per aevum.

6. Praestet hoc nostrae genitor catervae
Ejus ac natus pariterque sanctus
Spiritus cunctae simul atque turbae
Christicolarum.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. A. — Hymn. ms. Fredeslariensis saec. 11. ex. Cod. Casselan. Ms. Theol. IV. 25. B. — 1, 3 precantis A. — 3, 2 ad dextris B. — 3, 4 Militem A.

478. De sancto Stephano.

1. Hymnum canamus gratiae
Christo, qui est rex gloriae,
Et Stephani martyrium
Plebs recolat fidelium.

2. Hic erat plenus gratia,
Ut testatur historia,
Faciens prodigia
Et signa mirabilia.

3. Coelos videns vir inclitus
Apertos est intuitus
Jesum stantem in gloria
Ad patris sui dexteram.

4. Haec Judaeis cernentibus
In hunc stridebant dentibus
Et impetum crudeliter
Fecerunt unanimiter.

5. Extra urbem projicitur,
Lapidibus obruitur,
Saulus custodit omnium
Vestes lapidantium.

6. Sic pro se lapidantibus
Orat cunctis adstantibus:
Hoc peccatum ne statuas
Illis, Christe, sed abluas.

7. Cum haec dixisset, subito
Obdormivit in Domino,
Cui laus est et gloria
Per infinita saecula.

Antiph. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Tungren. IV. — 3, 3 in gloriam. — 3, 4 Lies A patris sui dextera? — 4, 4 Steterunt unanimiter.

479. De s. Stephano Grandimontensi.

1. Olim vernans Arvernia
Novum produxit flosculum,
Cujus nobis fraglantia
Vitae praestat spiraculum.

2. Dedit huic nomen Stephanus
Favor divini numinis,
Nec est relictus orphanus
A veritate nominis.

3. Stephanus sonat gratiam,
Coronam sive regulam,
Quam trinam efficaciam
Implet per vitae formulam.

4. Jam plenus Dei gratia
Elegit solitariam
Vitam et vitans vitia
Adeptus est victoriam.

5. Grandimontensis ordinis
Primus inventor regulae,
Causam dedit originis
Religionis plantulae.

6. Magnus uterque Stephanus:
Hic martyr, rosa, primula,
Hic castitatis Libanus,
Vitae novellae formula.

7. Gloria tibi, Domine,
Per quem habemus Stephanum,
Cujus tuti munimine
Mortis vitemus clibanum.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2, 2 divini muneris gegen den Reim. — 3, 3 Quem. — 3, 4 vitae famulum.

480. De sancto Stephano rege.

1. Gaude, mater Hungaria,
Prolis agens praeconium
Cum laude multifaria
Patronum lauda proprium.
2. Hic tibi verus lucifer
Lumen fidei praebuit,
Datus a Deo legifer
Viam salutis docuit.
3. Geisae duci decrepito
Divina fit promissio,
Et Stephanus a Stephano
Vocatus est in utero.
4. Cujus ortus praedicitur
Patri coelesti nuntio,
Martyr ad matrem mittitur
Nascentis vaticinio.
5. Nato gaudet Hungaria,
Damnatur idolatria,
Coelestis datur gloria,
Beata fit memoria.
6. Puer crescens progreditur
Sicut cedrus in Libano,
Praedictum nomen inditur
Hinc a beato Stephano.
7. Dignis datur doctoribus
Imbuendus in literis,
Probis ornatur moribus
Sub annis adhuc teneris.
8. Adolescens progreditur
Verbum salutis serere,
Gens Hungara convertitur
Et baptizatur propere.
9. Olim erroris populus
Divinum lumen conspicit,
Pulsis tenebris sedulus
Se Christi jugo subjicit.
10. Trino Deo et simplici
Sit laus, honor et gloria,
Quae sancti regis supplici
Prece det coeli gaudia.

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1450. — Der Hymnus ist eine Erweiterung von Anal. IV, 238 — Str. 3 spätere Zuthat, wie der Reim beweist.

481. De sancto Syro.

1. Syrus tonantis unicum
Natum revelavit Dei
Sacro beatus famine
In urbe Ticinensium.
2. Fultus perenni munere
Religione floruit,
Orante quo functus redit
Et lingua fatur impotis.
3. Caecis refulso lumine
Jussu fugavit daemones,
Languore sublato medens
Infirmitate tabidis.
4. Primus pater plebis sacer
Principium et vatum fuit,
Juventium fovit virum
Honore, actibus parem.
5. Successor aequalissimus
Haec signa virtutum dedit,
Jussit Ticini fluctibus,
Mox unda censum revehit.
6. Pergit Mediolanensibus
Praecepta vitae pandere,
Currunt malorum complices
Sanctum Dei perimere.

7. Fixi superno arbitrio
Haesere confestim solo,
Concidit impius furor
Vastante prorsus grandine.

8. Conversa tandem clamitat
Elisa turba praesulem,
Quos ille fundavit fide
Undaque fontis abluit.

9. Majora gessit sanctior,
Clerum gradusve ceteros
Statuit in plebe nova
Vitae perennis indices.

10. Post haec Papiam remeans
Dolore confectam sanat,
Tristem parat paralysim,
Donat medelae gaudia.

11. Insaniam Porphyrii
Convertit ad modestiam,
Aqua lotum baptismatis
Praemittit ad regem poli.

12. Quo nuntius sanctus iit
Et ipse luce perpeti
Usurus, adsequi queat
Hanc coetus hic canentium.

13. Deo patri et filio
Honor, potestas, gloria,
Sancto simul spiritui
Per infinita saecula.

Passionale ms. saec. 9/10. Cod. Sangallen. 566. — 1, 3 Sacros beatus femine. — 3, 4 tabidos. — 4, 3 Hiventium fovit. — 4, 4 Honorem actibus; lies Honore et actibus? — 5, 3 Ticinensi. — 6, 1 Mediolanensium. — 10, 3 Lies Tristem fugat? — 12, 1 Quo nuntius sanctis ut. — 12, 4 Lies Hunc?

482. De sancto Tegulo.

Ad Vesperas.

1. Jucundis pangat vocibus
Chorus ecclesiasticus
Laudans Christi praeconia
Hac die celeberrima.

2. Qua martyr Dei Tegulus,
Vir, inquam, devotissimus,
Carnis solutus nexibus
Conjunctus est coelestibus.

3. Fulgens praeclaris actibus
Ac divinis affatibus
Vana detestans idola
Coeli potitur gloria.

4. Exsultet Hipporegia
Tanto patrono praedita,
Ejus intenta laudibus
Coeli jungatur civibus.

5. O martyr Christi, Tegule,
Dux, custos Hipporegiae,
Pro nostris facinoribus
Interveni propitius.

6. Adquire nobis veniam
Apud Christi clementiam,
Ut expiati sordibus
Coeli fruamur dapibus.

7. Praestet aeterna trinitas,
Ejusdem simplex unitas,
Patris natique caritas,
Cuncta gubernans unitas.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9. — 4, 1 (5, 2) ypporegia. — Die Abschrift dieses und der folgenden drei Hymnen verdanke ich der Güte des Hochw. Herrn P. Fedele Savio S. J.

483. De sancto Tegulo.

Ad Matutinum.

1. Exsultet aula coelica,
Laetetur Hipporegia,
Dum refert nobis orbita
Teguli patrocinia.

2. Hic doctus in infantia
Christi tenens vestigia
Dat virtutum primordia
Inter orbis crepundia.

3. De Thebaeorum agmine
Refulsit hic mirifice
Mortem libenter sustinens
Velut agnus sic innocens.

4. O venerande Tegule,
O martyr Dei inclite,
Cunctis, qui corde credulo
Te poscunt in periculo,

5. Aufer mortis dispendia,
Confer vitae remedia,
Quo post carnis exsilia
Tecum simus in gloria.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu cum sancto flamine,
Ut hujus sancti precibus
Locemur in coelestibus.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9. — 1, 2 ypporegia. — 1, 4 Tbeguli. — Das Officium des Heiligen ist in Prosa abgefafst, nur das Resp. der 9. Lektion in gebundener Rede:

Reverendo Vuarmundo,
Antistiti tam jucundo,
Coelitus est revelatum,
Ut hunc sanctum quaerat gratum;
Quem cum inde recepisset,
Secum quoque detulisset,
Cum comitiva plaudenti
Clericorumque psallenti
Ad civitatem regiam
Porta(ve)runt Hipporegiam;
Ergo plaude jucundanter
Atque psalle festivanter
De tam excelso patrono
Tibi dato de coeli throno.

484. De sancto Tegulo.

Ad Laudes.

1. Longo tendentes tramite
Fuerunt turbae obviae,
Morbis obsessi variis
Petentes signa martyris.

2. Dicentes: martyr, respice,
Magno quos carnis pondere
Gravatos pestilentia
Refoveas clementia.

3. Subveni nobis miseris
Cum precibus sanctissimis,
Qui coronaris gloria,
Confer salutis munera.

4. Solve ligatos vinculis
Rogans custodem operis,
Deterge mentis tenebras,
Restringe curas noxias.

5. Age misertus precibus
Donans salutem pluribus,
Pestem depellas corporum,
Da salutis remedium.

6. O martyr Christi, poscimus,
Succurre postulantibus,
Nam pro nostris excessibus
Gementes preces fundimus.

7. Implora nobis veniam,
Regni coelestis januam,
Nostros amove gemitus
Rogando Christum precibus.

8. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito
Et martyris auxilio
Fruamur coeli gaudio.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9. — 1, 4 Petente. — 5, 3 Peste.

485. De sancto Tegulo.

In 2. Vesperis.

1. Martyr insignis, meritis praeclare,
Temporum metas rota torquet anni,
Tempus, en, nobis, tibi consecratum
Pangere festum.

2. O pie custos nosterque protector,
Sacrata cleri populique turba
Corde prostrato mente pia poscit
Munera tua.

3. Vota cunctorum relevans in aulam
Regis aeterni foveas utrumque
Ordinem, cujus pius nunc exsistis
Custos in urbe.

4. Supplices tui referunt gementes
Gesta culparum lacrimasque pandunt,
Pessimae mentis animaeque nigrae
Crimina laxa.

5. Tu procul casus prohibe tonantes,
Pelle peccata, tenua furorem
Pestis, et morbi, petimus, recedant
A loco isto.

6. Moribus cunctis moderare vitam,
Confer suavem placidamque mentem,
Et corda nostra semper meditentur
Opera Christi.

7. O martyr, praebe miseris misertus,
Lacrimas juges, gemitus profundos,
Et tuis per te meritis resurgant
Hipporienses.

8. Credimus Christum pretium laboris,
Praemium justum tibi contulisse,
Cum quo exsultas in excelso throno
Omne per aevum.

9. Gloriam Christo supplices canamus
Ore prostrati, corde supplicanti,
Qui majestatis semper tenet arcem
Trinus et unus.

Brev. ms. Hipporegiense anni 1488. Cod. Capit. Hipporegien. 9. — 5, 2 tenue. — 6, 3 Lies Ut corda? — 7, 3 Lies ut tuis?

486. De sancto Theodardo.

Ad Vesperas.

1. Gaudeat prole Gallia,
Laetetur patre Legia,
Sancti provecta meritis
Theodardi antistitis.

2. Hic doctor verae fidei,
Aemulator legis Dei,
Illuminavit patriam
Destruens idolatriam.

3. Cum ministros nequitiae
Praedicator ecclesiae
Salubriter redarguit,
Fraude caesus occubuit.

4. Sic pro gregis regimine
Suo perfusus sanguine
Aulam scandit ad arduam
Coeli luce conspicuam.

5. Pastor oves considera,
Tecum perduc ad sidera,
Ut angelorum legio
Nostro sit in collegio.

6. Hoc nobis praestet deitas,
In unitate trinitas,
Quam Theordardus coluit
Deum unum et docuit.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Brev. Leodiense imp. Lovanii 1498. B. — 4, 2 profusus A. — 6, 2 In fehlt A.

487. De sancto Theodardo.

Ad Laudes.

1. Aulae paradisi laudemus dominum,
Felicem praesulem, sanctum Theodardum.

2. De stirpe nobili Francorum editus,
Gratia refulsit divina praeditus.

3. Tongrorum adeptus culmen praesulatus,
Sacris virtutibus fulsit Theodardus.

4. Nunquam resolutus fuit ad otium,
Quinque talentorum implens negotium.

5. Pro defensione rerum ecclesiae
In silva peremptus est Elizaciae.

6. Pius ab impiis occisus nequiter
Regna coelestia scandit feliciter.

7. Sit laus trinitati, unitati trinae
Honor et potesats nunc et sine fine.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Brev. Leodiense imp. Lovanii 1498. B. — 4, 1 Nondum resolutus A. — 7, 1 Sit tibi laus. — 7, 2 nunc et semper sine A.

488. De sancto Theodoro.

1. Theodorum clarissimum,
Athletam invictissimum,
Laudemus cuncti pariter
Concinentes hilariter.

2. Quem sub imperatoribus
Idolorum cultoribus
Pro cultus Christi titulo
Brinca redegit vinculo.

3. In Hellespontum ducitur,
Ut immolet inducitur
Diis falsis, sed non annuit,
Immo constanter renuit.

4. Deliberandi spatia
Sibi dantur, audacia
Forti templum intraverat
Dianamque cremaverat.

5. Hinc carcere detruditur,
Qui quamvis non recluditur,
Psallentium melodia
Auditur in custodia.

6. Inter quos confortaverat
Per se Christus et paverat
Ipsum pane angelico
Coetu stipatus coelico.

7. E turri ductum Publius
Judex tentat subtilius,
Terrens per horribilia,
Mulcens per placabilia.

8. Dum spernit transitoria,
Magna potitus gloria,
Voratus flamma ignium
Consummavit martyrium.

9. Nec solus sed cum fortibus
Coelum intrat consortibus,
Videlicet Cleonio,
Sancto quoque Eutropio.

10. Nostrum ob horum meritum
Abstergatur demeritum,
Conferatur aeternitas,
Precamur, sancta trinitas.

Propr. ms. Uttenpuranum saec. 17. Cod. Casanaten. XX. VII. 37. A. — Propr. ms. Uttenpuranum saec. 16. post Brev. Casinense imp. Venetiis 1568. Bibl. S. Stephani Augustani. B. — Brev. Constantiense imp. s. l. et a. C. — 2, 1 Hunc sub AB. — 4, 2 Ipsi dantur AB. — 5, 1 In carcerem AB. — 6, 4 stipatur A. — 8, 1 sprevit. AB. — 8, 3 Voraxque AB. — Str. 9 fehlt A. — 10, 1 Trium ob horum B, Hujus ob sancti A. — 10, 2 Abstergas ut AB. — 10, 3 Aeternitatem conferas AB.

489. De sancto Timotheo.

Ad Vesperas.

1. Catholica ecclesia
Suffulta apothesia
Timotheo conjubilat,
Aurora lucis rutilat.

2. Lucidus ab infantia
Tua praeventus gratia,
Per Paulum hic fit doctor,
Aeterne rerum conditor.

3. Nobilis hic Christianus
Impositione manus
Pauli accepit spiritum,
Deus, tuorum militum.

4. Exaltavit vir insignis
Aegros sanos, probat signis
Fidei testimonium
Deus, creator omnium.

5. Sit laus uni trino Deo,
Qui cum sancto Timotheo
Praestet in coeli patria
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — 2, 3 ist verdorben; es fehlt eine Silbe und der Reim, der im ganzen Hymnus zweisilbig ist.

490. De sancto Timotheo.

Ad Laudes.

1. Exstinxit simulacrorum
Gallorum et Britannorum
Sanctus culturam veterum,
Creator alme siderum.

2. Electus in episcopum
Turbas pascebat inopum
Celebrando Ephesiae
Mysterium ecclesiae.

3. Baculos cum lapidibus
Sustinuit ab ovibus
Pro fide libentissime,
Rex Christe clementissime.

4. Jubilat cum victoria
Timotheus in gloria
Junctus tuae essentiae,
Summae Deus clementiae.

5. Sit laus uni trino Deo.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — Dieser Hymnus ist nur eine Divisio des vorigen.

491. De sancto Thoma.

Ad Completorium.

1. Sancte Thoma apostole,
Doctor Indorum inclite,
Pro nobis Christum rogita
Per sua sacra vulnera.

2. Glorificati corporis
Vulnus dum tangis digitis,
Divinitatis abyssum
Hausisti atque profundum.

3. Hinc resurgentis itaque
Es testis constantissime,
A peccatis nos surgere,
Virtutes fac perficere.

4. Christus te misit propere
Cum Abbane descendere,
Palatium construere,
Quod perfecisti coelice.

5. Et regis in convivio
Pincerna alapacio
Injuste caedit et probrat,
Hoc Deus digne vindicat.

6. Signis coruscas variis,
Multis quoque prodigiis,
Dum regem facis credulum,
Sponsam ejus ac populum.

7. Omnes curasti larguidos
Et suscitasti mortuos,
Obsessos solvens homines,
Cunctos depellens daemones.

8. Sit trinitati gloria,
Laus, honor et potentia,
Ut sancti Thomae precibus
Jungamur coeli civibus.

Psalt. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 130. — 5, 3 te caedit. — 6, 4 Sponsam ejus atque sponsam.

492. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Beati praesulis festa praeconia,
Qui tot miraculis fulget in Cantia,
Laudibus sedulis atque psalmodia
Laeti canamus hodie.

2. Hic vitae veteris exclusis actibus
Vivebat superis conjunctus moribus,
. . . ceteris sanctis virtutibus,
. . . . . .

3. Trusus exsilio regis malitia,
Bono triennio mansit in Gallia,
Sed corde sobrio et patientia
Vicit viros invidiae.

4. Tandem consilio regis et civium
Reversus gladio mactatus hostium,
Factus oblatio et sacrificium
Fudit odorem gratiae.

5. Jam Christum sequitur amictus lumine,
Cujus prosequitur laudes cum carmine,
Per quem consequitur in coeli culmine
Virtutis sceptrum regiae.

6. Sit Christo gloria, laus et imperium,
Qui sua gratia memor humilium
Dedit in Cantia tantum praesidium,
Thomam, decus ecclesiae.

Hymn. ms. Campensis anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 3 ac psalmodia. — Str. 2 infolge Beschädigung der Handschrift unvollständig. — 5, 3 consequitur ergänzt.

493. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Thoma, pastorum gloria,
Suavitatis hostia,
Exemplum patientiae,
Tuere jus ecclesiae.

2. Hujus te vere filium
Mors probat et exsilium,
Amoris testimonio
Matris occumbens gremio.

3. Sed mors est in victoriam
Versa per Dei gratiam,
Quem volentes exstinguere
Gemunt cum Christo vivere.

4. Causa mortis ecclesiae
Pax et zelus justitiae,
Quod divina potentia
Testatur per prodigia.

5. Quis legit et quis docuit,
Aut scire prius potuit,
Ablata per judicia
Reddi viro virilia.

6. Sit trinitati gloria,
Cujus sunt haec magnalia,
Quae Thomam cum victoria
Ad coeli vexit gaudia.

Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabar. IX.

494. De sancto Udalrico.

1. In laude regis omnium
Et Udalrici praesulis
Totis medullis cordium
Insistat haec plebs muniis.

2. Hac nempe laetus lumine
Confessor idem Udalricus
Terrena liquit lubrica,
Coeli petivit gaudia.

3. Laetare, mater Suevia,
Nati de tui gloria,
Et, Augusta, tu resulta
Aeterna praesulis dona.

4. Tali patrono supplicet,
Quisquis juvari indiget,
Christoque caro jubilent
Per quadra mundi climata.

5. O Udalrice, coelitus
Electe nobis pontifex,
Intende clemens laudibus,
Quas annuatim promimus.

6. Multis aerumnis scindimur,
Tua mederi, quaesumus,
Oratione sedula
Vitaeque dona consequi.

7. Honor, potestas, gloria
Deo patri cum filio
Paraclitoque pneumati
Per saeculorum saecula.

Offic. ms. Augustana saec. 15. Cod. Sangallen. 386. — 1, 2 Et ergänzt. — 1, 4 plebs muneris. — 3, 3 sq. Zusatz oder Überarbeitung. — 5, 1 O ergänzt.

495. De sancto Udalrico.

Ad Vesperas.

1. A solis ortus cardine
Udalricum in agmine
Laeto canamus carmine
Fideli satum sanguine.

2. Beatus in propatulo
Praesignavit miraculo,
Quod vagit in coenaculo
Sacro plenus spiraculo.

3. Clausa pandit mysteria
Vox bajulans imperia,
Post lactis ministeria
Carnis fugit miseria.

4. Domus parentum gaudio
Repletur et convivio
Delectantur in filio,
Quem coeli fovet unctio.

5. Enixa virum gratia
Provexit ad solatia
Genusque moeret anxia
Per ampla terrae spatia.

6. Foeno compar fit lilium
Motus gerens humilium,
Fit arbiter sublimium
Petri praecingens gladium.

7. Gaudet conventus coelitum,
Florere sancti meritum,
Cujus cum Christo spiritum
Coelis videt repositum.

8. Summo patri potentia,
Filio sapientia
Pneumatique clementia
Pari sit in essentia.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 51. — 8, 4 Parti sit. — Ad Noct. folgt der Hymnus Ave pater Udalrice (Daniel I, 311).

496. De sancto Udalrico.

Ad Laudes.

1. Laetabunda Deo canat
Hymnum vox ecclesiae,
Qui contritos corde sanat
Unguine laetitiae,
Unde piis virtus manat
Et augmentum gratiae.

2. Tiro Christi pretiosus,
Augustarum pontifex,
Coelum scandit luminosus
Ut virtutum artifex,
Udalricus gloriosus
Quo triumphat opifex.

3. Ex Aegypto vanitatis
Evolat ad patriam,
Possessurus cum beatis
Paradisi gloriam,
Et supernae civitatis
Condecorat curiam.

4. In sublimi constitutus
Ignitorum lapidum
Seraphinos ad obtutus
Motum gerit fervidum,
Sempiternis involutus
Omne calcat fluidum.

5. Ligno vitae recreatur
Cum candoris calculo,
Novum nomen ei datur,
Insignitur annulo
Sanctitatis et ornatur
Castitatis titulo.

6. Numen ergo deitatis,
Quo jerarcha regeris,
Zelo ductus pietatis
Nobis placa miseris,
Dans nos fore claritatis
Asseclas, qua frueris.

7. Veni, pater et patrone,
Gressus nostros dirige,
Salus et spes in agone,
Corruentes erige,
Firma stantes, pastor bone,
Lapsis opem porrige.

8. Summae sit laus trinitati,
Decus et victoria,
Sit et trinae unitati
Coaequalis gloria,
Cujus inest majestati
Permanens essentia.

Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo 51. — 6, 2 jerarchia. — 7, 5 Et firma. — 7, 6 Lapsis apem. — 8, 3 Sit ergänzt.

497. De sancto Udalrico.

1. Novae laudis adsunt nobis
summis festa gaudiis,
Quae rotundus colit orbis
Debitis symphoniis
Sub honore vatis sacri,
confessoris incliti.

2. Quem jam vitis vera suae
praefecerat vineae,
Quo colente dat corymbos
fidei suavissimos,
Laeta sub propagine
digna tanto palmite.

3. Vas electum, Christi templum,
Lauta laurus civium,
Munimentum forte tuis
Saevas contra viperas,
Quas disturbes triviatim,
dulce pignus perpetim.

4. Sit nunc patri laus excelso,
nato laus cum jubilo
Laus aequalis [amborumque]
[sancto] sit spiritui,
Qui ditavit sibi carum
caritate splendidum.

Hymn. ms. Sangallen. (?) saec. 11. Cod. Berolinen. Oct. 1.

498. De sancto Udalrico.

Ad Vesperas.

1. Salus es mundi, Christe, decus coeli,
Inde laudaris nostris semper odis,
Qui nobis diem hunc sacrasti sanctum
Praesulis almi.

2. Annua festa fulgent nobis clara,
Cum scandit coelos Udalricus claros,
Choris supernis sociatur civis
Laude perenni.

3. Infans in cunis est suspensus mammis,
Coelo nutritur, Christo confovetur,
Cui studet ipse sedulus haerere
Corde benigno.

4. Hinc Dei dextra corpus ejus pascha
Secum sacravit, quo reficit omnes,
O quam beati, digne qui pascuntur
Corpore Christi.

5. Te, praesul, servi poscimus prostrati,
Ut lapsus nobis veniam preceris,
Tibi consortes facias nos cives
Aulae coelestis.

6. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. A. — Brev. Constantiense imp. s. l. et a. B. — 1, 1 decusque A. — 1, 3 sq. Qui nobis hunc sanctum diem praesulis celebrare das almi A. — 2, 2 clarus A. — 2, 3 superis A, civibus A. — 2, 4 Laude Dei perenni. — 3, 1 cunis suspensus a mammis A. — 3, 2 Coelitus B; Movetur coelo nutritore Christo cui commovetur A. — 3, 3 Et studet sedulus A. — 4, 1 dextera corpus ejus tetigit A. — 4, 2 Dum in altari sacravit reficit qui omnes A. — 4, 3 qui digne sic pasci B; Quos beavit digne qui pascuntur A. — 5, 1 prostrati fehlt A. — 5, 2 Lapsa relaxas veniam prae ceteris A. — 5, 3 Tuis famulis cum quibus tutus eris A. — 5, 4 Aula civium supernorum A. — 6, 1 Praestat A. — 6, 2 pneumatisque sancti A. — 6, 3 Cujus virtute roboratur A.

499. De sancto Udalrico.

Ad Laudes.

1. Adest dies sanctissimus,
Virtute sacra splendidus,
Udalricus qua sedibus
Locatur in coelestibus.

2. Virtute fulgens nobili
Vigiliis, jejuniis
Domabat corpus juvenis,
Ne foedaretur vitiis.

3. Hic praesul Christi nobilis
Pro sanctitatis meritis,
Quis illum exornaverat
Coelestis regni gratia.

4. Adesto, praesul inclite,
Precesque nostras suscipe
Offerque summo praesuli
Devota vota populi.

5. Sit trinitati gloria,
Aeterna laus et inclita
Summo patri et filio
Cum flamine paraclito.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — 2, 4 Ne videretur. — 3, 1 Sic praesul. — 4, 2 que fehlt. — 4, 3 que fehlt. — 5, 2 Laus et virtus inclita. — Vgl. den Hymnus 1096 bei Mone III, 457.

500. De sancto Urbano.

Ad Vesperas.

1. Vita sanctorum martyrum tuorum,
Deus, haec festa celebrare praesta
Sancti Urbani, praesulis Romani,
Quem consecrasti.
2. Tu tuos laetos munere repletos
Adspectu sano tribuis Urbano,
Quem clara sede in coelorum aede
Nobilitasti.
3. Pascha, quo victor surrexit, hoc doctor
Plebi glosavit ac factis probabit,
Cum se ut agnum per tormentum magnum
Deo litavit.
4. Nunc in excelsis, praesul, de conversis
Gaudes, sanctorum sumens singulorum
Praemia digne, te Christus benigne
Glorificavit.
5. Hoc pater tecum disposuit aequum,
Pro passione praemia coronae
Te acceptare; praesul, deprecare
Pro sceleratis.

Diurn. ms. Brisacense saec. 15. Cod. Friburgen. 56.

501. De sancto Urbano.

Ad Laudes.

1. Orthodoxa ecclesia,
Gaude colens solemnia
Sancti martyris Urbani,
Apostolici Romani.
2. Qui Romae ortu nobilis
Aevum praeclarae sobolis
Bonis ornavit moribus
Et sanctitatis floribus.
3. In dogmate proficiens,
Sacrae scripturae sitiens,
Eradicavit lolium
Papale scandens solium.
4. Stuporem mundo intulit
Ejus vita, quae contulit
Christi fidem gentilibus
Robur quoque fidelibus.

5. Per diversas regiones
Fecit ordinationes,
Et arae ministeria
Argenti de materia.

6. Illustres Valerianum
Et Tiburtium germanum
Cum tribunis baptizavit
Et mille, quos informavit.

7. Sanctus, felici foedere
Insidens Petri cathedrae
Annis octo plus, thesaurum
Dans pauperibus et aurum.

8. Captus plumbatis caeditur,
Et idolum dejicitur,
Hinc fustibus verberatur
Et postmodum decollatur.

9. Gloria tibi, Domine,
Qui locas coeli culmine
Urbanum, gemmam praesulum,
Nunc et per omne saeculum.

Diurn. ms. Brisacense saec. 15. Cod. Friburgen. 56. — 3, 2 lilium. — 7, 4 et aurum ergänzt.

502. De sancta Ursula.

1. Ave, virgo florigera,
Tot milibus tu vernula,
Te Dei fovens gratia
Elegit de Britannia.

2. Tu patri das consilium,
Ne abdicet connubium,
Edocta sic ab angelo
Visu noctis silentio.

3. Sic servas pacem patriae
Et consulis moestitiae,
Pro qua pater sollicitus
Et tristis est et dubius.

4. In navium praeludiis
Tu defers florem virginis,
Anhelans ad martyrium,
Requirens Dei filium.

5. Sit laus patri cum filio,
Spiritui paraclito
Sit nunc et semper gloria
Ab hac Dei familia.

Brev. ms. Montis S. Mariae (?) saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 532. A. — Brev. ms. Montis S. Mariae anni 1340. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 506. B. — Hymn. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1340. C. — 1, 4 Elegit fehlt A. — 2, 2 addicet A. — 3, 1 Hic servas B. — 3, 2 mestie A.

503. De sancta Ursula.

1. Hae pausant in Colonia,
Quas novit Alemannia
Et Graecia cum India
Totaque coeli curia.

2. Ergo, virgo pulcherrima,
Cum tua turba fulgida
Nostris intende precibus
Devotis et supplicibus.

3. Ut sic flore virgineo
Fruamur in hoc saeculo,
Ne cum stultis virginibus
Pellat sponsus luminibus.

4. Sit laus patri cum filio,
Spiritui paraclito
Sit nunc et semper gloria
Ab hac Dei familia.

Brev. ms. Montis S. Mariae (?) saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 532. A. — Brev. ms. Montis S. Mariae anni 1340. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 506. B. — Hymn. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1340. C. — Ist Divisio des vorhergehenden Hymnus.

504. De sancta Ursula.

1. Avete, flores virginum,
Virginitatis speculum,
Oretis Dei filium,
Ne nos damnet exsilium.

2. Consere nos virginibus,
Quae non pulsant prae foribus,
Sed cum sponso in nuptiis
Miris exsultant gaudiis.

3. Virgo, mater et filia,
Nova plantata lilia
Cum filio tu collige
Hortum intrantes hodie.

4. Vos nunc effectae caelibes
Cum regina unanimes
Illic nos precum glutine
Exacta vita figite.

5. Laus trinitati gemina
Et unitati gloria,
Coeli exsultent agmina,
Quibus dantur tot milia.

Brev. ms. Montis S. Mariae (?) saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 495. A. — Brev. ms. Montis S. Mariae anni 1340. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 506. B. — Hymn. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1340. C. — 1, 4 demnet AB. — 2, 2 pulsant fehlt A, nos pulsant pro B. — 5, 2 In unitate B.

505. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Jesu, piarum dux decusque virginum,
Cui continentes complacent et simplices,
Intuere votaque nostra suscipe,
Quae virginali dedicantur agmini.

2. Haec festa magnis angelorum gaudiis
Coluntur alta sub tua praesentia,
Nam jubilantes te sequuntur virgines,
Quas ad sugentes addidisti martyres.

3. Undena nobis virginum haec milia
Misisse feta dicitur Britannia,
Quas hic furentis ira pressit judicis,
Nobisque sacra sic relinquunt corpora.

4. O gaudiorum dignitas sublimium,
Qua sunt recepta coelitus tot milia,
Servat perenni margaritas judici
Coloniensis terra plena gaudiis.

5. Precamur omnes, vos favete virgines,
Securitatem ferte nobis perpetim,
Alumna nobis praeparate corporis
Et vim manentis impetrate luminis.

6. Laudes tonanti concinamus lumini,
Patri pioque filio cum pneumate,
Qui praestet almis virginum consortiis
Regnare secum nec habere terminum.

Brev. Trajectense inferioris dioecesis imp. in Gouda 1508.

506. De sancta Ursula.

1. Pollens Mauri filia
Regis primi per scibilia,
More, sapientia
Diluens dementia.

2. Famam cujus praepotens
Ursulae rex quidam capiens,
Anglorum malens filio
Copluanda sit ut virgo.

3. Paranymphis plurimis
Missis ad patrem hinc virginis
Minis et blanditiis
Pactum det ut advenis.

4. Nothus capto sermone
Coepit angustari mente,
Formidans regis rabiem
Mortis atque seriem.

5. Ipsa nempe primitus
Instigata divinitus,
Patrem hoc adimbuens,
Sit ut hic consentiens.

6. Virtus, honor, gloria,
Laus in martyrum memoria
Evae stet in trivio,
Ne subdemur bivio.

Cod. Graecen. (ol. Secovien.) 756 anni 1345. fol. 214 b. Ausdrücklich als Hymnus bezeichnet. — 2, 4 Coplanda, welches das Metrum fordert. — 4, 2 wieder sermone, wodurch abgesehen von der Wiederholung Überschufs von einer Silbe. — 4, 3 Eve, lies aeve?

507. De duobus Valentinis.

1. Nunc sancte nobis spiritus
Annue grate coelitus
Promere gesta martyrum
Carmen canendo debitum.

2. O sancta mundi domina,
Valentinorum nomina,
Roma, cole pro viribus,
Qui juncti sunt martyribus.

3. Nox et tenebrae et nubila
Discedunt, ergo jubila,
Ecclesia, praeconiis
Martyrum in solemniis.

4. Aeterna Christi gloria
Est data pro victoria
His sanctis, sedes coelica
Cum phalange angelica.

5. Fit porta Christi pervia,
Quae prius erat invia,
Jesu servante limites
Ostensos per hos milites.

6. Jesu, nostra redemptio,
Te laudat nostra concio
Cum patre et sancto spiritu
Valentinorum transitu.

Psalt. et. Hymn. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 526.

508. De duobus Valentinis.

Ad Laudes.

1. Beata nobis gaudia
Obtinebunt in patria
Hi, quorum mirabilia
Sunt innumerabilia.

2. Rex Christe, factor omnium,
Post hujus vitae somnium
Duc nos in refrigerium,
Quo sanctis est manerium.

3. Veni, creator spiritus,
Ut emundemur penitus
Morborum a contagio,
Fac sanctorum suffragio.

4. Jesu, nostra redemptio,
Te laudat nostra concio
Cum patre et sancto spiritu
Valentinorum transitu.

Psalt. et. Hymn. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 526. — Divisio des vorhergehenden.

509. De sancta Verena.

Ad Nocturnum.

1. Agne patris summi, Christe,
stans Sion in vertice,
Per virginis te sequentis
sanctae preces Verenae
Nos, heu, culpis repigratos
post te clemens protrahe.

2. Quae te sponsum cordis puro
quaerens desiderio,
Luxus mundi declinando
patriam deseruit,
Larga mater egenorum
carnem suam domuit.

3. Clara signis vel doctrinis
multos ex Alemanis
Tibi lucrans conversarum
fit magistra virginum,
Quibus, Jesu, dabas victum
per modum mirificum.

4. Hanc in visu martyr sanctus
solatur Mauritius,
Hanc Maria, mater Dei,
cum choro virginali
Praesens suscepit vocando
carnis ex ergastulo.

5. Ejus nos salva precibus,
pro cujus virtutibus
Tibi patri, tibi, nate,
tibi, pneuma, gloria,
Trine Deus in personis,
unice substantia.

Append. ms. post. Brev. Praemonstratense imp. Parisiis 1513. (Kreisbibl. Regensburg). — Enthält ad Vesp. den Hymnus O Verena, sponsa Christi, Mone III, 548 u. f.

510. De sancta Verena.

Ad Laudes.

1. Laudes canamus virginis
Verenae, quae pro nominis
Dei amore respuit
Mundum et Christum induit.

2. Thebaeorum de genere,
Satis aetatis tenerae,
Sacro duci Mauritio
Se junxit primicerio.

3. Cujus adhaesit fidei
Virgo constanter et ei
Fert tamquam lumen [patulum]
Vitae sanctae signaculum.

4. Quem comitata varia
Perpetiens contraria
Tandem venit Zurziacam,
Cellam intrans permodicam.

5. In qua degens promeruit,
Quod ejus fini praefuit
Maria, mater Domini,
Solatium dans virgini.

6. O felix, inquit, filia,
Te vocant mille milia
Regis aeterni civium
Ad coeleste convivium.

7. Verena tunc suspiciens,
Gemitum traxit inquiens:
Hoc unde mihi meritum,
Quod meum curas obitum?

8. Respondet virgo virginum:
Huc me misisse Dominum,
Cui servisti, noveris,
Ministram tui funeris.

9. Deo, de cujus gratia
Facta sunt haec insignia,
Pro tali sua famula
Gloria sit in saecula.

Append. ms. post. Brev. Praemonstratense imp. Parisiis 1513. (Kreisbibl. Regensburg). — 2, 1 fehlt eine Silbe; de ergänzt. — 3, 3 fehlt das Reimwort. — 4, 3 Zurciacam. — 4, 4 intrans proseroticam. — 7, 1 suscipiens.

511. De sancto Victore.

1. Deus, tuorum militum
Spes, corona et praemium,
Victorem donas inclitum
Turbae coelestis socium.

2. Ab orientis partibus
Orta Thebaea legio
Partim in Rheni finibus
Data fuit martyrio.

3. Decimatim occiditur
Ille sacer exercitus,
Morte carnis adquiritur
Vita perennis spiritus.

4. O Victor cum victoribus
Sociis subit gladium,
Coeli dignus honoribus
Palmae recipit praemium.

5. Gaude, felix minor Troja,
Tu quae tantis martyribus
Laudes dignas cum gloria
Hymnidicis das cantibus.

6. Horum nobis solemnitas
Digne laudata veniam
Apud te, sancta trinitas,
Deprecetur et gratiam.

7. Deo patri sit gloria.

Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. A. — Brev. Trajectense imp. Coloniae 1503. B. — In A auf Gereon. — 1, 3 Gereonem das A; dones B. — 3, 2 Ille sacratus B. — 4, 1 Gereon cum A. — 4, 2 subis B, cubit A. — 4, 4 recipit terminum A. — 5, 1 felix Colonia A. — 5, 4 dat A. — Str. 7 fehlt A.

512. De sancto Vincentio.

1. Alma lux mentium, spes credentium,
Tutela martyrum, ductor bonorum,
Hymnizando sumas, quas pangimus odas.

2. Inclita martyris invictissimi
Tui Vincentii festa triumphi,
En, colimus pio laeti commercio.
3. Mira constantia vicit omnia,
Perseverantia sprevit tormenta,
Poena nam in tantis crux est trucidantis.
4. Huic sunt ridicula mortis spicula,
Ignis, craticula, ferri lamina,
Igne micantia, crebro applicata.
5. Tandem emeritum reddit spiritum,
Aurum ut septuplum igne probatum
Ad veram patriam paradisiacam.
6. Ejus pro meritis tuis famulis,
Qui suis propriis egent in bonis,
Jesu, vitae dator, sis propitiator.
7. Sit laus ingenito, unigenito,
Patrique filio, pneumati sancto
Aequali gloria per saecula cuncta.

Hymn. ms. Sanblasianus saec. 15. Cod. Araugien. W 8. 8°. — 2, 1 martyrii. — 2, 2 Tui Vincentius. — 2, 3 pro laeti. — 6, 1 ob meritis.

513. De sancto Vincentio.

1. Ad laudem regis gloriae
Chorus praesentis curiae
Sub claro vocis sibilo
Cordis exsultet jubilo.
2. Cum per carnis supplicium
Hinc ad coeli palatium
Fide vincens felicius
Martyr transit Vincentius.
3. Quem non vicit equuleus,
Carcer, catenae, culeus,
Ignis, testarum fragmina,
Catasta, ferri machina.
4. Torquens praeses non proficit,
Tortus miles non deficit,
Sed inter haec et alia
Christi laudat magnalia.
5. O Vincenti sanctissime,
O victor invictissime,
Tuos tuo praesidio
Perenni junge gaudio.
6. Deo patri filioque,
Paraclito cum utroque
Sit laus, potestas, gloria,
Honor, virtus, victoria.

Antiph. ms. Tungrense IV. saec. 15. — Mel: Jam orto lucis sidere.

514. De sancto Vincentio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Aeternae regi gloriae
Laudes cum coeli curia
Fideles solvant hodie
Pro martyris victoria.
2. Fortis athleta Domini
Collaudetur Vincentius,
Qui rem conformat nomini,
Victor factus egregius.

3. Vivens vicit et mortuus
Semper in fide arduus,
Terra marique positus
Victor monstratur inclitus.

4. Tormenta tremunt aspera
Victorem invictissimum,
Cuncta poenarum genera
Deridentem potissimum.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Vincentii
Ducat ad coeli gaudia.

Officium S. Vincentii martyris et levitae Caesaraugustani, patroni insignis ecclesiae Bernensis. imp. Basileae 1515. — 3, 2 Et semper in.

515. In Translatione s. Vincentii.

Ad Vesperas.

1. Christi miles Vincentius
Diem praesentem dedicat,
In qua turba frequentius
Ejus agones praedicat.

2. Felix Osca congaudeat
In Vincentis origine,
Caesaraugusta fulgeat
Archilevitae numine.

3. Decoratur Valentia
Ipsius in martyrio,
Sed nunc ejus praesentia
Castrensis ovat concio.

4. Ignis atque supplica
Terrae vicit ac aeris,
Sic perpeti lactitia
Summi potitus aetheris.

5. Glorificetur trinitas,
Ut a poena supplicii
Salvet canentes unitas
Interventu Vincentii.

Offic. S. Vincentii Bernen. imp. Basileae 1515. — 4, 1 atque suppliciis.

516. In Translatione s. Vincentii.

In Laudibus.

1. Exsultet plebs Christicola,
Coelum repletur gaudiis,
Currat Castrensis accola
Tantis accensus radiis.

2. Vincentius dum moritur,
Coeli discurrunt agmina,
Pavent ferae, transgreditur
Corvus naturae limina.

3. Mare sanctum non sustinet,
Dacianus confunditur,
Gaudens matrona retinet,
Cum honore reconditur.

4. Translatus de Valentia
Longis latet temporibus,
Sed post Dei clementia
Castri datur cultoribus.

5. Glorificetur trinitas.

Offic. S. Vincentii Bernen. imp. Basileae 1515.

517. De sancto Vigilio.

1. Gaudio summo celebrare festa
Tribue nobis, martyr o beate,
Qua tu sacrasti merito sublimi,
Sancte Vigili.

2. Te, pater, terra edidit Romana,
Cujus praeclara jam fulgebant acta,
Dum puerilis hauriebat aetas
Teneros annos.

3. Literis sacris animus divinis
Inhaerens semper, exsul adventabas
Urbem antiquam, studiis praeclaram,
Atheniensem.

4. Inde ad terram rediens paternam
Ornabas sancta disciplina vitam
Quam in multorum spiritalis vitae
Spargebas usus.

5. Cujus doctrina primum fuit docta,
Meruit talem habere pastorem,
Per quem multorum signa declarantur
Miraculorum.

6. Surdis auditum, caecis praestat visum,
Debiles sanat daemonesque fugat
Et peccatorum veniam petentes
Audit benignus.

7. Hunc plebs haec cuncta voce laudans alta,
Supplex precetur veniam delictis,
Ut prosit nobis ejus interventus
Nunc et in aevum.

8. Praestet hoc nobis deitatis auctor,
Pater aeternus, trinus atque unus,
Regnans ubique totus sine fine
Perpetim. Amen.

Cod. Oenipontan. (ol. Carth. in Snals) 591 saec. 15. A. — Miss. ms. anni 1471. Cod. Rossian. s. n. B. — 1, 1 Gaudio magno B. — 1, 2 martyr ut beate B. — 2, 1 Hoc pater B. — 2, 3 Dum fehlt B; annuebat aetas B. — 2, 4 Teneris annis B. — 4, 2 Ornabans sanctam disciplinam vitam B. — 4, 3 in multis B. — 4, 4 Spergebas B — 6, 1 praestet A, praestavit B. — 8, 1 deitas et auctor B. — 8, 2 trinus fehlt B. — 8, 3 ubique sine fine Deus A. — 8, 4 Nunc et in aevum A; vgl. 7, 4.

518. De sancto Wandregiselo.

1. Qui solus orbis auctor es,
Polum pugillo continens
Terramque palmo ponderas,
Nostris adesto sensibus.

2. Digne queamus promere,
Quae sanctus afflatus Deo
Wandregisilus gesserat
Tua favente gratia.

3. Dei vir ipse erctus est
Ex stirpe valde nobili,
Ex gente clara Franciae
Origo carnis tracta est.

4. Mox alta Christi munera
Percepit ab infantia
Castaeque vitae semina
Aetate prisca senserat.

5. Sponsam suam Christo sacrat
Donatque coelo virginem,
Et ipse castus permanet
Coeli locandus sedibus.

6. Tunc arma Christi sumpserat
Castrisque sanctis se dedit
Monasticamque regulam
Perquirit aure vigili.

7. Verbum Dei fideliter
Ubique pandit plebibus,
Exempla sancta condocens
Plures ad astra vexerat.

8. Fontana bullit lucida
In valle profundissima,
Quam juxta cellam condidit
Et claustra Christi famulis.

9. Foedata morbo corpora
Sanata reddit usui,
Lumenque caecus accipit,
Vocemque surdus hauserat.

10. Turbas fugavit daemonum
A cordibus fidelium,
Omnesque verbo luminis
Mundantur in munditia.

11. Beata astra jam petit,
Terras relinquit spiritus,
Coelestibus cum civibus
Vitam beatam continet.

12. Exempla patris incliti
Semper tenete, filii,
Queatis ut virtutibus
Gaudere cum coelestibus.

13. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Cod. Portus Gratiae (ol. Fontanellen.) 332 (A 34) saec. 9. — 4, 4 Lies severat? — 8, 3 juxta olive conderat. — Vier Strophen kürzer aus Quellen des 13. Jahrh. Anal. XI, 261.

519. De sancta Wiborada.

1. Festum diem Wiboradae,
virginis et martyris,
Geminantem tripudium
cum coronis geminis,
Una omnes veneremur
vocibus cum consonis.

2. Isthaec postquam diu vitae
desudavit practica,
Desiderans jam quieta
vacare theorica,
Sedem sibi eligebat
clausulae ergastula.

3. In qua perfruens quam saepe
visione coelica,
Divinitus devastandam
ab Ungris Almanniam,
Suae quoque passionis
praecognovit gloriam.

4. Hujus passionis die
gratulantes annua
Postulemus unanimes
illius suffragia,
Mereamur consolari
in nostra miseria,

5. Amissaeque diu limen
reintrare patriae,
Quam lilio virginali
intraverat hodie
Redimita proprioque
roseata sanguine.

6. Quod dignare nobis simplex
trinitas concedere,
Ne pretium, quod profluxit,
Christe, tuo latere
Annulletur jam redemptis
ad perenne vivere.

Hymn. ms. Sangallensis saec. 12. Cod. Sangallen. 18. A. — Brev. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 408. B. — Diurn. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 503 k. C. — Psalt. ms. S. Laurentii Sangallen. saec. 15. Cod. Sangallen. 16. D. — Hymn. ms. Sangallensis saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Sangallen. 440. E. — 2, 3 quietam A. — 2, 6 clausula hier soviel als Klause. — 3, 1 quam fehlt D. — 3, 4 Alemanniam BCD. — 4, 2 gratulemur D. — 4, 5 Mereatur D. — 4, 6 ut nostra D.

520. De sancto Wigberto.

1. En, piis splendent revoluta votis
Annua nobis veneranda cultu
Festa Wigberti populi frequenti,
Christe, faveto.

2. Hic velut clara rutilans lucerna
Indolis primae radios micantes
Sparsit in mundo gradiendo callis
Ardua dextri.

3. Utque nil sacri meriti deesset
Subdidit summae pia jussioni
Colla, quo Christi crucis et minister
Pauper adesset.

4. Ipsa quem tantum deitas beavit,
Quo foret saeclo sibi commoranti
Forma, sit aeque via lapsitanti
Posteritati.

5. Hujus exemplum glomeret in unum
Turbam haud parvam sibi servientum,
Semper ut Christi resonet fideli
Pectore laudes.

6. Quam Deus cunctis redimat aerumnis,
Cum potens dextram quatitur coruscam,
Ultimi donans requiem laboris
Visere sese.

7. Patris ac prolis pater hoc et ipse
Praestet, hoc flatus par utrique sanctus,
Unicum nomen deitatis omni
Est quibus aevo.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 18956. saec. 12. — Dieser Hymnus, zuerst von Busaeus in seinen Paralipomena Moguntina 1604 mitgeteilt, wird dem Lupus von Ferrières zugeschrieben. Da dieser 836 eine Vita Wigberti verfafste (cfr. Ebert II, 206), so ist, da Sprache und Metrik des Hymnus nicht entgegenstehen, diese Annahme nicht unwahrscheinlich.

521. De sancto Wigberto.

1. Wigberti dies natalis
Venit modo mirabilis
Luce jam nos illuminans,
Quos servet Christus glomerans.
2. Iste confessor Domini
Erat in mente humilis,
Quem Christus jam praedixerat,
Ut regnum ejus raperet.
3. Hujus oratu credimus,
Ad astra cuncti pergimus,
Si cultum ejus agimus,
Qui sedet super angelos.
4. Qui sedet super Cherubim
Simulque super Seraphim
Sidereaque agmina
Regit sua potentia,
5. Ipseque nos tartareo
Eripiat a tormento
Zabuli et a laqueo
Defendat suo labaro.
6. Sancte Wigberte, quaesumus,
Ora pro nobis omnibus,
Ut lavet nos criminibus
Rex angelorum dominus.
7. O pastor alme, pro clero
Interveni jam devoto,
Digna tua oracula
Tollant nostra piacula.
8. Salvator noster, relaxa
Et dele nostra crimina
Per confessoris inclita
Sancti Wigberti merita.

9. Deo patri sit gloria.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 18956. saec. 12. — Auch dieser Hymnus wird bei Migne PP. LL. 119, 699 dem Servatus Lupus zugeschrieben. Allein die Metrik des Hymnus scheint dieser Annahme ein peremptorisches Veto entgegenzustellen.

522. De sancto Wilhelmo.

Ad Vesperas.

1. Vox resultet melliflua
Omni plena laetitia,
Dum recolit ecclesia
Sancti Wilhelmi solemnia.
2. Qui gaudet in coelestibus
Festis fruens perennibus,
Festum suum colentibus
Opem ferat divinitus.
3. Dum carne vivus exstitit,
Fidelis in paucis fuit,
Unde post suum transitum
Intravit coeli gaudium.
4. Hymnum canamus vocibus
Precesque demus cordibus,
Ut ejus intercessio
Sit criminis remissio.

5. Nostri reatus debita
Ejus relaxent merita,
Aegris medelam conferant
Et nobis pacem tribuant.

6. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517.

523. De sancto Wilhelmo.

Ad Nocturnum.

1. Solvamus Christo debita
Solemnitatis gaudia,
Qui patris sancti merita
Digna decorat gloria.

2. Virtute patientiae
Dei repletus munere
Vigiliis, jejuniis
Artus domabat corporis.

3. Et pro coelesti patria
Carnis abegit turpia,
Mundana vicit gaudia
Aeterna quaerens praemia.

4. Ipse dignetur Dominum
Precari clementissimum,
Ut ab aeternis ignibus
Nos salvet et daemonibus.

5. Dona, creator omnium,
Laus, decus confitentium,
Ut hujus sancti precibus
Coeli jungamur civibus.

6. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517.

524. De sancto Wilhelmo.

Ad Vesperas.

1. Exsultet jam coelestium
Chorus sacratus civium,
Lupum facit agniculum
Deus, creator omnium.

2. Bernhardus sacro munere
Plenus transmisit propere
Wilhelmum eremicolae
Jam lucis orto sidere.

3. Erepto labe saeculi
Loricam tradens militi
Mores transvertit animi
Summi largitor praemii.

4. Romanum ad pontificem
Festinans flectit verticem,
Quem post claudit annis novem
Urbs beata Jerusalem.

5. Hinc remeans ad Tusciae
Fines privatur lumine,
Quem mox reformat gratiae
Splendor paternae gloriae.

6. Ad montem transit eremi,
De pruno miles Domini
Cordis calore fervidi
Ad coenam agni providi.

7. Rapit Satan in cellula
Virum Dei dans verbera.
Cujus coelestis medica
Fit porta Christi pervia.

8. Divinum ad praesidium
Fugit in Rhodis stabulum
Contemplans Dei filium,
Magnum salutis gaudium.

9. Voce lapsa divinitus
Sodali datur socius,
Rubet in mortis ictibus
Bellator armis inclitus.

10. Sancti deposcat merita
Hujus mater ecclesia,
Ut impetret in gloria
Beata nobis gaudia.

11. Summa tu nobis caritas
Adsis, divina deitas,
In mortis poena, pietas,
O lux beata trinitas.

Brev. ms. Wilhelmitarum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Bl. 16. A. — Brev. ms. Curiense saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. B. — 2, 3 eremicolam B. — 3, 3 transferat B. — 5, 2 Fratres privatur B. — 5, 3 Quam B. — Nach Str. 5 Divisio A.

525. De sancto Wilhelmo.

Ad Completorium.

1. Ad coenam agni providi
Bernhardus venit fervidi,
Fulcitus rore flaminis,
Totius expers criminis.

2. Cujus corpus sanctissimum
Patenae superpositum
Wilhelmi vires comitis
Permutat sacri muneris.

3. Pro tecti dono fulmine
Ut Paulum stravit gratiae
Paterna vox intrinsecus,
Terrenus jam fit coelicus.

4. Consurgit dux continuo
De vitiorum tumulo
Et remeans ad propria,
Quae sprevit atque gaudia.

5. O vere digna hostia,
Tua replesti gratia
Hunc sanctum eremicolam,
Cum venit Jerosolymam.

6. Quaesumus, auctor omnium.
Nobis aeternum gaudium
Ut hujus sancti meritis
Tuis concedas famulis.

7. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Wilhelmitarum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Bl. 16.

526. De sancto Willehado.

1. Gaudet coetus angelorum
Willehadi praesentia,
Quem hac die rex coelorum
ditat perenni gloria.

2. Gaudeamus hoc patrono,
quem in Dei potentias
Introisse gratulamur
ad aeternas delicias.

3. Demus melos, hymnizemus
tanto patri cum jubilo,
Qui doctrinae salutaris
nos prius potat poculo.

4. Apostolorum comparem
hunc nostra canit concio,
Per quem vitae lux illuxit
barbarorum ergastulo.

5. Eja praesul, Deo digne,
te collaudantes respice,
Audi preces, o benigne
supplicantis familiae.

6. Vere virtutum omnium
fraglans odore jugiter
Aestuando anhelabas
Christo jungi perenniter.

7. Hujus voti compos factus
nunc gaudes in coelestibus,
Sine fine Christo junctus,
esto clemens supplicibus.

8. Dona coelestis gratiae
tuis largire famulis,
Quo perennis laetitiae
tecum fruamur gaudiis.

9. Sit laus summo genitori,
sit laus nato redemptori,
Simulque sancto pneumati
honor cum laude perpeti.

Hymn. ms. Woltingerodensis saec. 13. Cod. Guelfenbyteran. H. 1304. fol. 278. — Nach Str. 4 Divisio.

527. De sancto Willibaldo.

1. Jure gliscunt nobis summa,
fratres, mentis gaudia,
Praesens festum dum devote
debemus persolvere,
Quod dicavit sacer suo
Willibaldus transitu.

2. Natus ipse celsa vere
Anglorum progenie,
Sic ut reges essent illi
atque duces proximi,
At hos omnes longe suis
transcendebat meritis.

3. Per aetatem postquam recte
potuit discernere,
Mox replevit Christi jussa
mente voluntaria,
Quae sequenda sanxit suis
clemens ille famulus.

4. Sprevit opes mundi totas,
quas habebat proprias,
Crucem Christi portans secum,
ipsum sequens per aevum,
Exsulavit patriarcham
imitatus Abraham.

5. Duxit una fratrem suum
Wunibaldum dominum,
Nec non patrem ac sororem,
Waldpurgam sanctissimam,
Perlustravit loca sancta
subornandi gratia.

6. Romae Petri atque Pauli
frequentavit limina
Atque passim circumquaque
cetera sacraria,
Se suosque mandans sanctis
in isdem reconditis.

7. Cis et citra mare magnum
lustrans orbis ambitum,
Fuit Christus quo versatus,
ibi mansit crebrius,
Patienter hic labores
sustulit multiplices.

8. Is ad tempus luce privus,
post eidem redditus,
Sustinebat famem, sitim
algu et fortissimum,
Hic pro cunctis Deo magnas
semper tulit gratias.

9. Sagax fuit in divinis
mundique negotiis,
Castus, largus, mansuetus,
sobrius, humillimus,
Sicque felix ad felicem
venit Bajoariam.

10. Ordinante in qua Christo
atque Bonifacio
Clericales omnes gradus
accepit dignissimus,
Praesulatus donec summam
possidebat cathedram.

11. Sedes ejus est revera,
ubi locus toparchia,
Ibi fecit semper signa
atque facit plurima,
Suetus cunctis opem ferre
corporis et animae.

12. Nunc precamur, Deus pater,
omnes te communiter,
Tucaris ut nos pius
sancti tui precibus,
Cujus virtus atque regnum
viget in perpetuum.

Hymn. ms. Fredeslariensis saec. 11. ex. Cod. Casselanus. Ms. Theol. IV. 25. — 1, 6 Uuilliballus. — 2, 5 at ergänzt. — 5, 2 Uunibaldum. — 5, 4 Ualdpurgam. — 11, 1 Sedis.

528. De sancto Winvaloeo.

Ad Vesperas.

1. Inclite Christi confessor,
Festa qui nobis gaudia
Anni reducis orbita,
Winvaloee, corusca.

2. Tuis faveto precibus,
Adhaerentes luminibus,
Sacris poscentes postibus,
Conclamantes in auribus.

3. Quis tam cautus in sermone,
Fragili dum in hac carne
Vixerit, opere complens,
Quae verbis rite edoces.

4. O lux, o splendor patriae,
O spes perennis famulis,
Tuis ministrans solamen
Sacris nos erige dextris.

5. Fulgens praebendo mystica
Irradiantis animae,
Dictis conspergis famina
Exemplis coruscantia.

6. Claris ornatus meritis,
Pristinae reddens saluti
Debilitatos plurimos
Mortis traxisti casibus.

7. Sancte, nos ergo praeclaris
Deservientes in aulis
Tuis custodi, trucibus
Ne contradamur ignibus.

8. Terrae polique rectori
Deo gloria sit patri
Cum nato et coaequali
Sancto spiritu perenni.

Cod. Parisin. 5610 A. saec. $^{10}/_{11}$. — 1, 4 coruscata. — 4, 2 perenne. — 6, 3 Debilitatis. — 7, 3 tricibus. — Vor dem Hymnus: Incipit hymnus ad vesperum in natali sancti Winvaloei per jambicum tetrametrum compositus. Über den Verfasser siehe weiter unten.

529. De sancto Winvaloeo.

Ad Nocturnum.

1. Aurea gemma, floridis
Candescens mire coronis
Miris cum comitibus
Undenis stipatus viris
Mundum calcans hunc cruentum,
Winvaloe, praepulchris.

2. Vestigiis, alme, siccis
Pontum percurris profundum,
At binos morti datos
Sacra levatum dextera
Et quendam leto proximum
Vitae dedisti potens.

3. Ac lympham aquae poscenti
Atque sacri dona verbi
Tu tribuisti gregi,
Virtus nam tibi sortita
A Christo summo tradita
Sacrum pascere gregem.

4. Es multis donatus donis,
Confirmatus innumeris
His et mirabilibus,
Signis clarus et trophaeis,
Multos erigens languidos
Innotuisti vulgo.

5. Coelestia praebens dona
Tuis flexa colla dictis
Tu subnixa sacratis
Aurea melle canistris
Componens dicta perlitis
Claro rorasti nimbo.

6. Tu, sancte, serva famulos,
Quos tibi jam dedit Christus,
Jam nunc una cum magni
Patre futuri saeculi
Sanctoque simul spiritu
Viventi per saecula.

Cod. Parisin. 5610 A. saec. 10/11. — „Item alius hymnus in natali ejusdem ad matutinum per tochaicum metrum in tertio versu catalecticum.“

530. De sancto Winwaloeo.

Hymnus tertius.

1. Alme dignanter supplicum
Precibus munda delictum,
Winwaloe, coelestium
Coenobita sublimium.

2. Britigena mirabilis,
Luminibus expers solis,
Nostrae lucifer patriae
Missus es regum rectore.

3. Coelicola cum terrenis
Moribus lucens optimis,
Spernendo mundi lubrica
Aeterna capis munera.

4. Dictis pascebas mellitis
Horis socios diversis
Domini serens semina,
Quo ille metat centupla.

5. Educatus sanctissime,
Sancto plenus spiramine,
Cum dicidisses literas,
Canonis scisti scripturas.

6. Felix schola, quae praeclaris
Ditavit sanctum rivulis,
Non pedetentim descendit,
Sat corde sed prono luxit.

7. Gliscebat pectus perlustrans
Intellectus coelo manans,
Excedens cursus solares
Divinos augebat mores.

8. Hunc solus Christus perfulsit,
Talia qui nobis dixit:
Non magistrum in tellure,
Sed sursum illum quaerite.

9. Instaurando crus infantis
Ostendit signum virtutis,
Ne sub modio submissa
Luceret sed sursum taeda.

10. Katervasque languentium
Visitabat et pauperum,
Cum non haberet terrestres
Gazas, praebebat coelestes.

11. Letiferis morbis captos
Hic sanavit tum plurimos,
Quos calculo comprendere
Nequimus neque scribere.

12. Mare pone coenobium
Primus transivit per siccum
Assequente coetu fratrum
Christo regi psallentium.

13. Nescia sui natura
Ritus, sancto sed subjecta,
Aditus dedit gressibus
Fundum silvae quaerentibus.

14. Orante isto fulgidam
Per venas emisit lympham
Tellus, carens prudentia,
Precantis nec sprevit corda.

15. Per quem procul pulsa morte
Revixerunt in corpore
Bini, quos letum perdidit,
Praeter quem serpens occidit.

16. Quod fecit, non omittamus,
Ternis quoque latronibus,
Carnis peste quos sanavit,
Christicolas quos perfecit.

17. Roscido sparsit famine
Gradlonum, ducem patriae,
Qui ut ager non spinosus
Fructus reddidit centenos.

18. Signum gessit mirabile,
Sororis sibi germanae
Ventre traxit ogae ptalmum
Locavitque ceu alterum.

19. Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Ne nostri penetret cleptis
Callidus sinum pectoris.

20. Ululantem ceu sanasti
Dolore dentis maximi
Cujusdam natum principis,
Sic intercedas pro nobis.

21. Xristus per te custodiam
Praestet nobis indefessam,
Pellat cursus gentilium,
Similiter et daemonum.

22. Ymnum Deo noster chorus
Concinit tuis actibus,
Tu pro nostro peccamine
Preceris clementissime.

23. Zelo devicto perfidi
Coelo simus praesentati,
Ne patiamur tartara,
Sed vehamur in gloria.

Cod. Parisin. 5610 A. saec. $^{10}/_{11}$. — 6, 4 cordi. — 18, 3 ptalmum statt ophtalmum (ὀφθαλμόν). — Dem Hymnus geht folgendes vorauf: Incipit praefatio hymni sancti Winvaloei a collegio (lies collega?) Clemente compositi, a Kalendis novembris usque pascha dominicis diebus post matutinum a fratribus, qui ejus incolunt monasterium, canendi. A pascha autem usque ad praescriptas kalendas qualem voluerint de rescriptis (lies praescriptis), quos jam natali ejus coaptavimus, hymnis canant, quia brevioribus succinctiores noctibus constituendi sunt sermones. Hierauf folgt eine poetische Einleitung mit der Überschrift „Pentametri versus“:

Ecce, tuo Clemens hymnum construxit honori,
Winvaloee decens attribuente Deo.
Literulae quotiens sunt aut iterantur in isto,
Tu totiens pro me fundito verba Deo.
Impretes mihi quo veniam, non desine, sancte,
Clementis famuli sed miserere tui,
Deprecor atque tui qui constant nempe sequaces
Sic peragant fratres hoc in amore Dei.
Nunc quoque qui relegant una cum fratribus, abbas
Cognoscant Aelam jusserit, ut facerem,
Tempore quo Salomon Britones rite regebat,
Cornubiae rector quoque fuit Rivelen.

Aus dem Angeführten geht hervor, dafs sowohl dieser Abcdarius als die beiden vorhergehenden Hymnen von einem Mönche Clemens über Auftrag des Aelam oder Aelamus, Abbas Landevenecensis, verfafst sind. Dieser war Abt vor 870, in welchem Jahre ihm Wurdestinus nachfolgt (Hist. Litt. de la France V, 625). Danach ist zu berichtigen, was Anal. XVIII, 263 über den Verfasser dieser drei Hymnen gesagt ist. Bemerkenswert ist der Unterschied der Versifikation zwischen den „Pentametri versus“ und den drei Hymnen, die weder den Gesetzen des Accentes noch den Regeln der Prosodie folgen. Vgl. Anal. Bolland. VII. 261 ff.

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Ab aquilone venite	52
Accelerant ut rapiant	184
Ad coenam agni providi Bernhardus	295
Ad coenam agni providi Et stolis	35
Ad coenam paschalis agni	37
Adest dies laetitiae	251
Adest dies lucidior	184
Adest dies sanctissimus	281
Adest natalis celebris	111
Adest sacrata praesulis	246
Adest triumphi palma	223
Ad honorem conditoris	240
Ad laudem Christi Domini	227
Ad laudem regis gloriae	288
Ad montem transit eremi	294
Adpropinquat finis saecli	53
Adsis nobis in agone	149
Ad te nostras Domine	86
Ad tua solemnia	247
Aeternae lucis claritas	10
Aeternae regi gloriae Devota	128
Aeternae regi gloriae Laudes	288
Aeterno regi gloriae	105
A fundamenti ordine	189
Agamus Domino laudes	258
Age lingua gloriosae	107
Agne patris summi Christe	286
Agnetis Christi virginis	108
Agnoscat omne saeculum	113
Alma lux mentium	287
Alme dignanter supplicum	298
Alternatim sonent voces	219
Amor Jesu dulcissime	21
Anima nimis misera	45
Annae festum cum gaudio	114
Anna mater gratissima	122
Anni peractis mensibus	35
Annua festa celebret	260
Annua reverti	160
Ansebertus Christi haeres	123
Ante saecula et tempora	12
Apostolorum principem	259
Apparuit benignitas	40
Arbiter mundi superumque	173
Arborem celsus construit	147
Asceudit in coelos Deus	38
A solis ortu cardine	13
A solis ortus cardine Et usque	192
A solis ortus cardine Udalricum	279
Assurgentes gratulemur	119
Audi me Deus de coelo	49
Audi me Deus peccatorum	50
Audite Christi milites	131
Audite omues gentes	25
Audite vocem hymni	27
Aulae paradisi laudemus	275
Aurea gemma florida	297
Aurem flecte pietatis	32
Aureos solis rotat ecce	190
Auroralis lux gignitur	122
Aurora stellae lucidae	61
Ave beatissima Thebaeorum	242
Ave Dei clare	104
Ave felix mater Anna	121
Ave genitricis	119
Ave gloriosa Agnes	107
Ave gloriosa Stirpis	77
Ave Maria per quam prophetia	63
Ave pastorale	127
Ave radix laetitiae	120

	Seite
Ave rosa Katharina	219
Ave stella maris	64
Avete flores virginum	284
Ave virgo florigera	283
Baptistae Christi merita	204
Beata illa patria	140
Beata nobis gaudia	286
Beata virgo nobilis	232
Beati praesulis festa	277
Beatus homo qui pauper	55
Bella qui carnis nova	87
Benedictus Dominus	12
Benedictus in Domino	132
Benedictus sanctissimus	133
Benedictus verus testis	132
Benigne pastor cordibus	80
Berithi dum Christicola	39
Blasii Christi martyris	141
Bonifatius est ortus	148
Caterva nostra laudibus	215
Catholica ecclesia	276
Celsus de supernis venit	68
Chori plaudant alacriter	118
Chorus cantet jucundius	221
Chorus iste gratuletur	130
Chorus novae Jerusalem Promat	196
Chorus novae Jerusalem Quiteriam	261
Christe immense dominator	43
Christe lux vera bonitas	23
Christe lux vera patris	244
Christe pastorum caput	89
Christe qui justos hominum	169
Christe qui lux es et dies	157
Christe rex regum dominans	47
Christe salus credentium	106
Christe salvator hominum	139
Christe salvator omnium	128
Christe sanctorum decus	269
Christe sanctorum omnium	193
Christe sanctorum precibus	268
Christe sponsus ecclesiae	217
Christe tuo liberasti	32
Christi miles Vincentius	289
Christum laudemus Dominum	242
Christus Carmeli decus	114
Christus nos pascit corpore	30
Coeli cives adplaudite	204
Coeli decor inclinatur	121
Coeli pandant gloriosum	262
Coeli senator inclite	127
Coeli sonant nos canamus	189
Coelum digne tripudiat	91
Coelum terra et maria	90
Collaudemus toto corde	212
Collaudemus venerantes	191
Concinat noster chorus	267
Concordemus cordibus	135
Concordis sexus Blasii	143
Confessor aeterni patris	90
Congratuletur curia	167
Congressae Sion filiae	29
Consors paterni luminis	250
Continet multos sinus	96
Corda jungant adstantium	125
Cultro secanda saxeo	16
Da pater omnipotens	23
Deus lumen de lumine	98
Deus orbis reparator	44
Deus pater piissime	11
Deus perennis rex	152
Deus piissime pater	228
Deus piorum gaudium	78
Deus tuorum militum	287
De ventre natum virginis	151
Diem hunc festum reddit	171
Dies illuxit gaudii	229
Dies solemnis agitur	88
Diu mundo exspectatum	66
Doctor egregie Paule	255
Domino laude sedula	164
Dulce carmen et melodum	240
Dum coelestis figulus	137
Dum poli sphaera volvitur	199
Ecce dierum numerus	22
Ecce mundo tepescenti	156
Egredere Emanuel	13
Eja praesul Deo digne	295
Elisabeth collaudemus	166
En adest festum gratiae	87
En dies anno remeat	227
En noctis medium surgite	179
En piis splendent	292
En virginis Caeciliae	152
Excelse coeli domine	98
Excelse princeps omnium	246
Ex quo enim me jussisti	48
Exstinxit simulacrorum	277
Exsultando mater gaudet	64
Exsulta Sion superna	165
Exsultet aula coelica L. Hippor.	273
Exsultet aula coelica L. mundi	208
Exsultet aulae coelica Nam fruitur	235

	Seite
Exsultet coeli concio	62
Exsultet coelum gaudiis	104
Exsultet coelum laudibus	70
Exsultet jam coelestium	294
Exsultet jubilo	165
Exsultet omne saeculum	67
Exsultet omnis spiritus	110
Exsultet plebs christicola	289
Festa nutritoris Jesu	213
Festa praesentis celebret	134
Festa sacrata voce	162
Festiva dies colitur	220
Festiva mundo gaudia	16
Festum diem Wiboradae	291
Festum nunc celebre	129
Fidelis Christi Barbara	130
Fit porta coeli pervia	28
Fontem bonorum omnium	234
Fulgens lucerna martyrum	203
Fulges salvifico nomine	223
Fulget in coelis celebris	187
Gaudeamus gratulantes	178
Gaudeat chorus virginum	226
Gaudeat chorus virginum	229
Gaudeat Christo populus	225
Gaudeat magnae genitricis	113
Gaudeat nunc ecclesia	253
Gaudeat prole Gallia	275
Gaude Austrovandia	262
Gaude coelestis curia Nostra	217
Gaude coelestis curia Tanta	207
Gaude felix Aponia	190
Gaude fidelis concio Et benedic	89
Gaude fidelis concio In te	205
Gaude fidelis concio Sancto	105
Gaude mater ecclesia Christi	226
Gaude mater ecclesia Gaude	269
Gaude mater et virgo	173
Gaude mater Hungaria	271
Gaude mater salvatoris	61
Gaude origo gaudii	77
Gaude patroni portatrix	131
Gaude prima laetantium	78
Gaude regina inclita	76
Gaudet coetus angelorum	295
Gaude tellus fructuosa	188
Gaudet mater ecclesia	214
Gaude visceribus mater	200
Gaudio summo celebrare	290
Gertrudis arca numinis	183
Gignens per evangelium	206
Gloria Deus et corona	142
Graecus Caesar constitutus	252
Grates demus et cantemus	198
Gratiarum festum clarum	157
Gratia tua spiritus	33
Gratuletur ecclesia	93
Grex tuus o Benedicte tibi	134
Hac in die jucundemur	100
Hac in hora matutina	129
Haec dies justo martyri	155
Haec festiva solemnitas	19
Haec summi regis famula	93
Hae pausant in Colonia	283
Hic dies nobis gaudia	93
Hic est patris magnifici	243
Hieronymus flos doctorum	191
Hinc conversa Germania	149
Hoc honoris tui templum	43
Hortus conclusus mater Christi	64
Hortus ecclesiae fragrans	195
Hostis Herodes impie	199
Huc venite populi	153
Hujus rite asperitas	110
Humili prece et sincera	83
Hymniza cum tripudio	266
Hymnizando fideles	170
Hymnizemus canoribus	172
Hymnizet nunc ecclesia	232
Hymnizet omnis natio	149
Hymnum beatae virgini	92
Hymnum canamus gratiae	270
Hymnum novae laetitiae	263
Hymnum novum concinamus	202
Imago patris unice	39
Inclita Agnes intravit	109
Inclite Christi confessor	297
Inclitos Pauli recolens	256
Inclitus martyr Blasius	145
Inclitus pastor populi	126
In hoc festo laetabundo	155
In jubilo laudabili	11
In laude regis omnium	278
In patronorum meritis	96
In personis Deum trinum	9
Insigne sidus claruit	164
Insigni Dei athletae	106
In suis filiis mater ecclesia	38
Inter choros jam virginum	108
In vasta solitudine	256
Iste confessor Dei	266
Iste confessor Domini	158

	Seite
Iste confessor patriarcha. . . .	210
Iste martyr egregius	161
Iste nutritor Domini	211
Jam nunc paterna trinitas . . .	34
Jesu Christe patris unigenite. .	151
Jesu clementer tribulantes . . .	50
Jesu corona omnium	97
Jesu corona virginum Da nobis	250
Jesu corona virginum Rex et .	249
Jesu creator orbis et redemptor	41
Jesu fili Dei rex et sacerdos . .	44
Jesu pastor piissime	234
Jesu piarum dux decusque. . .	284
Jesu quadragenariae.	235
Jesu vocator gentium	264
Johannes martyr Domini. . . .	203
Joseph confessor inclite	209
Joseph fert mentem stupidam .	209
Jubilo cordis et voce	92
Jucundis pangat vocibus. . . .	271
Jure gliscunt nobis summa . .	296
Juxta crucem deplorabat. . . .	69
Laetabunda Deo canat	279
Laeta martyribus mente	180
Laetare gens catholica	112
Laetare Sion inclita.	126
Laetetur omnis hac die	176
Laetetur orbis quadruus. . . .	186
Laetis pangamus vocibus . . .	222
Lauda mater ecclesia	70
Laudant astra matutina	99
Laude concordes celebremus . .	131
Laude dico gloriosae	57
Laudemus Dei gratiam	91
Laudes canamus virginis . . .	286
Laudes perpetuae dignaque . .	71
Laudes promat Antonio	125
Laudes promat ecclesia	228
Laudibus Christo jubilent . . .	257
Laudibus eximiis resonent . . .	72
Laudis hymnus decantetur . . .	197
Laudis opus ut honori	187
Ligno crucis dum pendebat . .	69
Longo tendentes tramite	273
Lumen cunctorum luminum . .	79
Lumen verum de lumine . . .	20
Lux ecce fulget celebris	115
Lux saeculorum	11
Macte summe confessorum. . .	265
Magnae dies laetitiae Nobis . .	215
Magnae dies laetitiae Quo. . .	227
Magnificemus Domini	62
Magnis ecclesiae laudibus . . .	206
Magno salutis gaudio	208
Mansuescunt antra tyranni. . .	181
Maria coeli regia	78
Mariae cur conjugio.	210
Mariae jam conceptio	61
Maria mater Domini	77
Maria virgo regia.	58
Maria virgo virginum	67
Martine confessor patris	238
Martinus meritis compar. . . .	237
Martyr Christi Adriane	104
Martyr Christi sanctissime . . .	180
Martyr egregie sancte	160
Martyrem Christi veneremur . .	138
Martyr insignis meritis	274
Martyr invictus Domino	154
Martyris hujus annua	139
Mater sancta ecclesia	263
Mentibus laetis jubilemus . . .	179
Militem Christi pariter	260
Multorum militum dux	243
Nato Mariae filio	17
Nicolaus vir electus.	248
Nocti succedit lucifer	120
Nos afflictos aestu vel pluvia .	183
Novae laudis adsunt nobis. . .	280
Novo psallendi jubilo	207
Novum melos decantemus . . .	197
Novum sidus in superis	118
Nunc sanctae nobis virginis . .	265
Nunc sancte nobis spiritus. . .	285
O benedicta femina	62
O celebre convivium	151
O Christe rex justitiae	214
O coeli gemma genitrix	59
O confessorum dignitas	264
O crux ave sanctissima	29
O Deus miserere	48
O fidei mysterium.	36
O germen Jesse virgula	176
O gloriosa trinitas	10
O lapis salus hominum	38
Olim vernans Arvernia	270
Olim vernans Campania	265
O lux beata trinitas.	34
O Martha Christi hospita . . .	236
O martyr celse Jangolphe . . .	180
O martyr Leodegari.	224
Omnis chorus ecclesiarum . . .	22

	Seite
O patris gloria proles	216
Optata saeculis surgunt	42
Optatus votis omnium	140
O quam festa felicia	123
O quam pura laudatio	217
Orbis quadrata machina	169
O rex benigne Domine	141
Organa cordis solvimus	251
Orthodoxa ecclesia	282
O salutaris virgo stella maris	82
O sator rerum reparator aevi	18
O trinitas laudabilis	35
O venerande pontifex	128
O vere potens victima	37
O virgo venerabilis	91
O virtus Dei praepotens	106
Pangat sanctorum merita	239
Pangat turba clericorum	236
Pange lingua confessoris	186
Pange lingua gloriosa	27
Pange lingua gloriosae Splendorem	99
Pange lingua gloriosae Virginis	230
Pange lingua gloriosi	194
Pange lingua Margaretae	231
Pange lingua Margaretae	231
Paterni splendor luminis	170
Patroni nostri inclíti	97
Perplexa mundi retia	218
Plange mater pietatis	68
Plaudat chorus coelestium	124
Plaudat laetitia	219
Plaude coelum terra plaude	21
Plaude turba Senensium	30
Pollens Mauri filia	285
Praecedentem nos in via	66
Praesens solemnium	237
Praesentatur hodie	116
Praesentis festi tempore	115
Praesul insignis pietate	144
Primo proscriptos patria	214
Pro diversorum nominum	96
Proles de coelo exiit	221
Proles de coelo prodiit	195
Proles Francisci germinat	238
Psallat laudes creatoris	136
Pulsis longe somni vaporibus	184
Purae mentis et sincere	248
Quem pia virgo genuit	76
Quem terra pontus aethera Alta	205
Quem terra pontus aethera C. plebs	200
Quem terra pontus aethera C. vexit	261
Qui noctis in silentio	24
Quique de morte redempti	53
Quique de morte redempti	53
Qui solus orbis auctor es	291
Quo amor est et caritas	26
Recreator et purgator	262
Rector trinus per omnia	34
Refulget dies annua	220
Regem coelestis gloriae	155
Regi superno psallite	40
Regis summi suavissimus	140
Rerum aeterne arbiter	41
Respice de coelis Deus	51
Rex Christe splendor gloriae	88
Rex gloriose virginum	60
Romanum fulget speculum	111
Ruinae coeli civium	150
Sacra nobis solemnitas	207
Sacra solemnia recolit	65
Sacrata dies emicat	235
Sacro tecta velamine	36
Saepe Christi fidem quatiens	153
Salus es mundi Christe	280
Salus reorum Christe	94
Salvatoris ad honorem	135
Salvatoris eximii	19
Salvator mundi Domine	39
Salve parens Anna	116
Salve parens matris Christi	119
Salvete Christi martyres	174
Salve virgo gloriosa	218
Sancta Dei genitrix	24
Sancta [haec] congregatio	204
Sancta Maria quid est	74
Sanctarum mentes virginum	196
Sancte doctor Jeronyme	194
Sancte Gregori magni	185
Sancte martyr Adriane	104
Sancte Paule pastor bone	253
Sancte Thoma apostole	277
Sanctorum festa celebremus	159
Sanctorum omnium quorum	94
Sanctorum pariter promite	258
Sanctum sanctorum	97
Sanctus doctor Hieronymus	192
Scriptores evangelici	209
Sempiterne dominator	185
Septena fratrum passio	172
Signum magnum apparuit	150
Sinceros animos festa	148
Sion devotae filiae	108

	Seite
Sion in portis filiae	162
Sol clare fulget radio	147
Solemnis dies virginis	230
Solemnitas fidelium	117
Sol ille verus qui Deus	175
Solvamus Christo debita	294
Spiritus sancti organum	202
Splendor Jesu summi fontis	246
Splendor paternae gloriae De luce	20
Splendor paternae gloriae De tenebris	252
Sponsa regis angelorum	249
Summi tonantis filius	18
Summi tonantis unice	253
Summo Deo decantemus	232
Summus et omnipotens	83
Surge modo sponsa Christi	137
Syrus tonantis unice	271
Te Christe nostra cantica	109
Te deprecamur trinitas	35
Te ferant linguae celebrent	245
Te nunc precamur spiritus	34
Te sancta Dei genitrix	57
Te trina Deus unitas	9
Theodorum clarissimum	276
Thoma pastorum gloria	278
Totius mundi machinae	46
Trinitati altissimae	81
Tumba sacrum novit	31
Tu veniae vera mater	66
Urbs Nazareth flos de flore	178
Ut celebri laetitiae	117
Ut lingua carnis digne	166
Ut possint claris commendare	168
Ut spina rosam parturit	233
Vatem pium Liguriae	112
Veneremur beatorum	222
Veneremur Gabrielem	177
Veni creator siderum	224
Veni Joseph pater patrum	211
Verbum patris altissimi	17
Verbum patris principium	199
Vespertinam qui ad horam	181
Vexilla regis prodeunt	28
Victimae paschalis	31
Victrix fides quam non vides	239
Viduae Blasi quia subvenisti	145
Virginis sacrae veneremur	182
Virgo Dei mater	73
Virgo dum scandis superos	71
Virgo flos virginum	174
Virgo mater ecclesiae	57
Virtutum praemia	146
Vita sanctorum martyrum	282
Voce clara resonemus	161
Voces erigite laudate	95
Vocis erumpat puritas	162
Votorum Deus arbiter	224
Vox resultet melliflua	293
Wigberti dies natalis	293

Nachträge und Berichtigungen.

S. 16, Nr. 16 ebenfalls Berno zugeschrieben, bei Schubiger, Die Sängerschule St. Gallens S. 84.
S. 22, Nr. 23 Berno zugeschrieben, bei Schubiger l. c.
S. 32, Zeile 16 v. oben lies *naturalem* statt *naturale*.
S. 58, Zeile 16 v. oben lies: *Auch hier liegt* statt: *Auch liegt*.
S. 67, Nr. 104 Berno zugeschrieben bei Schubiger l. c.
S. 77, Zeile 2 v. unten lies: *Per quam Christus* statt *Perqu am*.
S. 266, Zeile 12 v. unten lies vielleicht besser: Iste confessor Domini Sigbertus.
S. 267, Zeile 1 v. oben lies vielleicht besser: Sanctus Sigbertus ut flos paradisi.
S. 267, Zeile 10 v. oben lies vielleicht richtiger: Sanctus Sigbertus propria largitus.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXIV.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Vierte Folge.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1896.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Vierte Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1896.

VORWORT.

Nachdem mit dem XXIII. Bande der Analecta die Serien der Hymni inediti zum Abschlusse gelangt sind, setzt das vorliegende Heft die der Historiae rhythmicae fort, welche zu ihrer Vollendung noch drei weitere Hefte gleichen Umfangs erheischen werden.

Aufgenommen wurden nur solche Officien, die ganz oder zum grofsen Teile in gebundener Sprache, sei es metrisch, sei es rhythmisch oder auch in ausgesprochener Reimprosa verfafst sind. Nicht aufgenommen wurden dagegen einzelne versprengte Antiphonen, Responsorien oder Invitatorien, deren sich nicht wenige in sonst durchaus in Prosa abgefafsten Officien finden. Beispielshalber verweise ich auf das 9. Responsorium im Officium des hl. Tegulus, das Anal. XXIII, 273 in den Noten mitgeteilt worden.

Bekannt und verbreitet sind z. B. als Antiphon zum Magnificat am Feste des Evangelisten Matthäus die Leoninischen Verse (Brev. Pragense saec. 14. Cod. Pragen. VI E 4; Brev. Pataviense saec. 14. Cod. Vindobonen. 1873):

Conspicit in caelis mens prudens Ezechielis
Quatuor obscuris animalia stare figuris:
Prima leonina facies et dextra bovina,
Trita hominem ostentat, aquilam tetarta retentat;
Ex his thelonei celebrantes festa Matthaei
Christo dulcisonas resonemus carminis odas.

Vgl. Morel 172, dessen Text nach einem Curer Brevier o. O. u. J. mit mehreren Fehlern behaftet ist.

Das folgende Responsorium in Assumptione B. M. V. findet sich nachgetragen in einem Breviarium Opatovicense saec. 15, Cod. 1962 der Wiener Hofbibliothek:

Integer ardorem rubus, arida virgula florem,
Porta serrata viam, sicco ros vellere stillam,
Stella maris solem, fert virgo theotoca prolem.

Selten, dafs von einzelnen solcher Antiphonen und Responsorien die Verfasser bekannt werden. So ist nach Schubiger, die Sängerschule St. Gallens, S. 58, Hermannus Contractus der Autor einer Antiphon: O florens rosa, von der Schubiger beifügt, dafs sie nicht auf unsere Zeit gekommen zu sein scheine. Es ist dies wohl zweifellos die Anal. V, 50 in den Noten mitgeteilte Antiphon, welche in der Klagenfurter Handschrift 38 (saec. 12.) der Complet des Festes der unbefleckten Empfängnis zugewiesen wird:

O florens rosa, Domini mater speciosa,
O virgo mitis, o fecundissima vitis,
Clarior aurora, pro nobis omnibus ora,
Ut simus digni postrema luce beari.

Eine andere Antiphon bietet mit dem Namen ihres Verfassers ein Cantionale sanctae Mariae Urani (saec. 14.), Handschr. 129. 5. H. zu Ravenna, mit der Bemerkung: Frater Honofrius de Sulmona, lector Perusii, ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, fecit supradictam antiphonam sanctae Julianae et sua propria manu scripsit; die Antiphon lautet:

Alma virgo Juliana,
Puritate fulgida,
Caeli pande tu arcana
Tua prece valida,
Nostrae carnis pestem sana,
Virginum egregia,
Ut per te sint nobis data
Paradisi regna grata
In coelorum curia.

Solcher vereinzelter Antiphonen und Responsorien liefse sich aus Brevieren und Antiphonarien eine nicht unbeträchtliche Anzahl zusammenstellen, wäre nicht das Sammeln derselben mit einem Aufwande von Zeit und Mühe verbunden, dem gegenüber das zu erwartende Resultat nicht die nötige Anziehung ausübt. So bietet, um noch einige weitere Beispiele anzufügen, der Viaticus Bischof Johannes' von Neumarkt (Cod. Mus. Bohem. s. n.) folgende „Commemoratio" des hl. Christoph:

O verna Domini fidelis,
O quantum refulges in caelis,

Patet in signo baculi,
Quo erupere flosculi.
Christophore Christo grate,
Ferre Christum comparate,
Christum emisti sanguine
Fuso pro ejus nomine.
O laus formae, qua ditaris,
Nam per Christum coronaris;
Ergo satis commendaris,
Dum Christophorus vocaris.
Et nunc fac, ut deprecetis
Deum, quo frui mereris,
Pro nostro gravamine,
Quo gravamur crimine.

Auf den hl. Onuphrius finden wir in dem 1488 zu Neapel gedruckten Breviere der Cölestiner eine ähnliche Commemoratio in etwas verwilderten Versen:

O refulgens in altissimis
Lucerna beatorum,
Vivens in asperrimis
Pro gloria justorum,
Sitiens dulcissimis
Meritis sanctorum
Onufri mirifice,
Dei confessor inclite,
Apud ipsum altissimum
Esto nostrum refugium,
Ut tuis supplicationibus
Fruamur in coelestibus
Sempiterno bono.

Folgende Antiphonen auf den hl. Bernhardin von Siena finden sich in der Prager Hs. VII H 8, einem Franciskaner-Diurnal des 15. Jahrh. Die erste derselben ist Anal. V, 155 in den Noten erwähnt, aber irrtümlicherweise nicht vollständig mitgeteilt worden:

O splendor pudicitiae,
Zelator paupertatis,
Amator innocentiae,
Cultor virginitatis,
Lustrator sapientiae,
Protector veritatis,
Ante thronum fulgidum
Aeternae majestatis
Para nobis aditum
Divinae pietatis.

Hieran schliefst sich der kurze Versiculus mit dem zugehörigen, die Oration einleitenden Responsorium:

V. Implora nobis gratiam,
Beate Bernhardine,
Per fontis abundantiam
Pietatis divinae,

worauf die zweite Antiphon mit der Aufschrift: *Alia antiphona* angefügt wird:

Patris sancti Bernhardini
Memoriam recolamus
Et auxilii divini
Gratiam exposcamus,
Tamquam peregrini
Patriam repetamus.

Eine andere Prager Handschrift, XII C 11, enthält auf der Innenseite des Deckels in einer Schrift des 15. Jahrh. folgende Antiphon ad Vesperas:

Floret Francisci hortulus,
In quo fulget Antonius
Et Ludovicus inclitus
Ac Bernhardinus coelicus
Cum Bonaventura
Et martyrum exercitus
Ac Clara, candor niveus;
Hi orent, nobis coelitus
Largiri dona spiritus
Ac polorum jura.

Dieselbe Antiphon findet sich wieder auf dem Vorsetzblatte der Handsch. 112 von Wilhering vom Jahre 1474. In beiden Quellen folgt derselben eine zweite Antiphon ad Laudes:

Vos sancti Dei incliti,
Qui estis mente simplici
Franciscum imitati,
Orate, ut hic fervidi
Et in futuro lucidi,
Simus et nos beati.

Hieran schliefst sich Versiculus und Responsorium: Orate pro nobis sancti Dei omnes de ordine Minorum; R. Ut perfruamur gaudiis in aula coelorum.

Ähnlicher liturgischer Bruchstücke liefsen sich, wie gesagt, eine nicht unbedeutende Zahl beibringen. Die mitgeteilten werden genügen, die Gattung hinlänglich zu kennzeichnen; mehr davon in die vorliegende Sammlung aufzunehmen lag und liegt

indes dem Zwecke derselben ferne. Solches, damit niemand enttäuscht werde, wenn er ähnliche vereinzelte Antiphonen und Respensorien in derselben vergeblich suchen sollte.

Wie reichhaltig das hymnologische Material der Länder lateinischer Kirchensprache auch heute noch fliefst, nachdem es von den Jahrhunderten mehr denn einmal decimiert worden, zeigt ein Rückblick auf jene Bände dieser Sammlung, die sich mit den umgedruckten Hymnen der verschiedenen Breviere und Antiphonare befafst haben. Solcher Hymnen sind im Ganzen über 3840 zum Abdrucke gelangt, eine Zahl, deren Gröfse in die Augen springt, wenn man sie beispielsweise mit der Sammlung Mones — noch immer einer der reichhaltigsten — vergleicht. Denn obwohl Mones Sammlung poetische Produkte aus allen Arten geistlicher Lateindichtung vereint, enthält sie nur 1215 Nummern, d. h. blofs ein Drittel der nachgetragenen Brevierhymnen. Die Sequenzendichtung ist aber mindestens ebenso reich an Zahl, bedeutend reicher aber an Abwechslung und Interesse.

Bei dieser Massenhaftigkeit des bewältigten und noch zu bewältigenden Stoffes wird es niemanden, der die grofsen Mühen und kleinen Freuden eines Herausgebers aus Erfahrung kennt, Wunder nehmen, wenn die Last anfing manchmal etwas unsanft auf meine Schultern zu drücken, doppelt dann, wenn ich den Blick in die Zukunft voraussandte. Da fügte es ein freundlicher Stern, dafs mir endlich gelang das zu finden, wonach ich oft verlangend ausgeschaut hatte. Mein sehr lieber Freund, Clemens Blume, bereits in weiteren Kreisen bekannt durch eine mit allseitigem Beifall aufgenommene Monographie über das altchristliche Taufsymbol[1]), hat sich auf meine Bitte entschlossen, die gedachten grofsen Mühen und kleinen Freuden mit mir zu teilen. So darf ich hoffen, dafs schon der nächste Band dieser Sammlung sich Dank seiner umfassenden und gründlichen Kenntnisse auf den verschiedensten Gebieten der christlichen und profanen Archäologie vor seinen Vorgängern vorteilhaft auszeichnen werde. Für den vorliegenden mufs ich leider noch ausschliefslich die Verantwortung übernehmen. Ebenso bin ich meinem werten Kollegen neben dem Danke für seine grofsmütige Entschliefsung

[1]) Das apostolische Glaubensbekenntnis. Eine apologetisch-geschichtliche Studie mit Rücksicht auf den Kampf um das Apostolicum. Freiburg 1893.

ein für allemal die Erklärung schuldig, dafs auch bei den von ihm zu besorgenden Ausgaben etwaige Mängel und Fehler der Abschriften und Kollationen — und bei der Menge des zu bewältigenden, über ganz Europa zerstreuten Materials ist es ja undenkbar, dafs deren keine oder auch nur wenige sollten unterlaufen sein — einzig mir zur Last fallen werden.

Wien, den 1. Juni 1896.

Guido Maria Dreves.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

SERIES QUARTA.

I. De s. Trinitate.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudetur summa trinitas,
Adoretur aequalitas,
Nec unitas tollatur,
Colenda est identias,
Haec sit licet pluralitas,
Haec in ipsa credatur.

2. Credamus testimonio,
Quod pater fertur filio
Per vocem tribuisse,
Patri natus complacuit,
Paraclitus perhibuit
In carne hunc venisse.

3. Firmati verbo Domini
Sunt coeli, qui sunt homini
Vita, lux et ornatus.
Est oris ejus spiritus
Virtutem omnem coelitus
Eorum operatus.

4. In personis nihil prius,
Nihil in his posterius,
Par est tribus potestas,
In his una divinitas,
Coaequalis aeternitas,
Coaeterna majestas.

5. Lux sempiterna radio
Gignit sine principio
Filium coaequalem,
Simul producunt tertium,
Fontis et lucis fluvium,
Pis consubstantialem.

Ad Magnificat.

A. O fons sapientiae,
De qua manat filius,
Gemina lux gloriae,
Unde fluit tertius,
Spirant hunc amorem
Lux primae notitiae,
Lucis summae radius,
A quibus deliciae
Procedunt ut fluvius,
Fundunt hunc calorem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trini Dei unitatem
Venite adoremus,
In personis trinitatem
Pariter collaudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adesto, sancta trinitas,
Deus unusque totus,
Tu qui lucem inhabitas,
In te manens immotus.

2. Ades cunctis potentia
Nec tamen es divisus,
Cuncta reples essentia,
Cunctis praesens invisus.

3. Disponis res suaviter,
O trinitas creatrix,
Contines mundum fortiter
In motu gubernatrix.

Responsoria.

1. Deus, qui nos potentia
Fecit, nos benedicat,
Qui nos regit prudentia,
Huic salus, quisque dicat,
Laus ipsi, qui clementia
Malum nostrum abdicat.
V. Praeveniat nos gratia,
Sequatur et sit socia
Ejus, qui nos sic dicat.

2. In patre est auctoritas,
Splendor manentis veritas,
Jubar et luminare
Spiritus sanctus caritas,
Amor verus et bonitas,
Dans esse et creare.
V. Est trinitatis unitas,
Unitati dat trinitas
Intra principiare.

3. Perfecta communio,
Quia nil jucundius,
Est in tribus bonum,
Amor et processio,
Fluxus voluntarius
Monstrant summum donum;
V. Tres dant testimonium,
Tres unum principium,
Tenent unum thronum.

Responsoria.

1. Cum quis possidet socium,
Est jucunda possessio
Et grata jucunditas,
Sic pater gignit filium,
Ut amborum connexio
Plena sit felicitas.
V. Nam, ne sit solitarium
Verbum, requirit alium
Completa suavitas.

2. Abraham dum in ostio
Tres vidit in consortio
Prospexit trinitatem,
Hoc capit in mysterio
Indiviso dominio
In tribus unitatem,
V. In tribus, quorum unio
Indifferens, corde pio
Adorat majestatem.

3. Patris nequaquam vacua
Sed bonitas largissima
Se diffundit in filium,
Sic amborum irrigua
Crescit caritas maxima,
Qua spirant simul tertium.
V. Sancta et individua
Trinitas perfectissima
Tres et unio trium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pater rebus originem,
Verbum dat esse verum
Et bonitas imaginem,
Unica causa rerum.

2. Eructat pater filium
Sicut mens verbum bonum,
Ambo unum principium
Aeternum spirant donum.

3. Pater cunctorum gloria,
Ex quo cuncta creantur
Per verbum, per quod omnia
Spiritu conservantur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Personis est pluralitas
In natura simplici,
Ut in puncto simplicitas
Respectu multiplici.

2. Nequit trinitas mutari,
Si ad nos referatur,
Sic et minus variari,
In pignus si ponatur.

3. Cum immensa sit trinitas,
Nusquam plene capitur,
Licet sit simplex unitas,
Qua justus perfruitur.

Responsoria.

1. Summi Dei
trina monarchia,
Una trium
simplex est usia,
Tribus inest
sub una latria
Honor unus,
aequalis gloria.

V. Seraphim ter sanctus clamant,
Semper laudant hunc, quem
amant.

2. Lux diffusa radio
Protinus se multiplicat,
Ignis caloris proprii,
Statim ut est, vim indicat,

V. Sic pater esse filii
Cum ejusdem dominio
Ab aeterno clarificat.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Corde fidelis sentiat
Et ore non dissentiat
Regnare trinitatem,
Hanc, cujus esse, vivere
Idem et intelligere,
Amemus unitatem.

2. A patre comprehensio,
A verbo datur visio
Trinae bonorum gloriae,
A dono est fruitio,
Quo fit justificatio.
Cum sit donator gratiae.

3. Imago patris speculum,
Nexus horum spiraculum,
In coelo quo locati,
Quo trinum panem capiunt,
Eo plus frui sitiunt
Conjuncti trinitati.

4. Jure te laudant omnia,
Trinitas, coeli gloria,
Cum horum sis creatrix,
In his lucet potentia,
Bonitas et scientia,
Quorum es conservatrix.

5. Domine Deus, tu trinam
Mundi qui regis machinam,
Jugis custos cunctorum,
Numerus, pondus, mensura
Signant te in creatura
Trinam causam cunctorum.

Ad Benedictus.

A. O virtus cuncta bajulans,
Natura semper pullulans,
Pater, in te dum flecteris,
In prole par exprimeris,
Ambo in amore;
Hunc spirat lumen geminum,
Natus cum patre luminum,
Ortum rei vertibili
Dat Deus immutabili
Verbo in ardore.
Nos crucis emptos loculo
Trino signet signaculo,
Qui carnis ad connubium
Tractus nostrum exsilium
Duxit in dolore.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Beata sancta trinitas,
Memoriae tu unitas,
Notitiae tu veritas,
Voluntatis tu bonitas,
Fac corde, ore, opere
Studeamus te colere,
In nobis formam gerere,
Quod possimus te noscere.

Brev. ms. Franciscanum saec. 14/15. Cod. Parisin. 1290. — In 1. Noct. R 1, 4 Huic salus quasi (qui) dicat. — R 2, 3 et fehlt. — R 3, 2 Lies: Qua nihil? — R 3, 5 Fulxus. — R 3, 9 fehlen zwei Silben; unum ergänzt. — In 2. Noct. A 1, 3 Ipsis bonitas originem. — R 1, 8 Sermo requirit. — In 3. Noct. A 2, 1 Nesi trinitas. — Ad Laudes A 1, 4 essem. — A 2, 6 sit doctor. — A 5, 1 Deus in trina. — A 5, 2 quam regis. — Zu diesem Officium gehören die Hymnen Ad Vesp.: In majestatis solio (Dan. I, 276); ad Noct.: O lux beata trinitas (Ibid.); ad Laudes: Aeternum ens principium (Anal. Hymn. XI, 13).

2. In Festo Inventionis pueri Jesu.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Felix Mariae gaudium
Festivum dat tripudium,
Dum recolit ecclesia,
Quod mater innupta sola
Moeste quaesitum filium
Gaudens invenit unicum.

Tropus.

1. Qui fuit in nubilo,
Fulget sol jam denuo
Vibrato radio,
Cessit frendens aquilo,
Auster flavit in horto
Blande virgineo.

2. Splendet florum area
Vallis nitent lilia,
Ardent rosaceae;
Vernales deliciae
Succedunt tristitiae
Fugatae Boreae.

3. Versum est in gaudium
Doloris suspirium
Post Jesum puerum,
Virginis pectusculum
Capit vix tripudium
Intra se positum.

Ad Magnificat.

A. Magnificanti Dominum
Mariae adsistamus,
Inventum Jesum puerum
Laeti suscipiamus
Eique laudis canticum
Exsultantes dicamus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Quaeramus Dominum
cum virgine matre, repertum
Semper adoremus
et ei laete jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore Jesu pueri
Perficitur laus Domini,
Dum doctores interrogat,
Quae sunt patris, commemorat.

2. Non sunt loquelae neque sermones,
Quibus exprimi possent dolores,
Quos virgo mater sustinuit,
Quando puerum Jesum quaesivit.

3. Puer in Jerusalem
quidem remanserat,
Quando cum parentibus
illuc ascenderat,
Quod eis recedentibus
incognitum erat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum bonum eructavit
Jesus, cum interrogavit
Scribas, quae non ignoravit.

2. Dum in medio residebat
doctorum,
Impetu coelestium
fluviorum
Sanctificat templum
Deus deorum.

3. Cujus fundamenta in montibus,
Stillat doctrinam sentibus,
Puer duodecim annorum
Repertus a Maria
In medio doctorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Afferte Domino
gloriam et honorem,
Date Jesu puero
benedictionem.

2. Lux atque laetitia
rectis corde oritur,
Dum Jesus a parentibus
quaesitus invenitur.

3. O Jesu puer dulcissime,
Quantum exsultare
Cor matris amantissimae
Fecisti, dum dignare,
Quaesitus te ostendere,
Ut inveniare.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domo tua sedes grata
Tibi, Christe, est parata,
Doctisque mirabilia
Tua sunt testimonia.

2. Fac sitibundam animam,
Amore tuo languidam,
Te invenire cupidam,
Habere tui copiam.

3. O Jesu amantissime,
Jam desine subtrahere
Te matri amantissimae,
Quaerenti te anxie.

4. Benedictus puerulus,
Coeli terraeque dominus,
Mariae Jesus filius
Obedit matri subditus.

5. Prole mater est beata,
Matrem quae creavit,
Inque suo Sion nata
Rege exsultavit.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. B. — Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72. C. — Brev. Misnense imp. s. l. 1483. D. — Brev. Misnense imp. (Lipsiae?) 1517. E. — Brev. ms. Canonic. reg. Wratislavien. saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 75 F. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 2 Festi dat. — Tropus fehlt A. — 1, 1 Qui sunt in jubilo B. — 2, 1—3 und 4—6 umgestellt DE. — 2, 6 Fugato Borea DE. — Ad Magn. **A**, 5 Atque laude A; fehlt B. — **A**, 6 fehlt B. — In 2. Noct. **A** 3 lautet in A:

Magnus et laudabilis
Et cunctis admirabilis
Jesus puer amabilis.

In 3. Noct. **A** 3, 1 dilectissime A. — Ad Laudes. **A** 2, 3 Te fehlt B. — **A** 3, 4 tam fehlt A. — **A** 4, 3 Inventus Mariae Jesus E. — **A** 5, 1 matrem B; est fehlt AB. — Die beiden zu diesem Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. IV, 18. Den Verfasser dieser Hymnen und des Officiums nennt A: „Istam historiam fecit Dominus Johannes Hoffman, episcopus Misnensis“; derselbe starb den 26. März (nach andern den 12. April) 1451.

3. In Transfiguratione DN.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Salvator mundi, Domine,
Deus verus in homine,
Quos tuo signas lumine,
Da semper frui numine.

Ad Magnificat.

A. Exsultet spiritus
In vero salutari,
Qui fecit coelitus
Se transfigurari,
Ut nix candet habitus
Radio solari,
Vultus lucet penitus
Claritate pari.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus luminis
Paterni splendorem,
Qui transformat hominis
Vultum in decorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praegustatur hodie
Ligni vitae fructus,
Plantati miseriae
Secus nostrae fluctus.

2. Salva nos propitius
Ab irae brevis aestu,
Cui dixit Dominus:
Filius meus es tu.

3. In spe singulariter
Nos constituisti,
Vultus tui lumine
Dum nos perfudisti.

Responsoria.

1. Mentem excutiens,
homo, de pulvere
Stude cum Domino
montem conscendere,
Quo Christi gloriam
possis conspicere,
V. Quam suis hodie
promisit cernere,
Amictum gloriae
volens induere.

2. Seorsim a scoria
Plebis elevati
Visionis gloria
Sunt irradiati
In dulci praesentia
Christi transformati.
V. Qui se levant supra se,
Monte sunt beati,
Visionis coelicae
Gustu debriati.

3. Christus dat se fulgidum
In carne passura,
Ne nobis sit dubium
De dote futura,
Sed juge convivium
Mens speret secura.
V. Attriti poenaliter
Via mundi dura
Fulgebunt sublimiter
Contra carnis jura.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Innocentes manibus,
Mundo corde puri
In decore gloriae
Regem sunt visuri.

2. De coelo intonuit
Deus majestatis:
In quo mihi placuit,
Ipsum audiatis.

3. Hominum prae filiis
Forma speciosus,
Christus nitens vestibus,
Vultu luminosus.

Responsoria.

1. Claritate fulgida
Facies lucescit,
More nivis candida
Vestis enitescit,
Haec est vita lucida,
Quae finiri nescit.
V. Nix misericordiae
Solamen expressit,
Ardens sol justitiae
Clarae typum gessit.

2. Tres assumpti cum stupore,
Helias cum legis latore
Admirantes prae splendore
Adstant coram salvatore,
V. Verum probant legis more
Trium aut duorum ore.

3. Clara revelatur
via clausa, fides reseratur
Fulgida strata datur,
per quam pia plebs gradiatur,
Vox patris est testis,
vultus, lux, candida vestis;
V. Cernite splendorem
vultus vestisque nitorem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vehementer fortes dii
terrae elevati
Speciem Dei Jacob
vident transformati.

2. Gustu brevi dulcium
nostra mens affecta
Concupiscit acrius
atria dilecta.

3. Lex per Moysen est data,
A prophetis testificata,
Quorum Christi praesentia
Completa sunt praeconia.

Responsoria.

1. Circumstantes terruit
Splendor claritatis,
Quibus mens elanguit
In terram prostratis,
Sed nubes apparuit,
Signum lenitatis.
V. De coelis intonuit
Deus majestatis,
Humanae contremuit
Virga parvitatis.

2. Petrus raptus gaudio
Tantae visionis
Non se regit praevio
Ductu rationis,
Quod probat indicio
Prolati sermonis:
V. Fiant tabernacula
Trinae mansionis,
Bonum est per saecula
Tantis frui bonis.

3. Transformate
Salvator hodie,
Nos reforma
per vitam gratiae,
Hic informa
lima justitiae,
Hinc transforma
in luce gloriae;
V. Tibi mundos
a faece scoriae
Revelata
conforma facie.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem Christus induit,
Paterna vox insonuit,
Ista testimonia
Nimis credibilia.

2. Transformati gloria
Nos facit sitire,
Quo donetur atria
Ejus introire.

3. Super nos illumina
Vultum tuum, Christe,
Cujus lucis gloria
Fulget dies iste.

4. Benedicat Dominum
Omnis creatura,
Qui se dedit fulgidum
In carne passura.

5. Laudent regem gloriae
Cuncta, quae creavit,
Cujus fulgor hodie
Solem superavit.

Ad Benedictus.

A. Ex alto nos oriens
Christus visitavit,
Cujus lucem fragile
corpus obumbravit,
Sed ut nos illuminet
se transfiguravit.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. In splendoribus sanctorum
Salvator genitus,
In consilio justorum
Magnus est agnitus,
Rectis corde
dat lumen cernere,
Suscitatis
de mundi pulvere.

Ad Magnificat.

A. Lux fulget celebris
Christi praesentia,
De carnis latebris
Emicat gloria,
Quae nostris tenebris
Infundit gaudia.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. in. Cod. Londinen. Reg. 2 A XI. — Hiezu die Hymnen in Vesp.: Coelestis formam gloriae (Mone I, 85); ad Noct.: Splendor aeterni luminis (Morel, S. 16), in Laud.: Mentis fervet devotio (Anal. XII, 16).

4. De Vulneribus DN.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adsunt sacrosancta festa
Beatorum vulnerum,
Quae inflixit gens funesta
Creatori siderum.

2. Hi cancelli pietatis,
Per quos sponsus prospicit,
Ad amplexus caritatis
Sponsam clemens allicit.

3. His in cavernis petrarum
Turtures nidificant
Et accipitris avarum
Raptum praeludificant.

4. Vasa pulchra regis fortis
Stillantia dulcedinem
Effugarunt dirae mortis
Perpetim acredinem.

Ad Magnificat.

A. Gaude, coelum, terra, plaude,
Festum adest dignum laude
Beatorum vulnerum
Christi, pii redemptoris,
Quem collaudat vox dulcoris
Hominis interioris
Dulcedine dragmatum.
Nos, qui vulnerum cruore
Redempti sumus, honore
Debito festum colamus
Vulnerum, perennibus
Ut inferamur gaudiis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus summi regis
pretiosa vulnera,
Vigilanter offeramus
ipsi laudum munera.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pilatus vulneribus
Christi corpus cruciat,
Ut flagrum generibus
Sanguinem excutiat.

2. Cruor fluit roseus
Ex membris sacratis,
Per quae stillat dulciter
Gratia beatis.

3. Corpus mite Jesu
numeroso vulnere laesum,
Ad caput a planta
transvolat ille dolor.

Responsoria.

1. Agnus sine macula
Mundana piacula
Vulnerum cruore
Tergens tabernacula
Coeli fecit pervia
Flagranti amore.

V. *Ad Deum accedite et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

2. Mira providentia
Diva sapientia
Domum, quam fundavit,
Ex gentis malitia
Praesidis militia
Flagris cruentavit.

V. Lana munda tingitur
Sanguine concilii,
Dum flagellis cingitur
Caro Dei filii.

3. Stolas tingunt martyres,
Genas pingunt virgines
In agni cruore,
Ex fontibus vulnerum
Debriantur plurimum
Angeli dulcore.

V. Ad Christum accedite,
Mundo corde bibite
Poculum salutis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mare fudit aeneum
Salomon in templo,
Ut mundetur sordidum
Sanguinis exemplo.

2. Coccus bis cinctus
est Christi sanguine tinctus,
Qui mortis geminae
vincula dura tulit.

3. O beata latria
Christi, per quam patria
Coeli reseratur,
O praeclara vulnera,
Clavi, spina, lancea,
Per quae vita datur.

Responsoria.

1. Hoedi tincta sanguine
Tunica talaris
Est cruoris unguine
Caro salutaris
Purpurata stipite
Sacri torcularis.

V. *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.*

2. Templum tabernaculi
pellibus caprinis
Rubricatis tegitur
atque jacinthinis,
Sic verbum altissimi
vulnerum sentinis
Purpuratum corpore
protegit ab imis.

V. *Cui diximus: sub umbra tua vivemus in gentibus.*

3. Christus vulneratus est
pro nostris peccatis,
Pro mundi sceleribus
attritus est gratis;
O insignis gratia,
honor libertatis
Immolato filio
redit venumdatis.

V. *O inaestimabilis dilectio caritatis, ut servum redimeres, filium tradidisti.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vulnerasti, sponsa, meum
Cor amoris jaculo
Taliter, ut pro te crucis
Sim affixus baculo.

2. Sponse dulcis deitate,
Floribus humilitate,
Vulnerate caritate,
Quaeso, mihi dic, amate,
Ubi te reperiam?

3. Sum in horto voluptatis,
Areola aromatis,
Carpens rosas caritatis
Et lilias castitatis,
Humilitatis violas.

Responsoria.

1. Vir indutus lineis
Atramento femoris
Pinxit tau crucis in fronte
Inebrians cruoris fonte
Moerentis in vinculis.

V. Angelus exterminator,
Ubi vidit Tau signatos,
Signo postes consecratos,
Impunitos deserit.

2. O sacratum corpus Christi,
Qui tot poenas pertulisti,
Vulneratum, lanceatum,
Diris vinclis coartatum,
Ciba nos in hora mortis,
Reseratis regni portis
Introduc ad gaudia,

V. Ubi beatorum animae
Perenni beatitudine
Feliciter jucundantur.

3. Vidi regem coronatum
Multo diademate,
Clara stola candidatum
Purpurata sanguine,
Quem in albis sequebantur
Coelestes militiae,
Regi regum concinentes
Canticum laetitiae.

V. *Laverunt stolas suas et candidas eas fecerunt in sanguine agni.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus rex gloriae,
vulnerum cruore
Purpuratus, hodie
vestitur decore.

2. Jubilet ecclesia
Christo redemptori,
Qui pro ipso voluit
vulneratus mori.

3. Auctor vitae *Sitio*
profatur in cruce,
Liber a supplicio
quod regnes in luce.

4. Benedicant Dominum
omnes creaturae,
Qui pro nobis voluit
vulnerari dure.

5. In chordis et organo
Christum regem caeli
Collaudemus adorantes
pectore fideli.

Ad Benedictus.

A. Benedicta benedicti
Salvatoris vulnera,
Per quae vinculis adstricti
Libertatis munera
Consecuti sunt, abluta
Criminum contagia,
Vera vita morte trita
Praestatur et gratia.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Haec est dies inclita,
Quae Christi memoria
Vulnerum habetur,
Per mundana climata
Militans ecclesia
Festive laetetur
Et praeclara stigmata
Christi laude debita
Digne veneretur.

Ad Tertiam.

A. O fons indeficiens
Summae voluptatis,
Angelos reficiens
Proles deitatis,

Per beata vulnera
Sacrae passionis
Nos supernis applica
Post cursum agonis.

Ad Sextam.

A. Sex millena sexcentena
Vulnera beata,
Sexagena atque sena
Illis aggregata,
Nobis a perenni poena
Sint tutela grata.

Ad Nonam.

R. Agno vulnerato
de pura virgine nato
Cum prece devota
modulizet concio tota.

V. *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per pretiosa vulnera redemisti mundum.*

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Hodie coelesti sponso
jubilet ecclesia
Pro suorum et sacrorum
vulnerum memoria,
Sex millena sexcentena
numerosa gratia
Sexagena atque sena
post vitae curricula
Paradisi ad amoena
nos perducant gaudia.

Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 129. A. — Antiph. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 124. B. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 139. add. saec. 14. C. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 14. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 146. D. — Brev. ms. Carmelitarum saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 38. E.

In 1. Vesperis **A** 1, 3 Quae influxerat gens fenusta E. — **A** 1, 4 Conditori E. — **A** 4, 1 Vasa fulcra E. — **A** 4, 4 aggredinem E. — **A** 5 prosaisch u. z. ist eine Kollekte als Antiphon verwandt. — Ad Magn. **A**, 12 fehlt E. — In 1. Noct. **A** 1, 2 cruciavit E. — **A** 1, 3 fragrum D, frageum E. — **A** 1, 4 excutiavit E. — **A** 3, 2 numerose E. — **R** 2, 1 sqq. Exaltatus in ligno crucis Jesus Christus etc. prosaisch. E. — **R** 3, 1 sqq. Ex divinae caritatis beneficio etc. prosaisch E. — **R** 3, 8 corde edite, bibite D. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Coctus E. — In 3. Noct. **A** 1, 1 sq. cor meum E. — **A** 1, 4 Sum afflixus E. — **A** 2, 2 Floribus humanitate B. — **A** 2, 3 Vulnerata DE. — **A** 3, 5 Humilitatis fehlt D. — **R** 1, 2 Atromento D, atremento E; femoris fehlt D. — **R** 2, 1 O sacrum E. — **R** 2, 3 lancea E. — **R** 2, 4 Cum diris vinculis cohortatum DE. — Ad Laudes. Ad Bened. **A**, 7 Vera victa morte certa D. — In 2. Vesperis. Ad Magn. **A**, 2 jubiletur E. — **A**, 10 perduc E. — Per Horas. Ad Primam **A**, 9 veneremur D. — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. XXIII, Nr. 32—35.

5. De Effusione Sanguinis DN.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christo haec plebs addita
Et ejus dono praedita,
Jucunderis hodie,
Tota sis devota,
Erumpens in jubilum
Depone mentis nubilum,
Tempus est lactitiae,
Cura sit semota.
Omnes terrae populi
Laudent auctorem saeculi,
Per quem tanto gratiae
Signo gloriantur.

Ad Magnitutinum.

Invitatorium.

Regi, qui regit omnia,
Christo confiteamur,
Sacra cujus insignia
Redempti veneramur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Reges ut vasa figuli
In fine confringentur,
Qui summi regis aemuli
Sanguinem non verentur.
2. Adversus Dei filium
Plures insurrexerunt,
Nocentes in innoxium
Cruorem effuderunt.
3. Beati, quorum oculi
Praesentes contemplantur,
Quod tot terrarum populi
Absentes venerantur.

Responsoria.

1. Redemit nos in brachio
sancto suo Dominus,
Animas nostras redimens
de inferni manibus,
Cum ad ima inclinatus
servi formam accepit.
V. Nostra ad summa unctio
Natura sumpta humana
Haec est inclinatio.
2. In pace nostram animam
redemisti, Domine,
Mortem sustinens acerbam
maxima caritate,
Qua nemo potest majorem
nec similem habere.
V. Per hanc tuam passionem
Pacis salutis aeternae
Capaces nos fecisti.
3. Quae plasmator non rapuit,
suo solvit sanguine,
Quo nos a peccatis lavit,
ut consortes gloriae
Cum electis in patria
nos faceret in fine.
V. Animam suam pro grege
Pie dare voluit,
Ut expertes miseriae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanguini, quem gens impia
Latere fudit Christi,
Devotum cum laetitia
Impendamus honorem.
2. In tua, Jesu, requie
Nos tecum gaudeamus,
Cujus sanguinem hodie
In terris honoramus.
3. Christi latere percusso
Sanguis fluxit salutaris,
Christicolis venerandus
Atque magnificandus.

Responsoria.

1. Lux, ecce, fulget hodie
Magnae solemnitatis,
Laudes exsolvantur piae
Datori bonitatis,
Ne tanta dona gratiae
Collata sint ingratis.
V. Laete psallat ecclesia,
Laudans regem gloriae
Pro donis sibi datis.
2. In Phase, quod praecipitur
Moyses immolare,
Sub agni typo creditur
Lex Christum designare,
Hujus sanguis effunditur
In Phase salutare.
V. Hoc aspersus non laeditur,
Nam ad eum non sinitur
Percussor penetrare.
3. Christus in patris vinea
Pro nobis vapulavit,
Dum fructum gens erronea
Petitum denegavit,
Insontis latus lancea
Crudelis perforavit.

V. Felix cuspes est ferrea,
Qua confossus a framea
Fideles liberavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nos tecum, judex saeculi,
Fac demum gloriari,
De tuo sacro sanguine,
Quos inundas, laetari.

2. Praeclaro post sanguine
Nos ditavit hodie,
Qui pedibus imaginis
Separatis effluxit.

3. Digne chorus fidelium
Sanguinem veneretur,
Quo redemptum a crimine
Se vere confitetur.

Responsoria.

1. Pii Dei clementia
Non ex suis operibus,
Sed ex misericordia
Impios justificavit
Eosque salvos effecit
Benignitate sua;
V. Sic ipsos de interitu
Tollens misericorditer
Dedit coeli gaudia.

2. Cruoris instet laudibus
Clerus, quem Christus sanguine
Effuso consecravit,
Quem effundens salubriter
Pro mundi se peccamine
Piaculum donavit.
V. Sic pius se ab impiis
. . . sine crimine
Supplicium portavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dono praeclaro praediti
Thesauri nobis crediti
Veneremur actorem,
Qui nobis arma contulit,
Quibus humani perculit
Generis oppressorem.

2. Haec lux cum laetitia
Celebris agatur
Et in Christi gloria
Prorsus impendatur.

3. Jesu, redemptor saeculi,
In tuis semper seduli
Praeceptis vigilemus,
Ne segnes operarii
Frustremur spe denarii,
Cujus pignus tenemus.

4. Sancta Dei dextera,
Benedicant opera
Cuncta creatorem,
Qui dat nobis munera
Ad salvanda vulnera,
Crucem et cruorem.

5. Terrae reges et populi
Laudent omnes et singuli
Sedentem super thronum,
Quod immensa datio
In hoc de sacro loco
Sit lapsis remedium.

Ad Benedictus.

A. Ortus ante saecula
Nos in servi formula
Christus visitavit,
Nobis dans signacula,
Quibus dira vincula
Mortis dissipavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pie Jesu, rex omnium,
Finis atque principium
Hujus solemnitatis,
Post festa temporalia
Nos perducas ad gaudia
Tuae perennitatis.

Brev. Corisopitense imp. . . . . 1500. — In 1. Vesperis. Ad Magn. **A**, 5 Erumpens immobiliter. — In 3. Nocturno. **A** 3, 2 veneratur. — **R** 1, 3 ex fehlt. — In Laudibus. **A** 3, 4 Ne sinentes operari. — **A** 4, 2 Benedicat. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XII, Nr. 49—52.

6. De Corpore Christi.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

Gaude, felix
mater ecclesia,
Novae laudis
agens solemnia,
Tota mentis
plaude laetitia
Redemptoris
laudans magnalia,
Inter quae cuncta
plus considera,
Mira quae fecit
in coena opera.

Ad Magnificat.

A. Magnificent animae
Fideles Christum Dominum,
Qui justis famelicis
sacrum dat convivium,
Dimittens inanes divites
gerentes hinc fastidium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt dominicae
mensae deliciae,
Plaudunt ecclesiae
cantu laetitiae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Panis novus et coelicus
Missus in fine saeculi,
Patris aeterni filius
est cibus suavitatis.

2. Hic, a sacerdotibus
Dum missa celebratur,
In eorum manibus
Transsubstantiatur.

3. Hoc sacramentum Dominus
Instituit in coena,
Cui sedit cominus
Turba duodena.

4. Sub legis Dei regula
Mens justa sit et sedula,
Saginata dulcedine
De carne Christi et sanguine.

5. Agonizans post coenam Dominus
Morte factus jam proximus
Cruorem fudit cum precibus.

6. Pernox tunc Christum proprium
Tradebat Judas dominum,
Post corporis edulium
Crudele reddens osculum.

Responsoria.

1. Mundos vocans
ad suas epulas,
Hora coenae,
detestans crapulas,
Suam Jesus
dat carnem ferculum,
Cruorem poculum.
V. Digna sane et munda
Vita requiritur,
Ubi esca tam sancta
Mandi praecipitur.

2. Data mundo
pro mundi gloria
Mira Christi
sunt beneficia,
Morbos, mortem
fugat et vitia
Sumpta eucharistia.
V. Vitam justis
confert edulium,
Malis mortem
infert et judicium.

3. Paupertatis
incedens semita,
Cuncta mundi
detestans crimina,
Dignus frui
est Christi hostia,
Inter poli
locandus agmina.

V. Nocte agnus
legalis manditur,
Culpae umbra
Christi luce pellitur.

4. Verbum vitae
in mensa loquitur,
A se ipso
panis conficitur,
Confectus sic
Iesus sumitur,
Salus hinc nascitur.
V. Post in mortem
a fratre traditus,
Surgens vivit
illaesus penitus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sitiebat Christus
salutem hominum,
Suo sanguine sitis
nostrae sedans incendium.
2. Migrans Christus fratribus
Vitae firmamentum
Corporis et sanguinis
Tradit sacramentum.
3. Liber omni vitio
Gustet hic fidelis,
Quem post pleno gaudio
Videat in caelis.

Responsoria.

1. Panis descendens coelitus
Mentis supplet inopiam
Vitamque reddens penitus
Dat gratiarum copiam.
V. Signo crucis de
panis materia
Virtute verbi
fit eucharistia.
2. Felix caro,
de cujus epulo
Tanta salus
redundat saeculo
Et sanguinem
propinans populo
Vitali poculo.
V. Ex ubertate gratiae
Tales dantur deliciae.
3. Ascendentem
Christum de hac miseria
Prosequamur
per sancta desideria,
Vadit orare
pro nobis in patria,
Manens pascit
nos eucharistia.
V. Per quem tale
nobis datum est promissum:
Vado semper
mansurus vobiscum.
4. Granum florens in fertili
Agro ventris virginei,
Sacro satum spiramine,
Poenae tritum gravamine,
Pro amoris signaculo
Fit panis in coenaculo.
V. Flos est pulcher
puris adspectibus,
Panis sanus
mundis affectibus.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Memor fuit testamenti
Dominus rex gloriae,
Se dat escam sacramenti
Dignus, ut aporiae
Mors necetur et purgetur
Vita zyma scoriae.
V. Ut nunc rerum facie
Gerimus per Jesum,
Ipsum mentis acie
Vitae scimus esum.
2. Vere Joseph tunica
Mire polymita
Passione punica
Nobis redimita,
Hac vestimur unica
Nunc et poli vita.

V. Summe pater gloriae,
Corpus tui nati
Vestis est munditiae,
Qua sumus renati.

3. Vive panis, qui divisus
tamen non divideris,
Qui cum sancto spiritu et
patre unum crederis,
In te uni, per te muni,
quos uno pane reficis.
V. Quod in nobis habitas,
verbum caro factum,
Ex Maria nasceris,
quae viri nescit tactum.

4. O spem miram, quam dat Jesus
Suis largus famulis,
Olim caesus, nunc illaesus
Cum ministris angelis
Vivus manet, quamvis esus
Hic in tabernaculis.
V. Invitati festinemus
Ad regis praesentiam
Et pro datis nobis gratis
Sibi reddamus gratiam.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Vere digna hostia
Deus, corpus et anima,
Natura duplex, substantia
Trina, personona unica.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
salvator hominum
Salutare
ipsis dans epulum
Corpus suum
ministrat ferculum.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Quando sumunt Dominum
Hic unus, ibi mille,
Quantum turba plurium,
Tantum sumit ille.

Ad Tertiam.

A. Hostiarum cumulus
Multarum dum sacratur,
Non sub formis pluribus
Christus multiplicatur.

Ad Sextam.

A. Effectu sumunt vario
Impius et justus,
In primo mors, in alio
Est vitalis gustus.

Ad Nonam.

A. Masticatur Dominus
Nec dilaniatur,
Semper manet solidus,
Cum species frangatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O panis eucharistiae,
Cibus sanitatis,
Pius dator veniae,
Culpas laxa gratis,
Pacis et concordiae
Donis confirmatis
Finem fac miseriae,
Nos junge beatis.

Antiph. ms. Lucidae Vallis saec. 14. Cod. Carolsruhan. Licht. 15. A. — Brev. ms. Lucidae Vallis saec. 14. Cod. Carolsruhan. Licht. 34. B. — Brev. ms. Günthersthalense saec. 15. Cod. Carolsruhan. Gü. 7. C. — Brev. ms. Benedictinum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 6. D. — Collect. ms. Hamelense saec. 13. Cod. Hannoveran. I 101 d. add. saec. 15. E. — In der 1. Vesper stehen vier **AA** super Ps., von denen aber die drei letzten prosaisch sind. — In der 2. Nocturn sind die drei ersten **AA** prosaisch. — In der 3. Nocturn ist die **A** ad Cantica prosaisch: O sacrum convivium etc. — Ad Bened. **A**, 4 Ipsis salutare AB. — Vgl. Mone I, 262 ff.

7. In Illatione Sanguinis Domini.

In 1. Vesperis.

R. Salve, sanguis Christi stilla,
Bona reducens in illa,
Quae perdidimus
In primis parentibus.
V. Cruor Christi super cuncta
Pretiosa est unguenta,
Favus distillans passio
Mel et lac in cruce sua.

Ad Magnificat.

A. Ave, cruor salutaris,
Qui de vivo derivaris
Fonte, nos emundans
Et ad bonum nos fecundans,
Mustum verae vitis,
Vim exstinguens nostrae sitis,
Stilla plena dulcore,
Tu nos coeli redde dignos
honore.

Ad Nocturnum.

Responsoria.

1. Serpens ad fastum
per fraudes atque per astum
Illiciens pastum
fructu mortis protoplastum,
In patre nos stravit,
coeli quem sede fugavit,
Sed Christi sanguis
occurrit morsibus anguis.
V. Vulneribus maestis
nos laesit noxia pestis,
Dum tristi pomo
se temeravit homo.

2. Vere sacratum sanguinem,
Qui restituit hominem
Paradiso spoliatum
Matris Evae per reatum,
Nam peremptis mortis esu
Redit vita morte Jesu.
V. *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*

3. Christi sanguis sacratissime,
Tu potus salutaris es animae,
Menti ros intimae,
Tu carnis exstinguens fons
faculas,
Mundans maculas.
V. *Quoniam peccatorum flammis urimur et culpis sordidamur.*

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Quando venit agnus Dei,
Placens patri hostia,
Solvit orbis culpam rei
Sanguinem cum anima
Dans ei.
2. Verbum supernum descendens
Ad salutem hominum
Sanguinem impendit pretiosum
In succursum redimendorum.
3. Beatus auctor miseris
In primo lapsis homine
Apertione lateris
Fuso subvenit sanguine.
4. Clausa parentis anima
Penetrabatur gladio,
Dum nati rorant optima
Membra cruoris fluvio.
5. Domus coelestis panditur,
Dum rumphea versatilis
Et flammea restinguitur
Virtute stillae nobilis.

Ad Benedictus.

A. Redditi
coelis sumus
per cruorem,
Quem Christi
de corpore
produxerunt
Sudor flagra spinae
Ac clavi
lanceaque
per hunc rorem
Avida
jam praedura
corda revixerunt.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Sanctus sanguis iste,
Quem, Christe,
Nascens ex virgine,
In ejus oculis
Fudisti pro homine.

Ad Sextam.

A. Spes nostra
Vincens ostra
Sanguis rubi
Donis ubi
Stilluja.

Ad Nonam.

A. Te jure cuncti
Fide functi,
Ros vivifice,
Quaerunt,
Qui ruerunt,
Ut resurgant, effice.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

O gutta sanguinis
Omni prosequenda laude,
Quae cladem hominis
Miseri plena virtute repellis,
Dum ex sacro Christi corpore manas
Cunctosque languidos sanas.

Brev. ms. Altaense saec. 14. Clm. Monacen. 9628. — In der ersten Vesper ist die **A** super Psalmos prosaisch; dieselbe **A** kehrt zur Terz wieder. Vom Hymnus giebt die Handschrift nur den Anfang an: O lapsi salus hominis. Das Invitatorium lautet: Adoremus regem magnum; die **AA** der ersten und einzigen Nocturn sicut in festo omnium sanctorum. Von den vier **RR** ist das dritte prosaisch und hier fortgelassen. Der Hymnus in den Laudes: Signum crucis mirabile.

8. De Corona Spinea.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Novi festi gaudio
Francia nitescit,
Regis regum xenio
Regni decus crescit.

2. Omnis zona sub corona
Jesu Christi clauditur,
Francis tamen in solamen
Speciale mittitur.

3. Sertum Christi deserit
Graecos et Hebraeos,
Se Latinis inserit
Et honorat eos.

4. Corda pungat et compungat
Spina flore pulchrior,
Vernans apud Christi caput
Adhuc est flagrantior.

5. Pars coronae nos ditavit
Caroli temporibus,
Ludovico Deus favit,
Totum reddens partibus.

R. Triumphales
virtutum tituli
Vi subacta
mortalis stimuli
Sub spineto
divini circuli
Nos coronent
in fine saeculi.
Nox diei,
vitae mors visita,
Ligno vitae
spina praeposita,
Crux honori
restaurant perdita.

V. Coronato
nostra miseria,
Qui honore
coronat omnia,
Et flamini
cum patre gloria.

Ad Magnificat.

A. Felix terra,
quae spinas protulit,
Regis regum
quas caput extulit,
Quarum multo
punctus est stimulo
Moriturus unus
pro populo.
Sertum diva
redolens tempora
Nostra fecit
beata tempora
Vernans intra
Francorum litora.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus humilem
Spinis coronatum,
Quem exspectat judicem,
Quidquid est creatum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui de coelis unctionem
Regi misit Franciae,
Per coronae missionem
Hunc honorat hodie.

2. Ex hiulcis terrae sulcis
Crucem traxit Helena,
Rex de Graecis tulit thecis
Coronam Francigena.

3. Dum medium silentium
Pacis teneret Francia,
Per Salomonem alium
Francorum ditat solium
Corona Dei propria.

Responsoria.

1. Occidentem
illustrat oriens,
Solum novum
Gallis adjiciens,
Resurgentis
coronam largiens.
V. Visitat rex omnium
nostram regionem
Et girando flectitur
jam ad aquilonem.

2. De torrente
bibens miseriae
Exaltavit
caput rex gloriae
Coronatus
spinis angustiae.
V. Regnaturos
decet augustia,
Ut coronae
monet materia.

3. Felix spina,
cujus de stimulo
Fructus vitae
pendet pro pabulo,
Morienti
succurrens saeculo.
V. Hujus decor
in aula regia
Et regali
splendet ecclesia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dei dono obviam
processio grata,
Ut castrorum acies
Exit ordinata,
Sternitur miraculis
strata consecrata.

2. Gaudeat Parisius
Serti privilegio,
Quo non exstat dignius
Sub solari radio.

3. Salvum fac, o Domine,
regnum atque regem,
Qui coronae gaudio
tuum ditas gregem.

Responsoria.

1. Hierusalem
atque Bisantium
Divae liquit
coronae pretium,
Ut Gallorum
fiat praesidium.
V. Fert magistra
mundi Parisius
Sertum lauro
sophiae dignius.

2. Qui per terras et per mare
Cunctis rebus imperat,
Fluctus sedat, nimbos arcet,
Velis auras temperat;
Felix navis, cujus onus
Casus maris superat.
V. Rex, qui navi naufraganti
Mitigavit maria,
Nunc coronae transfretanti
Cuncta reddit mitia.

3. Sacras merces
vincentes pretia,
Quas in pignus
sumpsit Venetia,
Regis nostri
redemit copia.
V. Liberalis
regis rex omnium
Per coronam
confirmat solium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nuntiat in gentibus
Sertum, quod portavit,
Quod a ligno crucifer
Dominus regnavit.

2. Judicatus nequiter
Orbem judicabit
Et certantes fortiter
Secum coronabit.
3. Diligit judicium
Honor summi regis,
Et fidele solium
Per coronae praemium
Firmat lator legis.

Responsoria.

1. Diadema
dat virgo carneum,
Synagoga
crudelis spineum,
Sic coronant
regem aethereum.
V. Ipsa die
vernoque tempore
Vernat Christus
utroque decore.
2. Serti viror
virtuti proprius
Plus quam auri
vel gemmae radius
Triumphantem
ornat decentius.
V. Non quaerebat
fulgens imperium,
Sed virorem
vitae mortalium.
3. Sacri Petro regni clavis
Et unius uni navis
Datum est remigium;
Unitatem scindens Graecus
Coronarum perdit decus,
Perdit et imperium.
V. Minor natu Gallia
Fidei majoris
Emit primogenita
Fratris senioris.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Pretiosum, non spinosum
Christus sertum respicit,
Nec picturis, sed puncturis
Coronari voluit.

2. Coronatus, exaltatus
Ad se traxit omnia,
Vis palmarum apertarum
Aperit coelestia.

3. Homo, sursum cerne rursum
Sertum Dei spineum,
Hic redegit, quidquid egit
Per serpentem aeneum.

4. Crucifixi spolia,
Crux, corona, clavi,
Transeunt a sedibus,
Quas foedabant pravi.

5. Ecce, fit Parisius
Paradisi risus,
Ubi viror oritur
Junci pulchri visus,
In quo sua messuit
serta paradisus.

Ad Benedictus.

A. Ecce, festum
novae laetitiae
Lucis auget
decorem hodie,
Quo rex regum
dilectae Franciae
Sertum praebet
cervicis propriae.

Ad Parvas Horas.

Ad Primam.

A. Regis caput ambiens
Sertum acrumnosum
Angulari lapide
fuit pretiosum,
Inter vepres aries
cornibus haerebat,
Cum coronam spineam
victima ferebat.

Ad Tertiam.

A. Hominum prae filiis
forma speciosus
In corona spinea
fulsit gloriosus,
Rubi splendor veteris
in hac renovatur,
Novo rubo legifer
novus coronatur.

Ad Sextam.

A. Sicut dulci pluvia
Gedeonis vellus,
Sic recenti gratia
Visitatur Francia,
Sacra Dei tellus.

Ad Nonam.

A. Quasi sponsum decoratum
Corona laetitiae
Contemplemur coronatum
Regem Christum hodie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christe, dator
victricis gratiae,
Quos corona
ditas victoriae,
Fac victores
mundi miseriae,
Coronandos
corona gloriae.

R. In Constantinopoli
Sumpta manu Karoli
Pars coronae Domini
Datur Dionysio,
Florum testimonio
Vulgi nota lumini,
Parte fulget alia
Regis nostri regia,
Fax honoris gemini.

Antiph. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 40. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 exemnio. — **R**, 9 In honore coronant. — In 1. Noct. **R** 1, 10 fehlt eine Silbe; jam ergänzt. — **R** 2, 5 Coronam spinis. — Ad Sextam. **A** 4, Visitavit. — Nach der Antiphon ad Nonam und vor der Antiphon ad Magnificat stehen folgende drei Strophen, die ein Tropus zum Sanctus scheinen, da nach jeder sich das Wort Hosanna wiederholt:

1. Ingrediente domina
Coronarum Parisius
Tamquam ad nova numina
Coetus exsultat obvius.

2. Hosanna Dei filio
Clamant Hebraei mystici,
Signorum teste radio
Cives occurrunt coelici.

3. Augusti lux undecima
— — indicit Franciae,
Pro messe ferens optima
Coronam regis gloriae.

9. De Corona Spinea.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adsunt dominici
Serti selemnia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

Ad Magnificat.

A. Ave spina,
poenae remedium,
Servi decus,
regis opprobrium,
Tua plaga,
dolor, ludibrium
Vitae nobis
mercantur praemium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Honorati dote bona
Adoremus mente prona
Regem Christum in corona,
Quam Judaea texuit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Veneremur bonum Deum
Et colamus votis eum,
Qui gentilem et Judaeum
Spinis septus redimit.

2. O quam acetosa vitis,
De qua bibit Jesus mitis,
Agnus Dei expers litis,
Cum sic punctus exstitit.

3. Ergo regem, quem amamus,
Coronatum collaudamus
Et coronam praedicamus
Super opes regias.

4. In his spinis suspiremus,
His nos rosis coronemus,
Et sub istis computemus
Sentibus delicias.

5. Benedictus omnis erit,
Qui has spinas corde gerit,
Nam in ipsis Deus serit
Fructum centenarium.

6. O fertilem agrum multum
Et divina manu cultum,
De quo surgit hoc virgultum
Ante regis solium.

Responsoria.

1. Adest sacra lux diei,
Qua coronae nostri Dei
Agitur memoria,
Respiremus omnes rei,
Hinc cantemus omnes ei,
Qui regnat in gloria.

V. Coronastis hunc, Judaei,
Ejus dantes faciei
Alapas, gens impia.

2. Corona interrasilis
Mensae labio ponitur,
Quia corona spinea
In caput Jesu plectitur,
Et altera coronula
Altior ei additur.

V. Agno pro nobis mortuo,
Qui a Johanne cernitur,
Omnis corona merito
A senibus submittitur.

3. Spina carens
flos spina pungitur,
Per quam culpae
spina confringitur,
Spina mortis
spina retunditur,
Dum vita mundi
sub spina moritur.
V. Per hoc ludibrium
Hostis deluditur,
Mortis dominium
Per mortem tollitur.

4. Novus homo, rex antiquus,
Ut nos ditet, fit mendicus,
Expertus ludibrium,
Sic probatur ut amicus,
Jesus dulcis fit pudicus
Inter spinas lilium.
V. Jam de spinis legit ficus
Non Judaeus inimicus,
Sed fides credentium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Synagoga, retro abi
Ficte dicens: ave, rabbi,
Ex hoc scias, a te labi
Regnum et imperium.

2. Dum Judaei genu flectunt
Et milites spinas plectunt,
Vincla mortis sibi nectunt
Ad salutem gentium.

3. O quis furor militum,
Qui sic caput inclitum
Premunt per circuitum
Spinis et flagellis.

4. O quam digne genitum,
Quam abjecte traditum,
Dum emisit spiritum
Sumpto potu fellis.

5. Hierusalem trux alumna,
Jesum figens in columna,
Conversa es in aerumna,
Dum spina confringitur.

6. Pendet cruci in deserto
Coronatus serpens serto,
Quem qui videt in aperto,
Non serpente laeditur.

Responsoria.

1. Futurorum pontifex
Christus est bonorum,
Qui a spinis transiens
In sancta sanctorum
Certantis ecclesiae
Meritis justorum
Mitra sui capitis
Decoravit chorum.
V. Nimis ergo placeat
mentibus piorum
Tam excellens gratia,
munus tam decorum.

2. Exit Jesus flagellatus
Et probrose coronatus
De spinarum stimulis,
Pergit sputis deturpatus
Et confuse purpuratus
Reverendus angelis.
V. Patet in hoc principatus
Mundi hujus et ornatus
Esse contemptibilis.

3. O benignus o suavis,
O dulcior cunctis favis,
Qui cum esset ab ignavis
Punctus spinis, fixus clavis,
His ignosci supplicat.
V. Licet dolor esset gravis,
Tamen bona reddens pravis
Pietatem duplicat.

4. Quod ligatur puer risus,
Quod offertur vervex visus
Adhaerere vepribus,
Hoc praesignat, quod occisus
Noster Jesus est concisus
Spinis se pungentibus.
V. Christo puncto compugantur
Et dulcibus perfundantur
Christiani fletibus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Jam concrepent organa
Sponso dulcis musicae,
Sponsa terris orphana
Coronatur mystice
De capite Amana
Et de Sair vertice.

Responsoria.

1. Flos de spina nascitur,
Quem spina compunxerat,
Sed se pungi tolerat,
Dum sub spina moritur,
Solvens, quod non tulerat,
Nos a spina liberat,
Punctura dum pungitur,
V. Dum corona plectitur,
Quam rex mundi deferat,
A quo mundus tegitur.

2. Coronat regem omnium
Judaea serto spineo,
Stat inter spinas lilium
Vernans cruore roseo,
Spinarum culpae nescium,
Spinae punctum aculeo,
V. Sub decore
fulget purpureo
Corpus nitens
candore niveo.

3. O regem coeli benignum,
Qui per crucis regnans lignum
Ob amoris grande signum
De corona sua dignum
Munus dat ecclesiae;
V. Gens fidelis, satis gaude,
Et honores omni laude
Regem regum hodie.

4. Felix spina,
cujus aculei
Guttis rubent
roris sanguinei,
Vires frangunt
regis tartarei,
Seras pandunt
regni siderei.
V. O spinarum
immensa gloria,
Quae tot nobis
praestant remedia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Quo diadema spineum
Commendatur memoriae
Christi cruore roseum.

2. Summum regem gloriae
Spinis coronatum
Ridet plebs perfidiae
Morti condemnatum.

3. O quam felix punctio,
Quam beata spina,
De qua fluit unctio,
Mundi medicina.

4. Pungens spina vulnerat
Christum patientem
Et a morte liberat
Populum credentem.

5. Christo sub serto spineo
Illudunt gentes impiae,
Cujus cruore roseo
Sertum confertur gloriae

Ad Benedictus.

A. Exultemus omnes chori,
Laudes demus salvatori,
Qui per spinas floruit,
Commendemus nos pastori,
Qui pro suo grege mori
Tam dignanter voluit;
Nunquam satis est amatus,
Qui tot spinis laceratus,
A morte nos exuit.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Gaude, felix
mater ecclesia,
Adsunt tibi
nova solemnia,

Nam corona
quondam ingloria
Nunc per orbem
refulget gloria.

Ad Tertiam.

A. Adsunt dominici
Serti solemnia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

Ad Sextam.

A. Sexto die facti sumus,
Cum in Adam crevit humus,
Et hac hora cinxit dumus
Salvatoris verticem.

Ad Nonam.

A. Circa nonam Christus est
pro nobis occisus,
Et latroni datus est
fide paradisus,
Corona pro crimine
Et pro luctu risus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O decus ecclesiae,
Gloriosa spina,
Sertum regis gloriae,
Mundi medicina,
Praesentis angustiae
Dulcor et resina,
Te laudantes hodie
Serva a ruina.

Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 14. Cod. Pragen. XII A 22. A. — Process. ms. S. Georgii Pragen. saec. 14. in. Cod. Pragen. VI G 10. B. — Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 15. Cod. Pragen. XIII C 1 a. C. — Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pragen. XII C 7. D. — In 1. Vesp. hat C die vier ersten der **AA** ad Laudes. — In 1. Noct. **A** 5, 2 corde fehlt A. — **A** 6, 2 manu fehlt A. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 2 musici AC. — **R** 3, 1 O fehlt C. — **R** 3, 2 Qui fehlt A. — In Laud. hat C nur eine **A**, die fünfte. — Die zugehörigen Hymnen vergleiche Anal. IV, S. 21 ff. Ad parvas horas steht als Hymnus Strophe 3 von Anal. IV Nr. 21.

10. De Corona Spinea.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christo plebs dedita,
Tot Christi donis praedita,
Jucunderis hodie,
Tota sis devota,
Erumpens in jubilum
Depone mentis nubilum,
Tempus est laetitiae,
Cura sit semota;
Ecce, crux et lancea,
Clavi, corona spinea,
Arma regis gloriae
Tibi commendantur,
Omnes terrae populi
Laudent auctorem saeculi,
Per quem tantis gratiae
Signis gloriatur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui regit omnia,
Christo compatiamur,
Sacra cujus insignia
Devoti veneramur.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

1. Vexilla regis gloriae
Jubilantis ecclesiae
Laudibus extollantur,
Per quem de mortis nexibus
Mortis confractis viribus
Fideles liberantur.

Responsoria.

1. Lux, ecce, surgit hodie
Magnae solemnitatis,
Laudum libantur hostiae
In ara puritatis,
Ne tantae dona gratiae
Auferantur ingratis.
V. Laete psallant ecclesiae
Laudantes regem gloriae
Pro donis sibi datis.

2. Dum leonis immanitas
Latet sub agni vellere,
In insontem atrocitas
Insanit prolis viperae,
Justi latus iniquitas
Letali fodit vulnere.
V. O mira ferri sanctitas,
Quod vibratur hoc latere,
Quo vulnerata caritas
Satisfecit pro scelere.

3. Christus in patris vinea
Pro nobis vapulavit,
Dum fructum gens erronea
Petitum denegavit,
Insontis latus lancea
Crudelis perforavit.
V. Felix cuspis est ferrea,
Qua confossus a framea
Fideles liberavit.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

1. Carnis indutus trabea
Corona Christus spinea
Pro nobis coronatur,
Haec est praeclara galea,
Qua hostis horret framea
Et caedes hebetatur.

Responsoria.

1. Aeterni tabernaculi
Rex et redemptor saeculi
Vilescit insensatis,
Indutus forma servuli
Spinis coronant aemuli
Dominum majestatis;
V. Haerent in carne stimuli
Spinarum, sordes populi
Fert liber a peccatis.

2. Occidentem
illustrat oriens
Verum solem
nobis adjiciens,
Spem vincendi,
coronam largiens.
V. Victor Christus
arma victoriae
Suae nobis
transmisit hodie.

3. De torrente
bibens miseriae
Exaltavit
caput rex gloriae
Coronatum
spinis angustiae.
V. Regnaturos
decet angustia,
Ut coronae
monet materia.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

1. Cruci, coronae spineae
Sacroque ferro lanceae
Honorem impendamus,
Haec sunt vexilla regia,
Per quae coronae gaudia
Perpetuae speramus.

Responsoria.

1. Felix spina,
per cujus stimulum
Sanguis exit,
qui salvat populum,
Recolamus
agnum anniculum.
V. O quam felices
sunt istae spinae
Vernantes agni
roseo sanguine.

2. De coronis exodi
Mystice canamus,
Viam nostri commodi
Tropice pangamus,
Quorum sit memoria
Pro coronae gloria.

V. Nova lex praejudicat,
Transierunt vetera,
Spiritus vivificat,
Sed occidit litera.

3. Si virtutum gradus isti
Te sustollunt, miles Christi,
Te prudenter provehis,
Cor fidele, gaudeas
Et praemissis studeas
Coronari lanceis.

V. Arcam, mensam et altare
Debes in te deportare
Cum coronis aureis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Spina pungens acumine,
Dum carnem Christi perforat,
Ejus nos rigat sanguine
Eique nos incorporat.

2. Spina, quae pupugerat
Patientem Dominum,
Poenitentes liberat
A punctura criminum.

3. Regis patientiam
Miles imitetur,
Ut per poenitentiam
Spinis coronetur.

4. Sacerdotes, sacerdoti
Summo benedicite
Et coronae sacrae doti
Vos haeredes subdite.

5. Te laudamus, Jesu bone,
Qui certantes in agone
Confortas ex munere,
Dum honorem das coronae,
Fac ex tua passione
Nos adversa vincere.

Ad Benedictus.

A. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Adesto nostris precibus,
Qui cum sanctorum milibus
Veniens ad judicium
Apparebis in nubibus
Coronae cultoribus
Coronandorum praemium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O rex clementiae,
Salvator omnium,
Sola spes veniae
Post lapsum criminum,
Precamur hodie
Te sanctum Dominum,
Huic da familiae
Palmam certaminum,
Coronam gloriae
Post vitae terminum.

Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579. — Dies Officium enthält fast nur Teile, die verschiedenen anderen Officien entnommen sind, ist also ein Cento. — In 1. Noct. **A** 1, 3 extollamus. — **R** 1, 1 surgit fehlt. — In Laud. **A** 3, 4 Spinis fehlt. — **A** 4, 3 sacerdoti. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 2 omnium fehlt.

II. De Sepulchro DN.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sedenti super Cherubim,
Sub quo et ardent Seraphim,
Sit laus cordis et oris,
Qui sub lapide jacuit,
Sepeliri non horruit
Fletu magni clamoris.

2. Coepit ab hoc ergastulo
Resurgere diluculo
Terribilis et fortis,

Nempe victor de proelio
Redit fracto imperio
Atque principe mortis.

3. Sepulchrum praeelegerat,
Cum per prophetam dixerat,
Quod esset gloriosum;
Accelerant quam plurimi
Et venerantur cernui
Miraculis famosum.

4. Suspensus in patibulo,
Horrendus in spectaculo
Deponitur in tumba,
Functus Joseph obsequio
In sindone continuo
Involvitur permunda.

5. Hic requievit sabbato
Sicut et a principio,
Quando terram fundavit,
Completo jam senario
Opere facto vario
Perfecte consummavit.

Ad Magnificat.

A. O moeror et gaudium,
O judex aequus daemonum,
Tu summae militiae
Caput et romphea
Ignea, praesentibus
Clare monstratum patribus
In solari specie;
Luxit quae gens rea,
Per te rupta vincula,
Tabescunt antra ferrea,
Requievit spiritus
Patrum antiquorum;
Tuis adsta filiis,
Pater, semper in proeliis,
Nam increscunt insultus
Saevarum ferarum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi pugnanti gloria,
Qui ad horam succubuit,
Ut majori victoria
Resurgeret, cum floruit.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

1. Hic rex in horto ponitur
Vere deliciarum
Fructumque praebens vescitur
In terra animarum.

Responsoria.

1. Postulant viri sanguinum
Sepulchrum custodiri,
Vallant corpus dominicum
Mox satellites diri,
Peroptantes propheticum
Edictum impediri.
V. Arma quaerunt et annulum,
Ut sacrum signent tumulum,
Quem volunt communiri.

2. In matris fervet anima
Luctus praecordialis,
Cujus depascit intima
Dolor exitialis,
Facta tamquam peripsima
Ut martyr triumphalis.
V. Lamenta crescunt maxima,
Inter omnes ut victima
Sit ipsa principalis.

3. De cruce dum deponitur,
Ut detur sepulturae,
Prius per pios ungitur
Corpus mirae staturae,
Inter manusque tollitur
Ad stratum petrae durae.
V. Praeses ad funus flectitur,
Quasi jure conceditur
Imperantis censurae.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

1. Prostratum jam mirificat
Plus cunctis Deus pater,
Quem in antro signaverat
Judaea furens mater.

Responsoria.

1. In alieno mittitur
Tumulo corporali,
Nam pro multorum moritur
Salute generali,
Novus in novo conditur
Solus more regali.
V. Quam similis efficitur
Portae templi, quae clauditur,
Et ventri virginali.

2. Jacet caro deifica
Coacta synnomia
Pietatis ac unica
Disrupta harmonia,
Armatorum terrifica
Stipatur militia;
V. Trecenta plus et publica
Vulnera sunt extrinseca,
O quae ignominia.

3. Fornax amoris frigidus
Victor humi succumbit,
Pallens nitore floridus
Caesus fortes confregit,
Victa jam morte squalidus
Taetra lustrans perfundit.
V. Exsanguis est et gelidus,
Exanimis et torridus,
Et robustos constringit.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

1. Cor et verba malitiae
Plena sunt armatorum,
Verum causa pecuniae
Negant more stultorum.

Responsoria.

1. Exstinctum verbi organum
Verissime monstratur,
Intra sepulchri gremium
Lapide claudebatur,
Quasi mortis dominium
Subesse videbatur.
V. Sed nondum lapsum triduum,
Vita se promit iterum
Triumphusque probatur.

2. O coeleste mysterium,
Quo caligat indago,
Cum mortem non jam mortuum
Devorat haec vorago,
Dum mortis palatium
Fit vitae propago.
V. Haec abortivum concipit
Et vivum inde parturit,
O qualis est imago.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Quam dulcis haec solemnitas,
In qua refulget veritas
Sanctae resurrectionis,
Nam prostrata infirmitas
Revixit et mortalitas
Virtute unionis.

2. Hic resurgendo splenduit
Funestos hostes terruit,
Fit inde stupor malis,
Moles terrae concutitur,
Lapis confestim volvitur
Angeli per vigorem.

3. Tres plectuntur supplicio,
Necantur crurifragio
Latrones scelerati,
Os agni non confringitur,
Sed integer reponitur
In antro tumulari.

4. Jonas in ventre clauditur,
Propheta dum deglutitur
A cete monstruoso,
Hoc signo agnus utitur,
Nam et Christus praefigitur
Actu miraculoso.

5. Laudet redemptus Dominum,
Perpendens tantum pretium
In vexillo regali,
Et veneretur tumulum,
In quo quievit, conditum
Pigmento virginali.

Ad Benedictus.

A. O quanto desiderio
Praestolabant auxilio
Languentes apud inferos,
Promentes luctus amaros
Pro adventu Christi.
Te jacente exanime
In sepulchro depositum
Quoad corpus, de funere
In regali effigie
Jesu, descendisti.
Tu nos de lacu eripe,
Chaos confringe criminum,
Qui tartari praevalide
Claustra intravisti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O regem mirabilem
Signis et prodigiis,
Terrores cum daemoniis
Quoslibet pellentem,
Dat ausum sanctis patribus
Jam confractis vectibus,
Fortiter pugnantem,
O desiderabilem,
Qui moestos sic laetificat,
Sed cum multos vivificat
Mortuos testantes
Jam triumphalem transitum
Et regni imperium,
Ubi sunt laetantes.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. 1274. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 116. B. — Brev. ms. Brivacense saec. 15. (Privatbesitz.) C. — In 1. Vesp. **A** 4, 1 est patibulo AB. — **A** 4, 2 in fehlt AB; exceptaculo B. — **A** 4, 5 sq. continuo involvitur fehlen B. — **A** 5, 1 acquievit B. — Ad Magn. **A**, 3 Tuum summae A; Tamen summae B. — Ibid. 7 solari spem AB. — Ibid. 8 rea fehlt ABC. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Haec AB, rex fehlt A. — **A** 1, 2 Fructum quaerere noscitur BC. — **A** 1, 4 Nostrarum animarum BC. — **R** 2, 1 Ibi matris AB. — **R** 2, 6 Ut mater BC. — **R** 3, 7 Preces ad funus C. — In 2. Noct. **R** 1, 1 In aliquo immittitur A. — **R** 1, 3 und 4 fehlen A. — **R** 1, 6 modo regali A. — **R** 2, 2 Cocta AB; cynomia ABC. — **R** 2, 8 Millena sunt intrinseca A. — **R** 2, 9 O fehlt AB. — **R** 3, 4 Celsus fortes B; Fortes sensus confregit C. — **R** 3, 5 Vita jam AB. — **R** 3, 6 Terra lustrans C. — **R** 3, 7 Exsanguis exstat et ABC. — In 3. Noct. **A** 1, 3 causa peccamine AB. — **A** 1, 4 in ore stultorum A; jure stultorum B. — Als drittes **R** wiederholt C das zweite **R** der zweiten Nocturn mit einigen Abweichungen: Jacet caro deifice In sepulchro condita, Compagine mirifice . . . harmonia, Armatorum mirifice Vallo est communita. Trecenta plus et publica Vulnera sunt extrinseca, O quae ignominia! — In Laud. **A** 3, 6 In antro tumuli AB; der Reim würde tumulati fordern.

12. De Sepulchro DN.

1. Gaudeat ecclesia
psalmorum dragmate fusca,
Festa solens Christi
sacri sub honore sepulchri.

2. Hujus splendorem
praesignavit Deus ante,
Septima namque die
requiescere coepit ubique.

3. Septima jussa dies
celebrari valde per omnes,
Sabbata cesserunt
actu pellente figuras.

4. Ut genus anthropicum
Noe conservavit in arca,
Omnes sic meruit
Christi nos condere tumba.

5. Protege, Christe Jesu,
damnandae mortis ab actu,
Tumbam quique tuam
veneramur laudibus aptam.

R. Exsulta, Sion,
quia gaudebat vetus Hebron,
Claudens ossa trium
Domino praestante virorum,
Corpus sola tuo
Christi cum clauseris antro.

V. O Christi tumba
contactu sanctificata,
Mox virtute tua
benedicito corpora nostra.
Gloria sit patri,
sancto cum pneumate proli,
Una quibus bonitas,
sapientia, summa majestas.

Ad Magnificat.

In brachio patris est
facta potentia fortis,
Mortuus ut tumbam
praecondiretur in almam,
Qui vitam caelis
vitam potuit dare terris,
Ut Dominus patribus
Abraham fuit ante locutus.

Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Samson ex turbis
portas vi abstulit urbis,
Quem lapis intexit
propria vi sic Jesus exit.

Ad Nunc dimittis.

A. Propter, Christe, tuum
rege nos hac nocte sepulchrum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

En, mortis, vitae
regi jubilare venite,
Mortuus in sacro
requievit et ipse sepulchro.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Crypta Dei, salve,
dulcis super omnia Christi,
Protege nos, salva,
nos dirige, crimine calva.

2. Et per virtutem
Christi tu redde salutem,
In te qui jacuit,
in te qui morte quievit.

3. Nos, qui te laudant,
libera, ne morte secunda
Damnet Styx atra,
spirans a crimine munda.

Responsoria.

1. En, Christi tumulum
Joseph cisterna figurat,
Excipit hunc Judas,
propria vi Christus abibat;
V. Vivus ille vadit,
pius hic a morte resurgit.

2. Deferri corpus
mandat Joseph ab Aegypto,
Patres circa suos
claudatur ut ille sepulchro,
V. Ut surgente Deo
cum Christo surgat ab antro.

Brev. ms. Wratislaviense saec. 15. Cod. Civit. Wratisl. M 1155. — Der Rest des Officiums ist leider ausgerissen; in andern Handschriften aber bin ich demselben nicht wieder begegnet.

13. De beata Maria V.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O domina clarissima,
Stella maris splendissima,
Destitutorum solatium,
Errantium viaticum,
Voces tuorum pauperum
Ne repellas in saeculum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad portum vitae
redeuntes, ecce, venite,
Stella maris rutilat,
hanc reus adspiciat.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo Deo plenissima,
Ad nos tua praesidia
Misericors propitia
Converte, sancta Maria.
2. Te genitricem splendidam
Confitemur et unicam
Aeternae sapientiae,
Sancta Maria, respice.
3. Deterge nostra vulnera
Corda sanans languentia,
Cui aegra clamat anima:
Succurre, sancta Maria.

Responsoria.

1. O spes divina,
via tuta, potens medicina,
Porrige subsidia
miseris, o sancta Maria,
V. In te gaudemus,
per te commissa dolemus.
2. Lux indeficiens,
venerabile sidus et ingens,
Illucesce pia
relevandis sancta Maria,
V. Praeduce te patriam
tendimus ad superam.
3. Splendida nocte dies
et consolatio dives,
Illustra, releva
moerentes, sancta Maria,
V. Extremae vitae
pavidam dum claudimus
horam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quibus te, virgo, laudibus
Attollere poterimus,
Quorum sordent eloquia
Et actus, sancta Maria.
2. Emunda conscientiam,
Conserva innocentiam,
Fidem in nobis robora,
O theotocos Maria.
3. Mentes nostras castifica
Tranquilla donans tempora,
Misericors propitia,
O theotocos Maria.

Responsoria.

1. O clemens domina,
o desperantibus una
Culparum venia
largissima, sancta Maria,
V. Per te vivamus,
ad te per te veniamus.
2. Vera Dei genitrix,
humanae stirpis amatrix,
Ex te justitia
processit, sancta Maria,
V. Quae damnum reparat,
quod prima propago pararat.
3. Adspice flebilium
supiria crebra tuorum
Perpete pro vita
pulsantum, sancta Maria,
V. Attrahe, duc, vegeta,
venientes suscipe, serva.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Immaculata mansio
Effecta Dei filio,
Antiqua nobis cantica
Mutasti, sancta Maria.

2. Ecce, novum tibi melos
Renovati concinimus,
Nova adepti gaudia
Per te, o sancta Maria.

3. Exaudi nostra carmina
Acta delens peccamina
Et bona reddens perdita,
O sanctorum sanctissima.

Responsoria.

1. O coeli porta
nova spes mortalibus orta,
Duc, refove, satia
properantes, sancta Maria,
V. Ad te respicimus,
quam tota mente sitimus.

2. Oramus, domina,
carnis quos crebra ruina
Allicit ad vitia,
releves, o sancta Maria,
V. Parce libens miseris,
quae cunctorum misereris.

3. O requies, o lux,
o clementissima redux,
Ad vitam repara
morientes, sancta Maria,
V. O dulcis genitrix,
reparatrix, propitiatrix.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O mater regis filii,
Cujus regni non est finis,
Felix dies ortus tui,
Qua illuxisti saeculis.

2. Per te lugens in tenebris
Splendorem veri luminis
Mundus recepit perditus,
Totus errori deditus.

3. Laudant te nostra labia,
O virgo sacratissima,
Qui in velamento tuarum
Nunc exsultamus alarum.

4. Coelum, mare et arida
Te benedicant, domina,
Nosque et nostra omnia
Benedic et sanctifica.

5. Collaudent Deum omnia
In matre sacratissima,
Cujus honori debitum
Persolvimus obsequium.

Ad Benedictus.

A. O angelorum gloria,
O pietatis viscera,
Subveni nobis, domina,
Plena misericordia,
Qui sedemus in tenebris
Ad te directis oculis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O vere beata virgo,
Te omnis generatio
Praedicat, diligit, laudat
Et advocatam invocat,
Interventrix esto pia
Pro nobis, sancta Maria.

Brev. ms. Trevirense saec. 12. Cod. Treviren. 428. add. saec. 13 14. A. — Brev. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 319. B. — Antiph. ms. S. Ludgeri Helmstadien. (?) saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Nov. 310. C. — In 1. Vesp. haben BC fünf AA, von denen die erste O domina clarissima etc. Die vier andern lauten:

1. Suscipe, domina nostra,
Devoti cordis munera,
Quae tuo defer filio
Cum pio patrocinio.

2. De mundi hujus pelago
Clamamus corde contrito:
Tu nobis portus et via,
O stella maris Maria.

3. Immundos peccati sorde
Lava puritatis fonte,
O vena salubris, pia,
Vitro purior Maria.

4. Collaudemus nunc canticum
Benedicendo Dominum,
Floruisti in gratia
Per partum, sancta Maria.

Dafür fehlt beiden eine **A** ad Magnificat. — In 1. Noct. **A** 2, 4 Nos, virgo pia, respice AB. — Die Ordnung der **RR** ist eine andere in A, u. z. schwerlich die ursprüngliche. In der 1. Nocturn folgen sich die **RR** 1. O spes divina etc. 2. Lux indeficiens etc. 3. O clemens domina etc. In der 2. Nocturn: 1. Vera Dei genitrix etc. 2. O coeli porta etc. 3. Oramus, domina etc. In der 3. Nocturn stehen drei RR. von anderem Baue:

1. Sacratissima virginum,
Corruptae mentis oculum
In te rei defigimus
Et protegi deposcimus,
V. Te lacrimis, precibus,
mater pietatis, adimus.

2. O spes nostra et gaudium,
Singulare refugium,
O sola salus omnium
Te caste diligentium,
V. Salve, salvatrix
et lapsorum reparatrix.

3. Gaude, regina praepotens,
Aeterna luce praenitens,
Gaude, coelorum domina,
O virginum pulcherrima,
V. Fac nos laetari
faciemque tuam speculari,
Plenam virtutis
dulcedinis et pietatis.

In 3. Noct. **A** 1, 1 Ecce nomen tibi B. — **R** 1, 1 O fehlt B. — **R** 2, 3 Dejicit ad vitia BC. — In 2. Vesp. hat A eine andere **A** ad Magn.: Ave, mirabilis stella maris, cujus infans in lacte matris minoratus ab angelis te humilem ancillam facit angelorum dominam.

14. De beata Maria V.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Me dignare te laudare,
Virgo sacratissima,
Cui praeclare psallunt mare,
Tellus et altissima,
O Maria.

2. Da virtutem, da salutem
Contra mortis stimulos,
Ut non nutem, sed confutem
Pravos tuos aemulos,
O Maria.

3. Genitrici Dei dici
Laudem laus est illius,
Qui humanatus est dignatus
Esse tuus filius,
O Maria.

4. Virgo, gaude, omni laude
Felix et dignissima,
Fac nos laetos tecum fretos
Vita beatissima,
O Maria.

5. Ubi semper gaudes inter
Angelorum agmina,
Haec sincere fac placere
Deo nostra carmina,
O Maria.

R. Sol innocenti lumine
Per vitrum vibrat radium,
Sic te illustrans numine
Non laesit factor omnium,
Cum nascens ex te virgine
Non sprevit tuum gremium;
V. Felix, quae Christi
mater fieri meruisti.

Ad Magnificat.

A. Salve, virgo, quam mystice
Virgam stirpis Davidicae
Vocavit prophetia,
Tu nos benigna respice,
Tu Jesum nobis effice
Benignum, o Maria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In psalmis et jubilo
Exsultemus sedulo,
Virginis sit filio
Laus coelorum domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Salve, rosa, quae non habes
Spinam, nec peccati labes
Ulla tibi nocuit,
Inde vernans sine fine
Decor omnis disciplinae
Decenter emicuit,
O Maria.

2. Non condigne te mirari
Et laudando venerari
Valet omne saeculum,
Nam benignae caritatis
Et perfectae bonitatis
Tu es orbi speculum,
O Maria.

3. Sola digna dono tali,
Quod in tuo virginali
Ventre parvus jacuit,
Christus quia in te sibi
Melius, quam possit scribi
Vel dici, complacuit,
O Maria.

Responsoria.

1. Maria, domi parvula,
Intus in cordis arula
Conscendisti ut virgula
Fumi ex aromatibus,
Vovens aetate primula,
Quod esses Dei famula.
O angelorum aemula
Virtutum carismatibus,
V. Exemplum vitae
sanctae das omnibus rite.

2. Ardore sancti spiritus
Inflammata divinitus
Es concremata penitus
In holocaustum Domini,
Sic praeparata primitus,
Ut solemnis et inclitus
Esset in te accubitus
Regi Deo et homini,
V. Inde supra morem
nardus dare coepit odorem.

3. Auctore, cui te voveras.
Ad illas sedes superas
Ingressum nobis praeparas,
Porta beatitudinis,
Illuc tecum nos inferas,
Ubi nunc solem superas,
Immo coelis jam imperas,
Regina pulchritudinis:
V. Quae caneris laude
celebri per saecula, gaude.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stella Jacob prophetata
Et Maria nuncupata
Es vero praesagio,
Coeli decus mundo lucens,
Salva, serva nos educens
De mundi naufragio,
O Maria.

2. Maris stella, te rogamus,
Qui sub nocte navigamus
In procella saeculi,
Portum, ad quem suspiramus,
Da ope, in quem speramus,
Tui quondam parvuli.
O Maria.

3. Ut te simus intuentes,
Piam nobis te praesentes
Mortis sub articulo,

Ut de carne hac soluti
Te sequamur, tecum tuti
Ab omni periculo.

Responsoria.

1. Ave, virgo singularis,
De superno visitaris,
Digna digne salutaris
Ore archangelico,
Jam beata praedicaris
Et prae cunctis honoraris,
Quae in matrem consecraris
Dei patris unico,
V. Omnis virtutis
paradisus et aula salutis.

2. Cum de partu conveniris,
Modum quaerens expediris,
Deo credens insigniris
Arrha data coelitus;
Exornata modis miris
Sponsa sponso mox potiris,
Gaudens multo, quo fulciris,
Dono sancti spiritus;
V. Auro vestiris
intus varioque amiciris.

3. Templum in te ordinatur,
In quo verbum incarnatur,
Ad quod supplex inclinatur
Tota coeli curia,
Quae cum tibi collaetatur,
Te frequentans nuntiatur
Pax in terris et cantatur
In excelsis gloria;
V. Astra, solum, maria
plaudunt tibi, virgo Maria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantent tibi, o Maria,
Hymnum novum, mater pia,
Et omnes et singuli,
Est a Deo nobis datus
De te ille puer natus,
Quem adorant angeli,
O Maria.

2. Ex te factus nos redemit
Factor mundi, quando venit
Plenitudo temporis,
Summis Deus ima junxit,
Cum servilem ex te sumpsit
Formam nostri corporis,
O Maria.

3. Adsis clemens nobis, qui te
Veneramur et de vitae
Praesentis exsilio
Nos eductos tu dignare,
Interventrix, praesentare
Christo, tuo filio,
O Maria.

Responsoria.

1. Salve, regina nobilis,
Salve, mitis et humilis,
Salve, cui nulla similis
In cunctis mulieribus,
Virtutum laude praemines,
Quae sola virgo mater es,
Et Deum inter homines
Lactas sacris uberibus;
V. Omnia pascentem
tu pascis et omnipotentem.

2. Laeta mater amplecteris
Parvum, qui rex est aetheris,
Et ex te nati teneris
Labellulis dans oscula;
Ipso praedulci frueris,
Ut matres laetis pueris,
Agnosce, cui praebueris
Ulnas, sinum, cunabula;
V. Deliciis es facta tuis,
speciosa, suavis.

3. Salve, aurora rutilans,
Coelum, terram illuminans,
Quae consurgens de tenebris
Super astra progrederis,
Lumen aeternum bajulans,
Orbi terrae jam dominans
Et coelis facta celebris,
Quae quidvis posse crederis.

V. Spes desperatis
ut sis, pia fons bonitatis,
Praestat ad omne tuum
se tibi velle pium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Felix te partus edidit,
Per quam mundo se reddidit
Vita, qui cuncta condidit,
Tibi matri se subdidit,
O Maria.

2. Summa vitae nobilitas
Fecit, hoc est humilitas,
Et divina benignitas,
Quod tanta tibi dignitas,
O Maria.

3. Laudes et grates debitas,
Quas nostra pangit parvitas,
Tuo nato fac placitas,
Cum quo in coelis habitas.
O Maria.

4. In te, quam benedicimus,
Christo laudem perficimus,
Per quem dare, quae poscimus,
Te posse recognoscimus,
O Maria.

5. Creans cuncta divinitus
Est carne de te genitus,
In spem et laetos exitus
Commutans nostros gemitus,
Tam de terra quam coelitus
Hunc laudet omnis spiritus,
O Maria.

Ad Benedictas.

A. Te virga nuce gravida
Signat, quae prius aruit,
In qua ex Adam tabida
Caro nostra refloruit,
Christo surgente vivida
Scandens coelos apparuit,
Nunc super solem splendida
Jam toti mundo claruit,
O Maria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mater Dei et hominis,
Ut nos, qui tui nominis
Hic agimus memoriam,
Ad sempiternam gloriam
Post hujus vitae terminum
Perducat, ora Dominum,
Tunc nobis tuis famulis
Detur cum sanctis angelis
Et tecum tui filii
Dulci adspectu perfrui.
O Maria.

Alia Antiphona.

Imber coeli te compluit,
Supernus ros te imbuit,
Summa virtus excoluit,
Et protulisti florem,
Per quem homo, qui corruit,
Recepit ac reinduit
Splendidius, quam habuit.
Virtutem et decorem,
O Maria.

Responsoria.

1. Fons, unde salus profluit,
Quae mundi scelus abluit,
Qua Deus in se tribuit
Spem vitae peccatori,
Interpellet, quem genuit,
Qui propter nos non renuit
Pati, tandem sustinuit
Pendens in cruce mori,
V. Inclita coelorum
regina, patrona reorum.

2. Maria, stella splendida,
Per quam mundo innotuit,
Lux vera plena gaudio,
Lux nescia crepusculi,
Tamquam in nube candida
In tua carne latuit
Procul omni contagio
Conceptus auctor saeculi,
V. Inde novo partu
quasi sol prodivit in ortu.

3. Hortus virtutum omnium,
Ferens saluti hominum
Lignum vitae et balsamum,
Spirans coeli delicias
Nos hic et in perpetuum
Praestans vitam et gaudium
Per hunc fructum dulcissimum
Ventris tui reficias,
V. Quo delectati
vivunt sine fine beati.

Brev. ms. Montis s. Mariae saec. 15. Cod. Guelfenbyteran. 353, Helm. 319. A. — Hymn. ms. Montis s. Mariae saec 13. Cod. Guelfenbyteran. 1257. Helm. 1150. B. — In B sind die **AA** der ersten Vesper bis zu der ad Magn. ausradiert. Die drei am Schlusse aufgeführten überzähligen **RR** fehlen in A und stehen in B hinter der **A** ad Bened. Das dritte derselben ist augenscheinlich später von einem anderen Verfasser gemacht. Dasselbe gilt von einigen **AA**, welche in A nach Schlufs des Officiums folgen und hier wegbleiben.

15. De beata Maria V.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, mater, virgo pura,
Cujus mens ad carnis jura
Nulla se impegit cura.

2. Laus sit tuae pietati,
Per quam primae caritati
Reddimur configurati.

3. Ave, virgo consecrata,
Verbo patris confirmata
Super Seraphim locata.

4. Sicut hiems servat laurum
Et ut limus reddit aurum,
Sic coelestem fert thesaurum.

5. Incarnata deitas
Psallat in Maria,
Virginis fecunditas
Plaudat symphonia.

R. Praebe, mater, filio
Pectoris mamillas,
Vultu nos propitio
Cernat ut per illas;
V. Vulnera pande patri,
Jesu pie, consona matri.

Ad Magnificat.

A. Salve, germen gloriae,
Nobilis Maria,
Salve, vena veniae,
Dulcis theoria;
Salve, florens vinea,
Vitis speciosa,
Salve, regum linea,
Reginarum rosa;
Salve, quam absorbuit
Impetus doloris,
Quo in cruce stupuit
Vita redemptoris.
Crucis hoc intuitu
Salva nos gementes
Et contrito spiritu
Tibi servientes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In honore virginis
Christum adoremus
Et nutricem luminis
Psalmis jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Angelorum dominus
Matris implens pectus
Angelis paulo minus
Minor est effectus.

2. Ponens tabernaculum
In splendore solis
Expiat piaculum
Adaminae prolis.

3. Princeps pacis atrium
Virginalis claustri
Soli Deo pervium
Flatu perflat austri.

Responsoria.

1. Ab aeterno virginem
Conditor creavit,
In qua totum hominem
Sabbato curavit.
V. Trinae machinae
deitas et origo Mariae.
2. Lumen sine pondere
Coelitus gerebat,
Tali felix onere
Genitrix plaudebat;
V. Clara figura patris
replet intus viscera matris.
3. Firmamentum solida
Continet fluenta,
Sic in matre fulgida
Latent sacramenta,
V. Extendens velum
claudit sub aenigmate caelum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hominum prae filiis
Specialis formae,
Matris haeret labiis
Dux regalis normae.
2. Sacri ventris medium
Deus irroravit
Et per puerperium
Cor sanctificavit.
3. Felix habitatio,
Civitas fidelis
Cujus beneficio
Pascitur in caelis.

Responsoria.

1. Sub olivae folio,
Quod columba defert,
De coelesti solio
Pacem veram praefert,
V. Virgo parens diva
viridi pubescit oliva.
2. Solitudo germinat
Saeculis frumentum,
Virgo luctum terminat
Vitae dans crementum,
V. Qui cibus est caeli
populo datur esca fideli.
3. Manna fert dulcedinis
Arca testamenti,
Mater vas pinguedinis,
Virtus est pigmenti,
V. Floris virga parens
sic vernat primitus arens.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dignitas ecclesiae
Claret in Maria,
Quam de throno gloriae
Visitat sophia.
2. Pura coeli species
Decus est stellarum,
Sic Mariae facies
Lux est animarum.
3. Salutare gentium
Dominus revelat,
Intra matris gremium
Carne sese velat.

Responsoria.

1. Septem uno calamo
Pullulant aristae,
Virginali thalamo
Tropus ludit iste,
V. Septupla spica sacro
pinguescit lota lavacro.
2. Gaudens privilegio,
Virgo singularis,
In communi filio
Deo sociaris,
V. Patris es nurus,
pro nobis sis, pia, murus.

3. Regia progenies
Illustrata sole,
Leva lapsos septies
Nos cum sacra prole,
V. Posce piis dona
regni mediante corona.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudis et laetitiae
Pallio vestitur
Fons misericordiae,
Sceptro redimitur.

2. Atria fidelium,
Jubilate Deo,
Praesumentes gaudium
Hic in jubilaeo.

3. Nomen ut audivimus
Summi patris nati,
Sic per matrem vivimus
Gratia fundati.

4. Ejus benedictio
Super nos firmetur,
Qui de matris gremio
Maestis miseretur.

5. Laudet omnis spiritus
Genitricem Dei,
Per quam cedit gemitus,
Crescit vigor spei.

Ad Benedictus.

A. Ave, sidus saeculi,
Titulus salutis,
Spes et amor populi,
Speculum virtutis,
Fortes nexos contere
Durae servitutis,
Qui nos ligant temere
Captos a versutis,
Compedes exsilii
Rumpens nos tuere,
Vultui nos filii
Satagens parere.

Ad Primam.

A. Gaude, Sion filia,
Vitae disciplina,
Matrum vincens milia
Dote seraphina.

In 2. Vesperis.

R. Virginalis thalamus
Angelis ornatur,
Matris alvo calamus
Coeli reclinatur,
V. Per Gabrielis Ave
fit onus sine pondere suave.

Ad Magnificat.

A. Septiformis muneris
Per infusionem
Alvus tumet virginis,
Trinam unionem
Ubi carni spiritus
Miscens in secreto
Uteri, divinitus
Parit usu spreto,
Sub servuli specie
Foeno jumentorum
Regem celans gloriae,
Lumen angelorum.

Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 268. — „Historia de beata Maria virgine infra festum Paschae et Pentecostes.“ — In 2. Noct. **A** 2, 3 Et per ejus partum, gegen die Silbenzahl und den sonst sorgfältig gepflegten Reim. — Ad Ben. **A**, 11 Vultu nos.

16. De beata Maria V.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ecce, pulchra velut luna
Forma claret virgo una,
Ipsa mater nostri Dei,
Decantemus ergo ei.
2. Inter flores velut rosa
Praerubescit speciosa,
Sic in cunctis haec puella
Clara fulget sicut stella.
3. Thure vestis praeodorat,
Os ipsius favos rorat,
Mel et lac sub ejus lingua,
Ipsa vere est benigna.
4. Quem haec virgo generavit
Et de lacte suo pavit,
Sanctis exstat paradisus,
Sunt beati, quibus visus.
5. Haec est vere fons hortorum
Et origo gaudiorum,
Inde fluit ut aquarum
Nobis vena gratiarum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In jubilo dici
debet laus Mariae genetrici,
Quae parit absque viro
verbum patris ordine miro.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc est nomen, quod miramur,
Te, quem Deum protestamur,
Incarnatum veneramur.
2. In hac forma tam exili
Tu procedis, patris fili,
Tamquam sponsus de cubili.
3. Valvae matris integrales,
Nullo viro subjugales,
Hae sunt portae aeternales.

Responsoria.

1. Ave, porta Domini,
quae nunquam aperta,
Tu aeterni luminis
mater es reperta,
Castitatis gloria
permanente certa.
V. Ipsum solem clarae lucis
Incarnatum orbi ducis.
2. In extremo tempore
nobis revelare
Cum hoc dulci titulo,
quo praenominare,
Mater misericordiae,
cura nos salvare.
V. Adsis, pia, nostrae morti
Nos sanctorum jungens sorti.
3. Quamvis sanctos angelos
habes servitores,
Nos tamen recipias
servos peccatores
Propter tuos humiles,
o regina, mores.
V. Imperatrix angelorum,
Duc ad regnum nos polorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Partu felix illibata
Stat regina coronata
In vestitu deaurata.
2. Sicut psalmus hic testatur,
Dei vultu adjuvatur,
Quem in regno contemplatur.
3. Digne cunctis praeferenda,
De te, virgo reverenda,
Gloriosa sunt dicenda.

Responsoria.

1. Ave, summi Domini
sponsa Sunamitis,
Inter omnes nobiles
es prae cunctis mitis,

Eximens Theophilum
potestate Ditis,
V. Salva tua nos virtute
De peccati servitute.

2. Virgo, decus saeculi,
clara stella maris,
Pulchra tua species
fulgor ut lunaris,
Praeelecta omnibus
ut sol luminaris,
V. Famulantes tibi nosce
Et pro nobis Deum posce.

3. Te, quam tuus filius
nil negans honorat,
Christianus populus
devotus implorat,
Virgo mater, impetra
illud, quod exorat,
V. Juva prece tu materna,
Quod ducatur ad aeterna.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eja, mater, gratulare,
Digna Deum generare,
Plaudant astra, solum, mare.

2. Haec est illa coeli porta,
Per quam justis lux est orta,
Umbris ullis non retorta.

3. Dum haec virgo gravidatur,
Salutare revelatur,
Per quod mundo salus datur.

Responsoria.

1. O laterna fulgida,
in qua illud lumen
Gloriose latuit,
quod coeli cacumen
Jam illustrat, omnia
regens ejus numen;
V. Tua prece adjuvemur,
Quod hoc idem contemplemur.

2. Pulchrae sicut turturis,
virgo, tuae genae,
Collum ut monilia
fabricata bene,
Quique te perspicient,
exsultabunt plene;
V. Nos admitte te videre,
Ut queamus congaudere.

3. O praerubra rosa,
mater Domini speciosa,
O virgo mitis,
o fecundissima vitis,
Clarior aurora,
pro nobis omnibus ora.
V. Ut salvi simus,
hac dum de carne venimus.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Tu cunctorum rerum sator,
Visitare nos, dignator,
Et da nobis adjutricem
Tuam sanctam genitricem,
Qua in pace dirigamur,
Ut ad coelos perducamur.

Per Horas.

Ad Primam.

A. O Maria praedecora,
Solis stella et aurora,
Pro peccatis, corda rora,
Ut fleamus, dum est hora.

Ad Tertiam.

A. Christi mater, virgo pura,
Bonum finem nobis cura,
Ne damnemur in censura
Propter nostri mali jura.

Ad Sextam.

A. O praeclara maris stella,
Mater Dei, verbi cella,
Tu pro nobis interpella,
Ne involvat nos procella.

Ad Nonam.

A. Praesignata virga Jesse,
Montis Sion o cypresse,
Velis semper tu adesse
Nobis, quia est necesse.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo, quae cunctis praelata
Ipsum, a quo es plasmata,
Inaudito modo miro
Genuisti sine viro,
Neque primam nec sequentem
Habes tibi ascendentem;
Tanta laude sublimata,
Esto nobis advocata.

Cod. Graecen. 257. saec. 15. — „Officium de beata virgine Maria, quacunque die volueris.“ — Prosaisch sind die **A** ad Magnif. in der ersten Vesper und die fünf **AA** super Psalmos in den Laudes. Vielleicht sind die **AA** der kleinen Horen die ursprünglichen Laudes-Antiphonen; es wäre dann eine abhanden gekommen. — Ad Matut. Invitat. 2 debet laus virgini Mariae. — In 2. Vesp. ad Magnif. **A**, 1 Virgo cunctis praeclara.

17. De beata Maria V.

Lectio I.

1. Mole gravati criminum,
Regina, mater omnium,
Confugientes poscimus,
Adesto nostris precibus.

2. Aeternae vitae janua.
Aurem nobis accommoda,
Per quam spes vitae rediit,
Quam Eva peccans abstulit.

3. Virgo materque judicis,
Vitam deposce famulis
Et poenitendi spatia
Nobis, oramus, impetra.

4. Exaudi, virgo virginum,
Nobis confer solatium,
Ut perpetrata nequiter
Purgemus efficaciter.

Lectio II.

1. Vere virgo post genitum,
Exaudi preces supplicum,
Et quid poscenti Dominus
Tibi negavit filius?

2. Si tantum velis; domina,
Delentur nostra crimina,
Quapropter te praecipue,
Servos, oramus, respice.

3. Te orante, sanctissima,
Sanctorum orant agmina,
Si te aversam praevidet,
Coelestis ordo conticet.

4. Per te, mater sanctissima,
Nobis donetur gratia
Tuisque sanctis precibus
Concilietur Dominus.

Lectio III.

1. Sancta Maria, respice
Precesque nostras suscipe
Et peccata praeterita
Nobis remitti obsecra.

2. Exaudi, virgo virginum,
Pro nobis ora filium,
Futura mala prohibe
Miserisque compatere.

3. O virgo, mater Domini,
Preces attende populi,
Per te cleri criminibus
Ignoscens parcat Dominus.

4. Virgo gloriosissima,
Vota comple feminea
Nosque post vitam fragilem
Ad veram perduc requiem.

Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. A. — Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1499. B. — Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1501. C. Lect. I. 1, 3 Confugientes deposcimus A; Ad te consurgentes poscimus BC. — Lect. II. 1, 3 Et fehlt C. — 4, 4 Reconcilietur ABC.

18. De Beata Maria V.

Die Dominica.

Ad Magnificat.

A. O felix virgo virginum,
Concepta mirabiliter,
Da mentibus fidelium
Laudare te sinceriter.

R. Cursu naturae sterilis
Anna mire dum concipit,
Lapsus parentis veteris
Reparari tunc incipit.

V. De coelo datur filia,
Ut vetera contagia
Purget humani generis.

Prosa 1.

1. Ex David semine
proles concipitur,
Quae sancto flamine
Repleta creditur
Matris in utero.

2 Fert mundo gaudia
Virgo, dum nascitur,
Patrum prosapia
Clara progreditur,
Dans lucem saeculo.

3. Gabriel nuntius
Pandit mysterium,
Virginis uterus
Concipit filium
Sacro spiramine.

4. Cum tempus advenit,
Haec parit puerum,
Quem pater genuit
Ante luciferum,
Sine gravamine.

5. Haec legis debitum
Implet cum studio,
Dum ex se genitum
Praesentat Domino,
Pro quo dat hostiam.

6. Regnat feliciter
Mater cum filio,
Quem laudat jugiter
Nostra devotio.
Amen.

Prosa 2.

1. Gaude, proles,
ex Anna nasceris,
Jesse virga
es magni germinis,
Maria.

2. Gaude, virgo,
quae benediceris
Gabriele,
dum ave diceris,
Maria.

3. Gaude, praegnans,
quae prolem parturis,
Indultorem
humani sceleris,
Maria.

4. Gaude, natum
dum offers muneris
Columbarum
vel pullis turturis,
Maria.

5. Gaude, mater
ignara vulneris,
Nato passo
tu tamen pateris,
Maria.

6. Gaude, felix,
dum nato frueris
Supra coelos
assumpto, diceris,
Maria.

7. Gaudeamus,
spes nostri generis,
Pia mater,
tui dono muneris,
Maria.

Die Lunae.

Ad Magnificat.

A. De regali progenie
Refulges orta saeculis,
Nos tuo dono gratiae
Praeserves a periculis.

R. Ex Jacob stella nascitur
Praemonstrata divinitus,
Maria nobis oritur,
Annae promissa coelitus;
V. Perdulcis et mirabilis
Sanctus et venerabilis
Ex partu cernitur.

Prosa 1.

1. Rosa veris, paradisus
Et Libanus non excisus,
Quo fragrat ecclesia,
Est Maria, mons praevisus,
De quo lapis est abscisus,
Qui fregit sculptilia.

2. Sancta virgo purior,
Super omnes celsior
Ordines coelestium,
Virgo verbo concipit,
Nascitur et accipit
Aeternale praemium.

3. O Maria, fons hortorum,
Alabastrum unguentorum,
Lava, sana vulnera
Tua prece peccatorum,
Ut te duce rex coelorum
Nos ducat ad aethera.

Prosa 2.

1. Stella coeli matutina,
Sol praefulgens, lux divina,
Salve, gemma gloriae,
Culpae nostrae medicina,
Rosa fragrans sine spina,
Fons misericordiae.

2. Advocata peccatorum,
Consolatrix miserorum,
Solamen debilium,
Tu praelata angelorum,
Salus, pax, vita justorum,
Tu pudoris lilium.

3. Mater nostri redemptoris,
Omni carens vae doloris,
Firma spes fidelium,
Nos tuere cunctis horis,
Nos conjunge coeli choris
Post praesens exsilium.

Die Martis.

Ad Magnificat.

A. Dei mater efficeris,
Virgo Maria, coelitus,
Tu quae beata diceris,
Fac tuos vasa spiritus.

R. Maria, jam non timeas
Gabrielis oraculum,
Qui parituram nuntiat
Te, sed assensum praebeas
Et sic salvabis saeculum,
Quod per Evam perierat;
V. Non ex viri contagio,
Sed spiritus suffragio,
Maria, gravidaberis.

Prosa 1.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio,
Gaude, quia Deo plena,
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio.

2. Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio,
Gaude, Christo ascendente,
Et in coelum te vidente
Motu fertur proprio.

3. Gaude, quod post ipsum scandis
Et est honor tibi grandis
In coeli palatio,
Ubi fructus ventris tui
Per te detur nobis frui
In perenni gaudio.

Prosa 2.

1. Virgo felix, virgo munda,
Virgo casta et fecunda,
Virgo carens simili,
Virgo digne laudabunda,
Nos illaesos fac sub unda
Pertransire saeculi.

2. Virgo virginum praelata,
Te sanctorum vox beata
Laudat in coelestibus,

Virgo, mater honorata,
Ora natum, ut peccata
Laxet te laudantibus.

3. Virgo, flos virginitatis,
Gemma summae trinitatis,
Electorum gloria,
Virgo, norma sanctitatis,
Nos conjunge cum beatis
In suprema curia.

Die Mercurii.

Ad Matutinum.

A. Stella producens radium
Salutis atque gaudii,
Duc nos ad tuum filium,
Qui saepe sumus devii.

R. O stupor, o mysterium,
Dum virgo mater filium
Parit intemerata,

V. Pater de nata nascitur,
Homo Deus progreditur
Nostra tollens peccata.

Prosa 1.

1. Ave, mater gratiae
Finis et miseriae,
Coeli porta,
Nam fons sapientiae,
De te, flos munditiae,
Lux est orta.

2. Dum ex te lux oritur,
Hostis omnis pellitur,
Pax donatur,
Pestis ex tunc tollitur,
Deus verus colitur,
Nox fugatur.

3. Si insurgant vitia,
Haec est, ut victoria
Agnoscatur,
Nam per haec supplicia,
Quae nunc sunt immitia,
Mens purgatur.

4. Ergo, virgo regia,
Nobis haec moestitia
Fert solamen,
Jam haec stirps egregia
Tibi laude sedula
Dicat Amen.

Prosa 2.

1. Mater dulcis, mater pia,
Te laudantes hac in via
Ad te ipsam dirige,
Mater semper incorrupta,
Vitiorum quos sub lucta
Pressos cernis, erige.

2. Mater nostri redemptoris,
Ab aeterni nos moeroris
Serva cruciatibus,
Mater felix et beata,
Apud natum advocata
Sis in te sperantibus.

3. Mater mira, mater fortis,
Servis tuis hora mortis
Pium fer auxilium,
Mater sancta, mater bona,
Nos sanctorum fac corona
Frui post exsilium.

Die Jovis.

Ad Magnificat.

A. Pura victore perpeti
Templum cum nato visitas,
Ab hoste nos multiplici
Fortis et pia protegas.

R. Genitricis humilitas
Commendatur eximie
In templo praesentata,
Dum ejus summa puritas
Peccati carens carie
Legis subit mandata.

V. In ulnus tolle puerum,
Senex, stupens obsequium
Intemeratae virginis.

Prosa 1.

1. Ave, virgo regia,
Felix prudens et pia,
Dux caecorum,

Maria, fons gratiae,
Fons misericordiae,
Fons hortorum.

2. Gratia gratissima,
Virgo potentissima,
Via morum,
Plena sancto spiritu,
Pone nos in exitu
Peccatorum.

3. Dominus prae singulis
Servet a periculis
Istum chorum,
Tecum, flos munditiae,
Ducat nos in requie
Rex coelorum.

Prosa 2.

1. Ora Christum, mater Christi,
Ora, quem tu concepisti
Sine viri semine,
Ora patrem, ora natum,
Deum verum de te natum,
Hominem pro homine.

2. Ora, quem in crucis ara
Morte mortuum amara
Vides dolentissima,
Ora, quem mire surgentem
Et patenter ascendentem
Cernis ad altissima.

3. Ora, quem scis redituram
Et cunctos judicaturum
In die judicii;
Ora eum, te precemur,
Ora, ut pie salvemur.
A poena supplicii.

Die Veneris.

Ad Magnificat.

A. Ad dextram nati residens,
Regina coeli nobilis,
Cunctis beatis praesidens,
His nos junge coelicolis.

R. Dum coelum scandis,
o coeli domina,
Refulgenti
amicta sole,
Cuncta tibi
occurrunt agmina
Laetabunda
cum tua prole.

V. In excelsis sublimata,
Nostra semper advocata
Sis, regina gloriae.

Prosa 1.

1. Gaude, virgo praeelecta,
Gaude, quae mire concepta
Es ex matre sterili;
Gaude, quae stirpe regali
Orium voce prophetali
Trahis modo nobili.

2. Gaude, quae dum salutaris
Gabriele, gravidaris
Dei unigenito;
Gaude, vae doloris carens,
Christum paris virgo manens
Singulari merito.

3. Gaude, quae legis mandatum
Adimplendo tuum natum
Offers cum muneribus;
Gaude, in coelum assumpta,
Gaude, tuo nato juncta,
Ora pro fidelibus.

Prosa 2.

1. Virga Jesse,
Quam Anna peperit,
Deum, esse
Qui homo voluit,
Hunc necesse
Per Ave concipit.

2. Hinc enixa
Post virgo peperit,
Non amissa
Qua luce claruit,
Offert ipsa,
Simeon suscipit.

3. Educavit
Hunc virgo filium.
Quem damnavit
Judae consilium,
Punctum dolet
Sic virgo filium.

4. Dum surrexit
Ad matrem rediens,
Sursum vexit
Se coelis inferens,
Inardescit
Post prolem diligens.

5. Est assumpta
Mater a filio
Super cuncta
Locata solio,
Nobis juncta
Adsit exsilio.

6. Confidentes
De dono gratiae,
Colligentes
Festa laetitiae,
Exsultantes
Canamus gloriae.

Die Sabbati.

Ad Magnificat.

A. Nivis candori similis
Virginitatis merito,
Concede tuis famulis
Aeterno frui praemio.

R. Novo nivis miraculo
Novum templum construitur
Matri virginitatis,
Stupor crescit in populo,
Dum inter aestus cernitur
Jocale novitatis.

V. Munus candoris nivei
Pudoris virginei
Signum de coelo datur.

Prosa 1.

1. Ave, maris stella,
Mater et puella,
Regis regum
Sumens illud Ave,
Parentibus fave,
Via legum.

2. Solve vincla reis,
Solamen dans eis
In hoc gyro,
Virgo singularis,
Parens patrem paris
Absque viro.

3. Vitam praesta puram,
Ut ad spem futuram
Plebs ducatur,
Sit laus Deo patri
Et laus suae matri
Recolatur.

Prosa 2.

1. Novo privilegio
Romana nunc concio
Nivis sub indicio
Decoratur,
Monte super hagio
Admiranda visio
Sub papa Liberio
Demonstratur.

2. Praefectus sum socia
Tibi, virgo regia,
Se et sua omnia
Devoverunt,
Per nivis indicia
Nova fit ecclesia,
Quam fabrice varia
Compleverunt.

3. Fundamentum quaeritur,
Sed terra dum quatitur,
Mox paratum cernitur
Sine viro,
Opus sic perficitur,
Sicut nix extenditur,
Et in altum vehitur
Modo miro.

4. Hanc perfectam dedicat
Papa et sanctificat,
Praesepe dum implicat
In altari;
Lac, Matthiam applicat,
Per quae haec amplificat
Et dono magnificat
Singulari.

5. Expiato scelere
Tuo, Roma, propere,
Novo gaude munere
Tibi dato;
Pio, mater, foedere
Eductos de carcere
Nos induc in aethere
Peroptato.

Cod. Parisin. 1343. saec. 14. — Mit der Bemerkung: „Officium beatae virginis (virginis) Mariae compilatum et ordinatum per serenissimum principem dominum Karolum, Dei gratia Iherusalem et siciliae regem illustrem.“ — Was den Inhalt des Officiums angeht, so ist dasselbe kein vollständiger liturgischer Cursus; dennoch mufs ihm hier sein Platz angewiesen werden. Nach dem Magnificat folgt stets ein Capitel, dann das Responsorium, den Schlufs bildet stets eine doppelte Oratio, de Beata und pro rege. — Unter dem hier ausdrücklich als Verfasser genannten Könige von Sicilien ist entweder Karl I Anjou oder Karl II, le Boiteux zu verstehen; ob eher jener als dieser, wage ich nicht zu entscheiden. Wird ersterer uns als Feind der Troubadours geschildert (Hist. Lit. de la France XIX, 444 sq.), so wird er gleichwohl von den Trouvères gefeiert (Hist. Lit. XX, 662 sqq.) und von andern selbst den Dichtern beigezählt (Raumer, Gesch. d. Hohenstaufen VI, 445). Unter den Prosen dieses Officiums ist eine (Die Martis Prosa 1), welche Bonaventura zugeschrieben wird und sich in seinen WW. findet. Dies könnte die Vermutung nahelegen, dafs der „königliche Sänger“ sein Officium nur zusammengestellt habe; die Hs. behauptet aber, es sei von ihm nicht nur ordinatum, sondern auch compilatum, welch letzteres soviel als „verfassen“ bedeutet. Indes schliefst die Verfasserschaft nach mittelalterlichen Begriffen nicht aus, dafs einzelne Teile entlehnt werden. Im übrigen ist die Autorschaft Bonaventuras rücksichtlich dieser kleinen Prose, die zu den verbreitetsten des MA. gehört, nicht über jeden Zweifel erhaben. In derselben Handschrift finden sich nach dem Officium noch folgende Prosen:

In hoc anni circulo.
Dum suprema melodia.
Praeter rerum seriem.
Pater, proles, sacrum flamen.
Unum, simplex et perfectum.
Salve, regina gloriae, Maria stella maris.
Ave, cordis suspirium.

Die Dominica Prosa 2: 7, 4 l.: tis dono. — Die Mercurii R, 5 progreditur ergänzt. — R, 6 peccata ergänzt. — Prosa 1, 4, 4 Nam haec.

19. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Stella solem paritura
Declaratur hodie
Ab angelo nascitura
Virgo plena gratiae,
Ex qua Christus orietur,
Coelestis rex gloriae,
Per quem mundus redimetur
A lacu miseriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctori vitae
Domino jubilare venite,
Nam genitrix virgo
laudatur et ejus origo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Angelus ignaro
Joachim cum lumine claro

Adstitit, huic so'i
missus ab arce poli.
2. Est pavidus multum
Gabrielis cernere vultum,
Cujus erat species
ut duplicata dies.
3. Non time, pax tibi sit,
Deus inquit, me modo misit,
Grata, quae dico tibi,
sunt tua vota sibi.

Responsoria.

1. Cum genus humanum
vetus hostis suppeditaret,
Cum pietate manum
Deus intulit, ut relevaret,
Verus homo fieri
populique volens misereri;
V. Ut faceret salvum,
non virginis horruit alvum.
2. De radice David
Joachim fuit ortus et Anna
Prole tribuque Levi,
fuit ex his orta Maria,
V. Virgo sacerdotis
summique puerpera regis.
3. Ante Deum justi
populis pietate venusti
Partibus in trinis
templo simul et peregrinis.
V. Propria tradentes,
solam partem retinentes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cordis in occulto
tristaris tempore multo,
Quod prole careas,
amodo non timeas.
2. Anna maris stellam
pariet tibi laeta puellam,
Stella Maria maris
dicta carensque paris.
3. Ut cadit in vellus
imber, quasi rore novellus
Condescendet ei
spiritus ipse Dei.

Responsoria.

1. Caste vivebant,
sed ob hoc, quod prole carebant,
Pontificis verbis
Joachim reprobatur acerbis;
Sed Deus hunc humilem
conforiat per Gabrielem,
V. Quod nascetur ei
virgo parensque Dei.
2. Cum fuerit nata,
sit virgo Maria vocata,
Sanctior exemplo
sit oblata juvencula templo,
V. Serviet haec Domino
soli cum corde benigno.
3. Omne, quod immundum,
nunquam bibet atque cibabit,
Qui redimet mundum,
pia virgo Deum generabit,
V. Non concepta viro,
conceptu florida miro,
Non erit ipsa parens
virginitate carens.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec incarnatum
de se nunquamque creatum
Virgo concipiet,
virgo Deum pariet.
2. Horum praedicta
generatio fit benedicta,
Exiet inde mera
virgo salutifera.
3. Christus ab arce patris
intrabit viscera matris,
Ex qua corporeus
exiet ipse Deus.

Responsoria.

1. Ad Dei nutum
de semine virgula Jesse
Regis virtutum
se matrem noverit esse,

V. Nobilis et munda,
pia virgo Deoque jucunda.

2. Laetitia magna
Joachim repletur et Anna,
Vota Deo pura
reddunt pro prole futura,

V. Spe sobolis certi,
justi sine fraude reperti.

3. Radicem Jesse
fuerat florere necesse,
Virgaque signa daret,
quod virgo Deum generaret,
Annaque fit laeta
promissa prole repleta;

V. Talibus egregia
signis fuit orta Maria.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Misit Deus Gabrielem
cum splendore luminis,
Nuntiare Christi matris
ortum sanctae virginis.

2. Ad Joachim et ad Annam
facta est promissio,
Quod ab ipsis orietur
virgo plena gaudio.

3. Ipsa Deum generabit
sine viri semine,
Semper virgo plena erit
sancto Dei flamine.

4. Benedicta benedictum
generabit filium,
Dei verbum, regem regum,
salvatorem omnium.

5. Oriente Christi matre
gaudeat ecclesia,
Ex qua mundo lux est orta
Dei providentia.

Ad Benedictas.

A. Stella fulgens orietur
de Jacob familia,
De Juda non auferetur
Virga sceptri regia,
Donec ille, qui mittetur,
Veniet cum gloria,
De virgine qui nascetur
Plena Dei gratia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Stella maris, vitae portus,
Virgo plena gratiae,
Fons hortorum, florens hortus,
Vas misericordiae,
Ex te verus sol est ortus,
Lux coelestis gloriae,
Ab angelo cujus ortus
Declatur hodie.

Brev. ms. Morinense saec. 15. Cod. Parisin. 17997.

20. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Stella Jacob,
proles Davidica,
Paritura
solem justitiae,
Matris alvo
clauditur unica,
Sancta facta
fluentis gratiae,
Pangat mundus,
plaudat vox coelica,
Tanti festi
dono laetitiae.

Ad Magnificat.

A. Sacrat domum
fons sapientiae,
Fulcit donis,
ornat virtutibus,

Salus, amor,
pax, lex munditiae,
Grata dona
dantur hominibus;
Sit spes lapsis,
sit locus veniae,
Moestos sanet,
sistat coelestibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Mariam, matrem gratiae,
Devote collaudemus,
Jesum, dominum gloriae,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rubus ardendo virescit
Et miranda nuntiat,
Virga Jesse virum nescit,
Deum nobis pariat.

2. Ignis columna praecedit
Coetum confitentium,
Jam Aegypti nox abscedit
Et peccati devium.

3. Manna coeli nobis datur,
Cor, mentem reficiens,
Anna quando fecundatur
Dei matrem gestiens.

Responsoria.

1. Arca legis
arcana proferens
Intus, foris
aurea cernitur,
Virgam, urnam,
tabulam continens,
Plena bonis
mundo tribuitur.

V. Nos amoris auro tegit,
Deo pascit, Christo regit,
Veritate dirigit.

2. Vellus madet Gedeonis
Et inundat coeli donis
Et virtutum copia,
Vim transcendit rationis,
Quod sedentem summis thronis
Regant matris gremia
Sub carnis substantia.

V. Obstupescit hic natura,
Dum mutantur sua jura,
Quod regentem omnia.

3. Thronus grandis
et admirabilis
Actu, forma,
virtute legitur,
Justus, pius,
potens et humilis
Princeps pacis
in eo sistitur,
Culpae lapsus
per eum tollitur.

V. Non est talis
nec erit similis,
Dulcis, clemens,
mitis et utilis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aaron virga frondescit,
De qua fructus oritur,
Quo morbus mox evanescit,
Quo mors nostra moritur.

2. Terra lacte, melle manans
Patribus promittitur,
Ex Maria coelum donans
Homo-Deus nascitur.

3. Auri sceptrum Assueri
Pacis donat foedera,
Nos adspectus Dei veri
Locat super aethera.

Responsoria.

1. Cornu veri Samuelis,
Quo linitur plebs fidelis
Sacra fluit unctio,
Servitutis lex crudelis
Fugit, dum grata de caelis

Venit benedictio,
Qua perit damnatio.

V. Laus tibi, virgo sacrata.
Dei mater illibata,
Per quam fit salvatio.

2. Roris caeli
repleta copia
Parva nubes
de caelo tollitur,
Gratiarum
per stillicidia
Mundus arens
fecundus redditur,
Plenus ager
fragrans ostenditur;

V. Haec hortorum
fons indeficiens,
Haec puteus
mentem reficiens.

3. Lyra sacrae melodiae
David manu tacta pie
Plectro sancti spiritus,
Vitam dulcis harmoniae,
Amplexum Dei sophiae
Trahit ad se caelitus.
Fugat hostem penitus;

V. Plaudat chorus electorum
Virginalem ante thorum
Ornatum divinitus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Homini dat et jumentis
Pastum virgo regia,
Dum justis gratia mentis,
Reis datur venia.

2. Hydria farinam gestans
Panem verum conficit,
Angelorum vitam praestans
Cor virtute perficit.

3. Bethlehem cisterna patens
Potum vitae tribuit,
Quo sitis peccati latens
Et fervor emarcuit.

Responsoria.

1. Aqua praebens
amaritudinem
Ligno merso
praedulcis bibitur,
Olla ferens
mortis imaginem
Per farinam
salubris redditur,
Sic potatur
mundus et pascitur;

V. Haec est virgo,
de qua conficitur
Medicina,
qua vere vivitur.

2. Virga donans favum mellis
Adae pulso morsu fellis
Lucis dat solatia,
Hostis diri victis bellis
Nos in pace locat cellis,
Ubi vera gaudia,
Ubi laus et gloria.

V. Flore, fructu dulcis vitis
Botris divo rore litis
Cordis fugat tristia.

3. Veri solis
amicta pallio,
Luna plena
sub pede sternitur,
Duodeno
stellarum radio
Caput ornans
corona plectitur,
Super cuncta
praelata cernitur,

V. Rosa rubens,
cedrus munditiae,
Palma virens,
cypressus gratiae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Alte sonat sacra tuba
Dei verbum proferens,
Locum mutet Dei turba
Caelum mundo praeferens.

2. Urbs electa votis divis
Reis est refugium,
In qua Deus manet civis
Et tenet imperium.

3. Jam Eliae chlamys datur
Tegens Dei filium,
Fluxus amnis dividatur
Trahens ad excidium.

4. Ex lechyto pie fluit
Olei perfusio,
Quo rubigo vetus ruit
Necdum cessat unctio.

5. Medicinam mundo profert
Tobiae piscarium,
Caeco lumen gratum confert
Et fugat daemonium.

Ad Benedictus.

A. Anna nobis
Mariam praebuit,
Radix sancta
ligni fructiferi,
Virgo mater
Dominum genuit,
Arbor sacra
fructu cum uberi;
Jesus mundum
vitae restituit,
Ipsum salvans
virtute celebri.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Matris Dei
nova conceptio
Typus horti
caelestis germinis,
Quam inundat
sanctificatio
Et fecundat
vis sancti flaminis,
Nos emundet
a labe criminis.

Ad Magnificat.

A. O quam felix
Annae fecunditas,
Parvum celans
fontem clementiae,
Sub pugillo
clauditur sanctitas,
Lignum, vermis,
origo gratiae;
Nunc emanet
fecunda puritas,
Crystallinae
lux refulgentiae.

Brev. ms. Vivariense anni 1342. Cod. S. Josephi Lugdunen. Y a 6. A. — Brev. ms. Vivariense saec. 15. Cod. Avenionen. 219 B. — Brev. ms. Lucense saec. 14. in. Cod. Capit. Lucen. s. n. C. — Hymnen: Ad Vesp.: Novum surgant in gaudium (Anal. IV, 43); Ad Matut: In plausu grati carminis (Anal. IV, 44); Ad Laudes: Exsultet novo carmine (Anal. XI, 41).

21. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fuit homo de semine
David, Joachim nomine,
Justus, simplex ac rectus,
Vir Annae, fortis feminae,
Carentis tum propagine
Diebusque provectus.

2. Lustris quaternis incolae
Nazareth absque sobole
Fundebant tripartite
Rerum proventus uberes
Erga templum et pauperes
Et opus suae vitae.

3. Hac implorantes serie
Divinae donum gratiae
Voverunt voto pari,

Ut, si fecundi fierent,
Domino prolem sisterent
In suum famulari.

4. Tristantur tandem unice,
Dum perfert a pontifice
Sterilitatis nota
Joachim contumeliam
Et per ancillam propriam
Anna Deo devota.

5. Post objectum opprobrium
Votum implens humilium
Luctum Deus maestorum
Vertit pius in gaudium,
Gloriosa sterilium
Prole fecundans chorum.

Ad Magnificat.

A. Aurora surgit celebris,
Oritur lux de tenebris,
De spinis prodit rosa,
O Hierusalem filiae,
Jam sponsa regi gloriae
Paratur speciosa,
Jam vocatur, ut veniat,
Jam cantico pronuntiat:
Nigra sum, sed formosa.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Conceptam matrem Domini
Votis colentes almis
Divino laudes nomini
Jubilemus in psalmis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nova facturus omnia
Nova matris primordia
Novo lustrat decore,
Ut novitatis gratia
Deus hominem gloria
Coronet et honore.

2. In sole tabernaculum
Vatum descriptum calamo
Deus sibi stabiliens
Viae disponit modulum,
Quam currat ut de thalamo
Suo sponsus progrediens.

3. Manus innocentissimae,
Cor mundum, splendor animae,
Non in vanum acceptae,
Bases et epistylia
Sunt domus Dei gloria
Virtutum circumseptae.

Responsoria.

1. Dum fabricator omnium
Omni carni diluvium
Inducit pro peccatis,
Noe justo praenuntiat,
Ut arcam sibi faciat
Ex lignis levigatis;
V. Qui ligna purgans sarcinam
Deponit gravitatis,
Sibi suisque machinam
Salubris parans ratis.

2. Lignorum levigatio,
Per quam arcae creatio
Paratur salutaris,
Puritatem originis
Praesignat almae virginis,
Honore singularis;
V. O felix generatio,
Cujus donis praeclaris
Profertur benedictio
Promissa Dei caris.

3. Ne carnis danda nexui
Posset anima pollui
Corporali figmento,
Corpus non dandum cineri
Decebat mundum fieri
Gratiae supplemento;
V. Si plus quam corpus anima
Sit suo documento,
De matre curet optima
Christus sequi memento.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab intus regis filiae
Pollent ex auro fimbriae
Pulchris varietatibus,
Quam oleo laetitiae
Prae cunctis unxit hodie
Deus ejus consortibus.

2. Impetus vivi fluminis
Urbem Dei laetificat
Novi decoris titulo,
Dum novum sui culminis
Templum creans sanctificat
Deus mane diluculo.

3. O gloriosa novitas,
In sanctis nova civitas
Dei fundatur montibus,
In cujus ut laetantium
Fit omnium fidelium
Habitatio moenibus.

Responsoria.

1. Arcam foederis propria
Lege non putribilia
Compingunt Sethim ligna,
Aurum vero purissimum,
Tam externum quam intimum,
Forma fulsit condigna.

V. In monte Sina Moyses
Haec de te vidit signa,
Quae praeclara foederis es
Arca, virgo benigna.

2. Quid haec imputribilitas
Lignorum, quid haec puritas
Auri gerit figurae,
Nisi mundam materiam
Duplicemque munditiam
Praeclarae creaturae?

V. In arca florens virgula,
Manna, lex Deum purae
Signant in matris clausula
Nostrae junctum naturae.

3. O creatura nobilis,
O fulgens incredibilis
Hesther forma decoris,
O fons purus in fluvium
Crescens aquarum plurium
Quasi fluvius Doris,

V. Riga nos aquae maxime
Trames et fons dulcoris,
Paradisum uberrime
Rigans intus et foris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novi cantus obsequio
Sancto in ejus atrio
Dominum adorate,
Clausum semper hoc atrium
Et atrae noctis nescium
Praeclara novitate.

2. Justo lucis exordia
Profert hujus laetitia
Sanctae conceptionis,
Justi laetentur hodie
Confitentes memoriae
Sanctificationis.

3. Exsurgat cantus novitas,
Dum nova carnis puritas
Patriarchae praeclari
Datur Abrahae semini,
Ut de promisso Domini
Laetemur salutari.

Responsoria.

1. Si caro, de qua vitium
Carnis sumpsit initium,
Digne fuit creata,
Creari constet dignius
Creatam, ut in melius
Sit caro transformata.

V. Veni, sola prae ceteris
Pulchra semper et grata,
Veniens consolaberis
De Libano vocata.

2. Omnem templi materiam
Struendi per industriam
Cautela Salomonis
Prius purgatam adjicit
Priusque summe perficit
Actu purgationis;

V. Sic templum Dei spiritus
Omnium creans artifex
Massam perducit primitus
Ad purum, ne sit ibi faex.

3. Felix es, virgo Maria,
Quam sibi sapientia
Domum aedificavit,
Tu mons domus dominicae,
Quem montium in vertice
Dominus exaltavit.
V. In hoc monte . . . .
Convivium vindemiae
Faecis omnino nesciae
Deus cunctis paravit.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. In aurorae diluculo
Fulget ex tunc a saeculo
Parata Dei sedes,
Sanctitudo domum Dei
Decet, et paratur ei
Sancta prae cunctis aedes.

2. In laudibus et jubilis
Ortum aurorae rutilis
Celebrando servite
Domino cum laetitia,
Qui profert de materia
Mortali fontem vitae.

3. In sancto tibi parui
Luci plaudens et ortui
Consurgentis aurorae,
Cedant noctis caligines,
Deus, ut nos illumines
Vultus tui splendore.

4. Te benedicant omnia,
Deus, ritu perpetuo
Magnae commotionis;
Sit benedicta gloria
Domini de loco suo
Novae creationis.

5. Tibi laus, tibi gloria,
Qui solus mirabilia
Faciens fabricasti
Auroram veri luminis,
Levans ad thronum culminis
Hesther expulsa Vasthi.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex gloriae,
Qui nobis parat hodie
Sui lucernam facis,
Hanc lucernam qui sequitur,
Non offendit nec labitur
Luto viae procacis;
Per hanc elisos erige
Pedesque nostros dirige,
Deus, in viam pacis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laudet Mariae virginis
Culmen beatitudinis
Omnis vox nationis,
Per hanc, ex quo concipitur,
Verae nobis inducitur
Vis exsultationis.
Per hanc fecundans steriles
Esurientes humiles
Implevit Deus donis.

Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. — In 1. Vesp. **A** 1, 5 Lücke von drei Silben; carentis ergänzt. — Ad Magn. **A**, 1 Auro surgit. — Ibid. 5 sponsam. — Invit. 1 Domini fehlt. — In 3. Noct. **R** 2, 2 per fehlt. — **R** 3, 7 fehlen vier Silben. — Ad Laudes. **A** 3, 4 Sedium noctis. — **A** 4, 1 Vos benedicant. — Die zugehörigen Hymnen siehe Anal. XI, 34 ff.

22. In Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O regina reginarum,
Supernorum civium
Imperatrix, lumen clarum
Per istud solemnium
Praestes illis, quos constringit
Mortiferum vitium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Stellam Mariam maris,
venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Principium nostri luctus
Eva fuit, Annae fructus
Hujus finis.
2. Eva demens obedivit
Hosti, cujus caput trivit
Stirps insignis.
3. A prophetis praesignatur
Annae proles, per quam datur
Cunctis salus.

Responsoria.

1. Fulget dies hodierna,
Per quam mundo lux aeterna
Coepit illucescere.
V. O quam sancta conceptio,
Quam beata.
2. Insignis est progenies,
In honore cujus dies
Praesens est memoriae
Sempiternae,
V. Haec nobis impetret gaudia
Civitatis supernae.
3. Virgineum decus ave,
Jugum cujus tam suave,
Conserva nos mortis a vae,
V. Quae providentia Christi
Munda concepta fuisti.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est lapis nostrae spei,
Ad conceptum nutu Dei
Quae processit hodie.
2. Laudes demus huic germini,
Quod nostri fuit Domini
Vas decorum.
3. Anna mater, gratulare
Noscas enim te portare
Florem florum.

Responsoria.

1. Veneranda cunctis festivitas,
In qua fuit Annae sterilitas
Tam fecunda;
V. Ista dies fons salutis
Initiumque virtutis.
2. Anna, gaude, concepisti
Prolem, per quam succurristi
Humano tristi generi.
V. Tua ferunt viscera
Hanc, quae sacra camera
Fuit Christi.
3. Benedictus salvator omnium
Promiserat venturum filium,
Quod implevit, dum subit gremium
Proles Annae.
V. *Visitavit Dominus et fecit redemptionem plebis suae.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hodie tremit infernus,
Mundum ditat rex aeternus
Conceptu tam fructifero.
2. Quam pulchra Dei series,
Promittitur progenies.

Brev. ms. Tullense saec. 14/15. Cod. Parisin. 1344. — Das Weitere fehlt leider.

23. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laus tibi, sancta trinitas,
Per quam salus mundi datur
Per Mariam et caritas
Tua cunctis propinatur.
2. Maria, tuos laetifica
Famulos et salvifica
Ducens nos ad regna caelica.
3. Ave, beata Maria,
Per quam patet via
In regnum claritatis,
Nos junge, mater, beatis,
4. Salve, aula deitatis,
Omni ornata gloria,
Ave, gemma castitatis,
Plena virtutum copia.
5. Pax Christi et benedictio,
O Maria, nos protegat,
Tua miseratio
In viam pacis nos deferat.

Responsoria.

1. O clemens reorum
Advocatrix
Mater misericordiae,
O salus aegrotorum,
Vitae datrix,
Laus et honor ecclesiae.
Nobis, pia lapsorum
Relevatrix,
Obtine locum veniae.
V. O mater regis gloriae,
Plena omnis gratiae,
Nos salva clementer hodie.

Ad Magnificat.

A. O Maria, salus aegrorum,
Nos salva, flebilium solamen,
Succurre turbae miserorum,
Salva reos, levamen lapsorum,
Debiles conforta et cunctorum
Te poscentium esto juvamen.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Ave, Maria, quae dedisti
Mundo salutis pretium,
Deum hominem posuisti
Ante conspectum omnium,
Semper exora, mater Christi,
Pro nobis pium filium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad thronum matris gloriae
Precibus pulsantes
Nos salva, rex pie,
Tibi jubilantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Advocata peccatorum,
Maria, regina caelorum,
Transcendit choros angelorum.
2. Matris Dei gloriam
Protestantur aethera,
Cujus in terris gratiam
Sentiat gens misera.
3. Nos clamantes hodie
Ad gratiae tuae solium
Exaudi, mater clementiae,
Et placa nobis filium.

Responsoria.

1. Salve, Maria virgo,
Tu de stirpe regia
Refulsisti genita,
Tu virtutum gratia
Claruisti praedita,
Decus et claritas sanctitatis,
Tu tabernaculum trinitatis.
V. Te spiritus sancti donum
Fructu vitae fecundavit,
Te dignissimum thronum
Regi regum praeparavit.

2. Ave, stella matutina,
Cohortem fugans hostium,
Tu flos carens culpae spina,
Tu singulare lilium,
V. Tu prole dotata,
Domina, nos salva,
Spes fidelium.
3. Salve, virtutum regula
Et forma gloriae virginalis,
Maria, Dei cellula,
Tu nostra pelle pericula
Et libera nostris a malis.
V. Sana animae vulnera
Medela salutifera,
Virgo sola puerpera.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu thronus divinitatis
Dignissimus,
Nos juvari a peccatis
Et salvari petimus.
2. Tu speculum munditiae
Nunquam fuscata macula,
Aula solis justitiae
Vinctorum solve vincula.
3. Tu flos cunctarum virginum,
Gloria mulierum,
Sanctorum jubar agminum,
Te laudantem salva clerum.

Responsoria.

1. O Maria, vultum tuum
Clemens suavissimum,
Dulcedine irriguum,
Regi regum gratissimum,
Ad nos converte, mater pia,
Cuncta fuga noxia.
V. Vultum benignum et praeclarum,
Vultum plenum gratiarum.
2. O templum sanctae trinitatis,
Maria virgo sanctissimum,
Tu in regno claritatis
Locum tenens clarissimum,
Fer solamen desolatis
Et juvamen piissimum,
V. Memor esto tuorum,
Domina, servorum.
3. Maria, flos benignitatis,
Te venerantes petimus,
Ut nos, qui in multis peccatis
Salvatorem offendimus,
Fons summae mundet pietatis,
O, rex salvet nos optimus:
V. Qui tibi nil negat filius,
Fac, ut nobis sit propitius.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christo nato decantemus
Redemptori jubilemus
Et Mariam collaudemus.
2. Fac, Maria piissima,
Ut spiritus sancti unctio
Nostra purificet intima
Ab universo vitio.
3. Deo patri psallant omnia,
Cujus filii praesentia
Mira nos salvet clementia.

Responsoria.

1. O quam felix et beata,
Quae in caeli palatio
Super angelos exaltata
Regnas cum tuo filio,
Dei facie peroptata
Potiris et alloquio,
V. Obsequio angelico
Laetaris et laudis cantico.
2. Ave, Maria lucidior
Stellis et sole splendidior,
Tu sanctos gloria praecellis,
Angelis excellis,
Tu cunctas haereses repellis.
V. Post Christum dignior,
Virginibus fecundior,

Christo dilectissima,
Clementibus clementissima,
Nos salva beatorum optima.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Ab aeterno praeparata
Regi regum aula grata
Es, Maria, virgo beata.
2. Maria, in caeli solio
Pia conjuncta filio,
Nos tuo suffragio
Salva in exsilio.
3. Vultum tuae pietatis
Ad nos converte, domina,
Et adspectu claritatis
Nostra propelle crimina.
4. Ab omni creatura
Maria benedicatur,
Potens, benigna, pura,
Per quam pax et salus datur.
5. Caeli, virgo, te dominam laudent,
Per quam renovantur,
De tua gratia rei gaudent,
Qui per te salvantur.

Ad Benedictus.

A Ave, virgo, sol claritatis,
Praeelecta Dei cella,
Aurora, fons pietatis,
Et tu, praeclara maris stella,
Tenebras nostras illumina,
Noxios mores corrige,
Inimicos extermina,
Servos lapsos erige,
Confer virtutum germina,
In viam pacis nos dirige.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, regina clarissima,
Civium supernorum,
Ave, mater Dei humillima,
Consolatrix miserorum,
Omnis generatio
Beatissimam praedicat,
Aeterni patris dilectio
Tibi solium communicat,
Tu ad nos Dei servulos
Te invocantes hodie
Pios converte oculos,
Mater misericordiae.

Brev. ms. saec. 15. Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I a 16. — In 1. Vesp. R, 2 vitae datrix; da dies nach drei Zeilen wiederkehrt, hier vermutlich advocatrix oder Ähnliches zu lesen. — In 1. Noct. R 1, 7 Tu almae tabernaculum. — In 2. Noct. A 3, 4 salva catervam. — R 1, 3 irrigatum. — R 2, 2 virgo sanctissima. — In 3. Noct. R 1, 8 et laude. — R 2, 3 Tu sanctos cunctos. — R 2, 9 Lies Clientibus? — R 3 „ut heri in Vesperis.“ — In 2. Vesp. ad Magn. A, 4 miserorum consolatrix.

24. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jesse radix, castum semen,
Nobis datur vitae germen;
Adest dies laetitiae,
Qua seminatur lilium,
Quod profert Dei filium,
Exemplum mundiciae,
Quod a Deo est promissum,
Antequam mundus fieret,
Et electum et excisum
Antequam terram faceret.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Creatori jubilantes
Veneremur semina,
Exultemus venerantes,
Nostrae salutis femina.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mater Christi seritur,
Infans hinc egreditur
Processu laudabili.

2. Hic solis tabernaculum
Et sponsi fit miraculum,
Hic vinea virginea
Ex stirpe fit feminea.

3. En, semen regis filiae,
Ex qua fructus gloriae
Processit humiliter,
Regnat mirabiliter.

Responsoria.

1. Conceptio veneranda
Fructum salutis germinat,
Ergo uterus insignis
Merito est laudanda,
Quae vitae semen seminat
Meritis condignis.
V. Corda sursum vigilent,
Vitae cursum jubilent
Et pacis accessum.

2. Ista sine vitio
Est facta proportio,
Quae producit rorem,
Quae rosam rigavit
Radicitus plantavit
Praeelectum florem,
V. Hinc provenit hodie
Ros misericordiae
De mundo conjugio.

3. O laudandam seminis
Hujus fecunditatem,
Quod in se ducit virginis
Mirandam ubertatem
Et ad se trahit numinis
Divini potestatem;
V. Hoc nempe est consortium
Dans salutis reditum
Et Evae purgans vitium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Oritur regis filia
Honor atque gloria,
Quam virgines sequuntur
Et regi offeruntur.

2. Conceptum refugium
Benigne Deus dedit,
Per quod ad solatium
Tam miser homo redit.

3. Hoc a Deo fundamentum
Fert salutis incrementum,
Per quod Deus invocatur
Et aeterna salus datur.

Responsoria.

1. Hic vinea plantatur
Generosi seminis,
Hic virtus radicatur,
V. Vitae salus nobis datur,
Nam imus vernaculus
Ad astra levatur.

2. En, semen hoc post Abraham
Virginem eduxit,
Quae protulit verum Adam
Et petram Christum produxit,
V. Pacem facit apud Deum
Sibi concordans vere reum.

3. Sicut Deus locutus est
Abrahae et ejus semini,
Ac misertus est Israel
Per puerum Emanuel,
Benedicens germini,
V. Unde venit castissima,
Clara, Deo cara
Mater fecundissima.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est castimonia
In conspectu Domini,
Quae pacem reddit homini
Et vitae alimonia.

2. Exsultant Judae filiae,
Nam dat vitae radicem
Nec non ortum felicem,
Quae resultat hodie.

3. In justis parentibus
Deus seminavit
Semen, per quod gentibus
Vitam relevavit.

Responsoria.

1. Hic stipes est aeternae
Et verae salutis,
Ex quo procedunt floridi
Rami virtutis,
Ibique fructus crescit,
In quo verus filius
Dei requiescit.

V. Christi thronus summe bonus
Hic creatur et beatur.

2. Gemma pudicitiae,
Semen castitatis
Nobis venit hodie,
Flos virginitatis,
Est data divinitus
Salus nobis primitus.

V. Fidelis cum tripudio
Exsultet sic in gaudio.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Domum Domini
Decet sanctitudo,
Ex qua nobis gratiae
Venit plenitudo.

2. Concepit fructum Anna,
Unde venit manna,
Idcirco resonemus
Dulcisonum Hosanna.

3. Hic ad Deum vigilent
Erigant se mentes,
Fructum salutiferum
Proferunt parentes.

4. Omnia germinantia
Exsultent Deo patri,
Semen et seminantia
Nunc seminate matri.

5. Juvenes et virgines
Laudent nomen Domini,
Cantent et tripudient
Benedicto semini.

Ad Benedictus.

A. Domo de David hodie
Luminare ecclesiae
Dominus produxit,
Per quod nobis stella vitae
Rite, illuxit, quae mite
Nos ad lumen gratiae
Ac solem justitiae
Miseros perduxit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O florens virga Aaron,
Summus creavit Salomon
Et sanctificavit ab aeterno
Te ex utero materno
Prae ceteris creatis,
Tu reorum vera tutrix
Et moestorum consolatrix,
Tu robur pietatis,
Perpes salutis, vitae via,
Virgo mater, miserere,
Fac digne poenitere
Ex tua mera gratia.

Brev. ms. Joh. Sinttram (in castro dicto Zabelstein) anni 1433. Cod. Claustroburgen. 1165. A. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Solodoren. s. n. B. — In 1. Vesp. Ad Magn. **A**, 6 omnis munditiae A. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Hic solus. — **R** 2, 7 Hic provenit A. — **R** 3, 9 purgat. — Hiezu in B der Hymnus Festum originis canat ecclesiae (Mone II, 20).

25. De Praesentatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fons hortorum
redundans gratia,
Mundum replens
caeli muneribus.
Mater Dei
fecundans omnia,
Nos instaurans
supernis sedibus,
Florens hortus,
mox ab infantia
Admirandis
fulsit virtutibus.

2. Rore caelestis gratiae
In utero perfunditur,
Tersa fomitis carie
Ut stella splendens oritur.

3. A piis parentibus
Votis impetrata
Templi penetralibus
Est trima dicata.

4. Tantilla puellula,
Virtutibus exemplum,
Nulla freta gerula
Ascendit in templum.

5. Erudita
puella regia
Contemplatur
mente caelestia,
Caritate
flagrant praecordia.

R. Recolamus
virginis inclita
Ac miranda
laudum praeconia
Infantilis
aetatis merita
Et virtutis
grata primordia.

V. Radiat gratia
Jam in puellula,
Et sapientia
Fulget in parvula.

Ad Magnificat.

A. Novae laudis
adest festivitas,
Grata mundo
ac caeli civibus,
Qua beatae
Mariae sanctitas
Templo data
est a parentibus,
Ut olivae
pinguis suavitas
Uberius
redundet fructibus.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Evae praeceps temeritas
Et fastus mundum perdidit,
Sed Mariae humilitas
Salutis fructum edidit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Votis et vocibus
Laudantes Dominum
Instemus laudibus
Virginis virginum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In templum Dei gradibus
Ter quinis erat aditus,
Quos nesciis parentibus
Ascendit fulta caelitus.

2. Nihil insolentiae
Virgo praetendebat,
Sed lux sapientiae
In ipsa fulgebat.

3. Ex affectu simplici
Cernentes hortatur,
Sed ex gressu supplici
Deo famulatur.

Responsoria.

1. Mente sancta
fuit et humilis,
Omni splendens
ornatu gratiae
Virgo pia,
unde fit, nobilis
Thronus dignus
sit regis gloriae;
V. Thronus eburneus
Cum auro fulvido
Venter virgineus
Cum corde provido.

2. O quam puram,
quam sanctam decuit
Matrem esse,
quae Deum genuit,
Lacte quoque
uberum aluit,
Strinxit ulnis,
manibus tenuit;
V. Tanto regi
fit tam domestica,
Quem vestivit
humana tunica.

3. Ordo recens
servatus noscitur,
Dum Maria
in templo conditur,
Nam contemplans
Deo perfruitur,
Sic ad alta
mens ejus rapitur;
V. Cum in mente
verbi lux oritur,
Digna verbi
mater efficitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omni virtute praedita
Totum ad hoc dat studium,
Ut Deo tota subdita
Devotum det obsequium.

2. Rex virtutum
sibi mirabilem
Matrem fecit,
mitem et humilem,
Omni quoque,
dote spectabilem.

3. Desponsata cor docile
Ad angeli colloquium
Mite praebet et humile,
Prompta spondet obsequium.

Responsoria.

1. Eminente
caeli dulcedine
Stans in templo
virgo reficitur,
Ejus quoque
mens pulchritudine
Gratiarum
Dei perficitur
V. Magna semper
exercens opera.

2. Alma virgo propositum
Nunquam nubendi statuit,
Sed semper Dei placitum
In hoc voto proposuit;
V Gratus virga
Joseph flos emicat,
Et hunc sponsum
virginis indicat.

3. Nuptam sic ex indicio
Floris et sancti spiritus
In columbae mysterio
Gabriel missus caelitus
Salutat magno gaudio,
Quae concepit divinitus;
V. In parentum
manens hospitio
Invenitur
a Dei nuntio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Flos in florum tempore
Ad locum floris mittitur,
Sic de floris corpore
Gloriose concipitur.

2. Jesus flos, flos Maria
Verque tempus floris,
Flos Nazareth patria,
Plena sunt decoris.

3. Candens flos multiplicat
Virgulae decorem,
Conceptus glorificat
Mariae pudorem.

Responsoria.

1. Arca Dei,
in qua reconditur
Dulce manna,
cibus aethereus,
Quo plebs Dei
sancta reficitur,
Est Mariae
venter virgineus,
V. Thalamus regis gloriae,
Quo jungitur ecclesiae.

2. Omnes gentes, attendite
Ad tam pulchrum spectaculum,
Deo gratias agite
Qui sic dilexit populum,
Mariae formam sumite,
Quae virtutis est speculum;
V. Virgo templo data
Post facta est Dei templum,
Est plebs Deo grata
Mariae sequens exemplum.

3. Mirabile
Deus commercium
Cum humano
inivit genere
Suum nobis
donans refugium,
Nostra dignans
infirma sumere;
V. Nam ut nostrum
sanaret vitium,
Sic amoris
dedit indicium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lauda, felix ecclesia,
Almae matris infantiam,
Cujus immensa gratia
Tibi paravit gloriam.

2. Templi Dei laribus
Virgo dedicata
A supernis civibus
Gaudet visitata.

3. Omnis ejus actio
In Deum tendebat,
Toto vitae spatio
Meritum augebat.

4. Quidquid egit, penitus
Est forma virtutis
Et doctrina spiritus,
Est causa salutis.

5. Quantum facultas sufficit,
Laudent mentes piae
Nam omnis lingua deficit
A laudibus Mariae.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
virginis filius,
Replens matrem
misericordiae,
Advocatam
dans hanc propitius,
Ne sit quisquam
anceps de venia.

In 2. Vesperis.

R. Laudemus omnes Dominum,
Qui Mariam
implevit gratia,
Ut mediatrix hominum
Apud Deum
esset propitia.
V. Haec est mater
misericordiae,
Per quam venit
ad nos rex gloriae.

Ad Magnificat.

A. Oliva fructifera,
Mater pietatis,
Fugans mundi scelera,
Stella claritatis,
Per quam cuncta prospera
Dantur nobis gratis,
Nos tandem in aethera
Transfer cum beatis.

Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. A. — Cod. Sitanstetten. CCXXXII saec. 15. B. — Brev. ms. Altovadense XXV. saec. 14. C. — Cod. Scotorum Vindobonen. 50 h 6. saec. 15. C. — Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. D. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 746 a E. — Brev. Cabilonense imp. 14**. F. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. G. — Brev. S. Mariae Erfordien. imp. Nurenbergae 1497. H. — Brev. Valentinum imp. Neapoli 1489. I. — Brev. Romanum imp. s. l. et a. K.

Das Officium findet sich des weitern aufser zahllosen andern in folgenden Quellen: Brev. ms. Spirense saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 514. — Brev. ms. Sutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. — Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. — Brev. ms. Nemaucense saec. 15. Cod. Roman. 1189. Sessor. 138. — Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — Brev. ms. Frisingense anni 1479. Cod. Mutinen. X H 1. — Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Angelic. CV 17. — Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 18. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14. Cod. Parmen. Palat. 186. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 208. — Brev. ms. Tarvisiense saec. 15. Cod. Capit. Tarvisien. I 16. — Brev. ms. Constantiense anni 1470. Cod. Eremiten. 82. — Antiph. ms. Beronense saec. 16. in Cod. Eremiten. 729. — Antiph. ms. S. Nicolai Friburgen. s. n. saec. 15. — Brev. ms. Langheimense anni 1465. Cod. Bambergen. Ed VI 6. — Brev. ms. S. Mauritii Augusten. Cod. Augustan. Fol. 99. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1988. saec. 15. — Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72. — Brev. ms. Wirceburgense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mp. th. o. 11. — Brev. ms. S. Magni in Faucibus saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 13. — Brev. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Dietmellien. 111. — Brev. ms. Embricense (?) saec. 15. Cod. Sigmaringen. 28. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 144. — Antiph. ms. Calcariense saec 16. Cod. Arch. Calcarien. A. 14. — Brev. ms. Oculense saec. 15. Cod. Matriten. A 174.

Brev. Hispalense imp. Parisiis 1510. — Brev. Montis Virginis imp. Venetiis 1555. — Brev. Lausannense imp. Gebennis 1509. — Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — Brev. Ruthenense imp. Lugduni 1543. — Brev. Corisopitense imp. 1500. Brev. Cordubense imp. Hispali 1524. — Brev. Barcinonense imp. Barcinonae 1540. — Brev. Gienense imp. Hispali 1528. — Brev. Majoricense imp. Venetiis 1506. — Brev. Illerdense imp. 15**. — Brev. Auriense imp. Salmanticae 1501. — Brev. Calagurritanum imp. Lucronii 1543. — Brev. Pataviense imp. Venetiis 1508. — Brev. Ratisbonense imp. Augustae 1488. — Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1501.

Selbstverständlich ist es unmöglich, auch überflüssig, sämtliche Abweichungen dieser Quellen untereinander zu verzeichnen. Von vornherein auszuschliefsen sind die monastischen, da die ursprüngliche Form des Officiums die kurze ist. K hat folgende Rubrik: „In praesentatione Virginis Mariae, quod festum primo fuit celebratum in Francia ad instantiam christianissimi regis Francorum nec non et in ceteris ejusdem regni provinciis; dehinc in Anglia, Hispania atque aliis partibus mundi: nunc noviter sanctissimus papa Sixtus quartus ipsum publicavit, ut per totum mundum fieri debeat, ac indulgentias concessit celebrantibus hoc festum et sancti Josephi sub majori duplici in eadem bulla.“

In 1. Vesp. ad Magn. setzt B die **A** Oliva fructifera etc.; G I beginnen mit der **A** Novae laudis adest festivitas. — D schiebt nach der I. Vesper ein:

Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Lectis scriptis circumquaque
Saepe defluxerunt aquae
Ab ocellis castitatis
Atque summae puritatis
Humilis sanctae Mariae.

Ad Nunc dimittis.

A. Virgo firmet nos in pace,
Ne premamur procul a se
Per deceptum malignorum
Nobis semper infestorum.

In 1. Noct. **A** 2, 1 Nihil pueritiae B. — In 2. Noct. **R** 3, 1 Nupta fit ex judicio B. — In 3. Noct. **R** 2 und 3 umgestellt E. — In Laud. ad Bened. **A** lautet in D:

Cum tres annos haec habebat,
Eam mater offerebat
Templo Bethel Salomonis,
Sola gradus ascendebat,
Deus pater ut volebat
Gratuitis suis donis.

Für die kleinen Horen schiebt D die folgenden **AA** ein:

Ad Primam.

A. O regina pietatis
Et totius sanctitatis
Flumen indeficiens,
Tuae praesentationis festa
Celebrantes adjuva.

Ad Tertiam.

A. Statum nostrae paupertatis
Vultu tuae bonitatis
Clementer considera
Et pro praesentationis
Tuae festo tuis donis
Confer coeli gaudia.

Ad Sextam.

A. Te praesentatam hodie
Indigentes quotidie
Rogamus attentius,
Ut hoc festo te laudantes
In hoc mundo naufragantes
Adjuves frequentius.

Ad Nonam.

A. Ut ad caelum praesentemur
Et cum Christo jucundemur,
Ejus matrem veneremur.

F benutzt für dieselben Horen als Responsorien die **AA** 2 bis 4 aus der ersten Vesper. — In 2. Vesp. hat B das folgende Responsorium:

R. Maria, Jesse virgula,
De qua Jesus flos oritur,
Spiritus sancti regula
Manens in templo regitur;
V. Ibi divino dogmate
De divinis instruitur,
Omni quoque charismate
Gratiarum imbuitur.

Dieselbe Quelle verwendet als **A** ad Magnificat das **R** Laudemus omnes bis zum Versikel. Die ursprünglich zu diesem Officium gehörigen Hymnen sind in 1. Vesp.: O Dei sapientia (Mone II, Nr. 342 Str. 1–4 + 9; ad Noct.: Sacrae parentes virginis (Anal. IV, 52); ad Laudes: Omnes fideles plaudite (Anal. IV, 51); in 2. Vesp.: Aeterni patris ordine (Mone l. c. Str. 5—9).

26. De Praesentatione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Veni, dulcis virguncula,
Radicis Jesse virgula,
Columba sine macula,
Regis aeterni filia,
Columna templi fulgida,
Placens et viva hostia,
O decora infantula,
Maria splendidissima.

R. Gaude et laetare,
Urbs nobilissima,
Civitas regis
Summi Jerosolima,
Adornare
Templum sanctum et altare,
Gratulare,
Israel, et jucundare,
Ecce, advenit pia
Virgo Maria,
Terrarum domina,
Caelorum regina.

V. Haec est civitas Dei,
Templum Domini,
Et sacrarium
Spiritus paracliti.

Ad Magnificat.

A. Ave, Maria, plena gratia,
Per quam datur misericordia,
Salus, vita, honor et gloria,
Sis benedicta inter omnia,
Sis benedicta super omnia,
Te laudent, te adorent omnia,
Sacra haec tua praesentatio
Sit caeligenis gratulatio,
Sit terrigenis exsultatio
Et sempiterna benedictio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Salve, stella maris,
jubilo sancto veneraris,
Sit tuus adventus
simul introitus benedictus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Infans lactensque Maria,
Dei genitrix futura
Infertur in templum pia
Suae genitricis cura.

2. Quod prophetae praecinerunt
Ob Christi memoriam,
Hoc caeli enarraverunt
Ad matris Christi gloriam.

3. Montem Dei haec ascendit
Innocens per omnia
Virgo mater nec attendit
Vana mundi somnia.

Responsoria.

1. Advenisti, desiderabilis,
Omnium saeculorum saeculis,
O virguncula conspicabilis,
Futura mater venerabilis?
V. Salve flos campi,
lux caeli, gloria mundi.

2. Quam praeelegit sibi Dominus
Ex multis milium milibus,
In templo praesentatur Domino
Debito parentum officio;
V. Imperitans cunctis
infans gestatur in ulnis.

3. O benedicta, o speciosa,
Virgo virginum o gloriosa,
Tibi plaudit caeli militia,
Te collaudat sancta ecclesia,
V. Omnes exsultent
et laudes voce resultent.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Humilis in templum lata
Adstat in caelestibus,
Super omnes trabeata
Nunc virtutum vestibus.

2. Perfert ipsa templo sisti,
Prout istud lex mandavit,
Ipsa tamen templum Christi,
Quod altissimus dicavit.

3. Quam mira, quam gloriosa
De te dicam, Dei castrum,
Nunc praeclara, nunc formosa,
Super omne regnans astrum.

Responsoria.

1. Offertur sanctum
Domino vivens holocaustum,
Divini totum
spiraminis igne crematum,
V. Hoc super altare
dulci fit odore suave.

2. Igne Dei fragrans,
dulci spiramine fraglans,
Sancta Deo viva
placet hostia virgo Maria,
V. Spirat odore bono
caelesti praedita dono.

3. Praefigurata caelitus,
Repromissa divinitus,
Virgo prodit spectabilis,
Omnibus desiderabilis;
V. Effloret virga,
pia regia virgo Maria.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Miris varietatibus,
Omnigenis ornatibus
Procedit, ecce, splendida
Regis caelorum filia,
V. Virgo, sponsa Dei
dignaque mater ei.

2. Ave, gemma principalis
Universae sanctitatis,
O Maria, o quam pia,
O benigna, o quam digna!
V. Virgo mater, omni hora
Natum pro nobis implora.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Surgens ut aurora,
benedicta Maria decora,
Respicias famulos
nos, pia virgo, tuos.

2. Ignis divinus
ut nos illuminet intus,
Sancta Maria, tuis
obtineas meritis.

3. Prava refrigeant
in nobis sancta calescant,
Christus ut hoc donet,
mens pia nunc vigilet.

4. Splendida, formosa,
mitis, dulcis, generosa,
Nos agnosce tuos,
pia sit tua cura super nos.

5. Nil tibi difficile,
nil quippe negat puer ille,
Nasci dignatus
de te mitissimus agnus.

Ad Benedictus.

A. O virgo sancta,
mater Domini veneranda,
Nos rege, nos serva,
rogitat te nostra caterva,
Quo te ductrice
capiamus pascua vitae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Omnis fidelis anima
Laudet Dei magnalia,
Cujus misericordia
A saeculis in saecula;
Qui respexit
Mariae humilitatem,
Quam exaltavit
Ditando matrem virginem,
Ejus prece et meritis,
Christe, miserere nobis.

Brev. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. (ol. 62). A. — Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. B. — Cod. Beverin. 696. saec. 15/16. C. — Brev. Paderbornense imp. Lipsiae 1513. D. — Brev. Hildesheimense imp. Lipsiae 1516. E. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. F. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 1 Tam dulcis virguncula D. — Ibid. 4 filii A. — In 1. Noct. R 1, 3 fehlt AB. — R 3, 3 omnis caeli AB. — R 3, 4 omnis sancta AB. — In 3. Noct. AA prosaisch. — R 3 ebenso. — In Laud. A 1, 1 Surgis F. — A 1, 3 Respicias nos A. — A 1, 4 praepia virgo tuos A.

27. De Praesentatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O mira et laudanda
Clementia,
Isaiae prophetia
Completur in Maria.

2. Dies haec venerabilis
Illuxit nobis celebris,
His promissa
Prophetarum oraculis.

3. Vox concinit prophetica,
Stella putatur fulgida,
Stirpe Israelitica
Homo sumit exordia.

4. Stella ista prophetalis
Figuris lucet praeclaris,
Progenie Davidica
Virgo oblata Maria.

Ad Magnificat.

A. Jesu, piorum gloria,
Sola reorum venia,
Mariae prece virginis
Expiatos contagiis
Paradisi redde gaudiis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Salve, stella maris,
generis decus imperialis,
Adventus et introitus
tuus sit benedictus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mariae venerantes merita
Nos, alme Deus, visita
Sacri flaminis gratia
Prece rogitamus intima.

2. Ergo ducamus gaudia
Hujus diei memoria,
Quo stella haec prophetica
Praesentatur in templum.

3. In templum Dei gradibus
Ter quinis erat aditus,
Quos compositis gressibus
Ascendit fulta caelitus.

Responsoria.

1. Advenisti, desiderabilis,
Omnium saeculorum saeculis,
O virguncula conspicabilis,
Futura mater venerabilis?
V. Salve, flos campi,
lux caeli, gloria mundi.

2. Electa ex milium milibus,
Quam praelegit sibi Dominus,
In templo praesentatur Domino
Debito parentum obsequio.
V. Imperitans cunctis
infans gestatur in ulnis.

3. Per sacrum sacrificium,
Ritu praecepti editum,
Odorem fert mirificum,
Salutarem, vivificum,
V. Hostia pacifica,
Victima vivifica,
Dominus in sancto
Suo adest templo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vivit istud circumplectendo,
In isto inhabitando,
Nam justitiam diligendo
Deus, in caelo sedes ejus.
2. Ingressa est sine macula
Decora haec virguncula
Inhabitans tabernaculum,
Requiescens in monte sancto,
Ipsa vero mons sanctus Dei.
3. Lauda, felix ecclesia,
Almae matris infantiam,
Cujus immensa gratia
Tibi paravit gloriam.
4. Templo Dei laudibus
Virgo dedicata
A supernis civibus
Gaudet visitata.

Responsoria.

1. O benedicta, o speciosa
Virgo virginum, o gloriosa,
Tibi plaudit caeli militia,
Te collaudat sancta ecclesia,
V. Omnes exsultent
et laudes voce resultent.
2. Offertur sanctum
Domino vivens holocaustum,
Divini totum
spiraminis igne crematum,
V. Hoc super altare
dulci fit sapore suave.
3. Recolamus virginis inclita
Admiranda laudum praeconia
Infantilis aetatis merita
Et virtutis grata primordia
V. Radiat gratia
Jam in puellula,
Et sapientia
Fulget in parvula.
4. Igne Dei flagrans,
mira dulcedine fraglans,
Sancta Deo viva
placet hostia virgo Maria,
V. Spirat odore bono
caelesti praedita dono.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Praefigurata coelitus,
Repromissa divinitus
Virgo prodit spectabilis,
Omnibus desiderabilis.
V. Effloret virga
pia, regia virgo Maria.
2. Miris varietatibus,
Omnigenis ornatibus
Procedit, ecce, splendida
Regis caelorum filia.
V. Virgo sponsa Dei
dignaque mater ei.
3. Ipsa Dei templum,
petis, o virguncula, templum,
Devote cuncta
implens divina — — —;
Hostia legitima
datur et placet hostia viva,
Jamque subarrharis
at jamjam sponsa dicaris.
V. Ecce, novum melum
novit depromere caelum,
Agnoscens dominam
suscipiensque suam.
4. O regina poli,
mater pia, virgo Maria,
Ad te clamantes
salves et suscipe flentes,
V. Lux supernorum, forma bonorum,
spes miserorum.

Ad Laudes.

Super Psalmos.

A. Ista virgo gloriosa
Progreditur ut aurora
Nova quippe diluculo,
Novitatis miraculo
Per hanc orbis universus
Luce vera est respersus.

Ad Benedictus.

A. Haec est dies praeclara,
Aurea luce perornata,
Hodie oriens ex alto
Effulsit omni saeculo,
Hodie ex oblatu virginis
Venit redemptio orbis,
Ergo laetemur et exsultemus
Psallentes: Benedictus Deus.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Sicut luna, immo
Pulchrior quam luna,
Cui sol Christus sic illuxit,
Ut et ipsa orbi luxit
In splendore sempiterno
Manens sine detrimento.

Ad Tertiam.

A. Castrorum acies ordinata
Ista virgo Dei sacrata,
Hostium cuneo terribilis,
Angelorum fulta praesidiis,
Vallata multis exercitibus,
Omnium sanctorum agminibus.

Ad Sextam.

A. A saeculis praeelecta
Sicut sol est haec electa,
Clara virtutum fulgore,
Omni praepollens decore,
De qua sol justitiae
Dignatus est procedere.

Ad Nonam.

A. Hujus sacratae virginis
Odor inaestimabilis,
Cujus mira fragrantia
Laetatur caeli regia,
Quam per suum obsequium
Circumdant flores rosarum
Et lilia convallium,
Omnes animae beatae
Passione rubricatae,
Castitate condidatae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, Maria,
Gratia plena,
Ave, virguncula dulcissima,
Caeli regina,
Mundi domina,
Per quam datur misericordia,
Salus honor, vita et gloria.
Sis benedicta
Inter omnia
Et super omnia,
Te laudant et adorant omnia.
Sacra haec tua praesentatio
Fit caeligenis gratulatio,
Sit terrigenis exsultatio
Et sempiterna benedictio.

Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Pragen. XII D 15. — Der Text ist sehr schlecht überliefert; da aber einige Teile anderen Officien, namentlich den beiden vorhergehenden entlehnt sind, lassen jene sich nach diesen verbessern. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 Ac stirpe. — In 1. Noct. **A** 2, 4 Maria praesentatur. — Drei **AA** prosaisch. — **R** 1, 2 Omnium fehlt. — **R** 2, 5 In parentibus cunctis. — **R** 3, 2 Rite regalibus praecepti. — **R** 3, 4 ac vivificum. — **R** 3, 7 in templo sancto. — Ein **R** prosaisch. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Vivo. — **R** 1, 4 Deus et in caelo. — **R** 2, 3 Dei tabernaculum. — **R** 2, 4 monte sancto Dei. — **R** 3, 2 infantiam fehlt. — **R** 4, 4 Gaudet fehlt. — **AA** 5 und 6 prosaisch. — **R** 1, 1 O speciosa benedicta. — **R** 1, 2 virginum Maria. — **R** 1, 3 omnis caeli. — **R** 1, 4 omnis sancta. — **R** 1, 5 Omnis. — **R** 1, 6 et laudis cantica voce resultent. — **R** 2, 3 sq. Divini spiraminis totum igne crematum. — **R** 3, 3 Infantulae aetate. — **R**. 3, 6 jam fehlt. — **R** 4, 2 flagrat. — **R** 4, 3 sq. Sancta Deo hostia placet viva virgo Maria. — In 3. Noct. Ad Cantica **A** prosaisch. — **R** 1, 5 sq. Effilorum virgo regni pia virgo Maria. — **R** 2, 5 Dei sponsa. — **R** 3, 4 adplens; es fehlen drei Silben. — **R** 3, 6 datur et hostia placet viva. — **R** 3, 8 Et jam sponsa. — **R** 4, 2 fehlen drei Silben; Maria ergänzt. — Ad Tertiam. A, 2 sacra. — Ad Sextam A, 6 Christus dignatus. — Ad Nonam A, 1 sacrae. — Ibid. 5 per suum venerationis obsequium. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 15 nobis benedictio.

28. In Illatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Decet Deum collaudare
Mariam mox infantem,
Qui sterilem habitare
In domo dat laetantem.

2. Per quam misericordia
Est Domini firmata,
Annorum per exordia
Fit Deo dedicata.

3. Deus tuus in saeculum
Hoc, Sion qui regnabit,
Virginitatis speculum
Illaesum conservabit.

4. Novam Deus aedificat
Jerusalem in caelis,
Dispersos dum laetificat
Filios Israelis.

5. Seras Sion confortavit
Deus tunc portarum,
Dum in templo acceptavit
Munus tam praeclarum.

R. Matris lac dum sugere
Infantula jam cesset,
Mundum coepit fugere,
Triennisque cum esset,
Ut ejus conversatio
Sic tota sit in caelis,
Quo mira salutatio
Procedit Gabrielis:

V. *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

Ad Magnificat.

Virgo templum intrando
Tunc angelos laetificat,
In Deum exsultando
Post cecinit Magnificat;
Qui ipsam praemiando
Aeterne beatificat,
Pro nobis exorando
Iratum nunc laetificat.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Haec virginis illatio
Dei templum intrantis
Est lucis revelatio
Perpetuo micantis,
Quae nostrae sit dotatio
Animae commigrantis,
Ex hujus mundi spatio
Ad caelum evolantis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In honore Mariae,
In templo praesentatae
Virginis, in hac die
Domino jubilate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Templum adornavit
Prae cunctis praecedentibus
Virgo, dum intravit
Electis cum parentibus.

2. A templo quod fundatum
Est a rege Salomone,
Sic nec fuit adornatum
Templum illa ratione.

3. Humiliter orabant,
Dum virginem praenobilem
Parentes praesentabant,
Templo in Hierusalem.

Responsoria.

1. Nova haec oblatio
Prioris aevi spatio,
Qua nihil fuit gratius,
In templo praesentata,
Caritate inflammata
Odorem spargit latius,

V. Quantum fas credi est,
deitas hanc tota refudit.

2. Margaritum praepolitum
Adaptatur applicatur
Summum per artificem.
Quo structura est futura,
Quae non perit, quia gerit
Omnium opificem;

V. Haec est, quam caeli
victor Deus intus et extra
Pinxit et angelica
cote polivit eam.

3. Quam praeclare conservare
Integritatis speculum
Voto vovit, quod non novit
Antecedens saeculum,

V. Angelicae lucis
speculum decor ejus obumbrat
Et quasi praefulget
omne decoris ebur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adducentur summo regi
Cum exsultatione
Virgines in matris Dei
Hac praesentatione.

2. Inclita Sion filia
Divitias cumulavit
Et virginum tot milia
Haec sola superavit.

3. Nam in gazophylacium
Fert munus praeoptatum.
Quo miseris solatium
Divinitus est datum.

Responsoria

1. Benedicta, quae, delicta
Quia nescit, conquiescit
Dilecti sub umbraculo,
Est sopita, unde vita,
Quae recessit, nunc accessit
In Dei tabernaculo.

V. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit ea anima mea.*

2. Incorrupta et innupta
Joseph viro modo miro
Haec virgo desponsatur.
Ipsi soli, a quo poli
Inflectuntur et reguntur
Illaesa conservatur.

V. O castae matris
felix dignatio, sese
Terris inclinat
hac mediante polus.

3. Anna, gaude, Joachim, plaude.
Sint cognati Deo grati
Virginique tantae.
Nam huic soli vestrae proli
Nulla talis est aequalis
Reperta post et ante.

V. In titulo ejus
citharizent omnia caeli
Organa, caelestis
musica ludet ei.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Est virgo aeternaliter
A Deo praedestinata
Hodie temporaliter
Hoc in templo praesentata.

2. Ut semper et totum
Sit Deo mancipatum,
Est hoc virginis votum
Caelitus dedicatum.

3. Haec hominum adspectibus
Licet virgo auferatur,
Virtutum in profectibus
Cum angelis conversatur.

Responsoria.

1. Joachim justus parens,
Cum prole foret carens,
Per Isachar pontificem
In templo est despectus,
A Deo sed electus,
Nunc fructum fert multiplicem.

V. Anna sancta peperit
Natam sanctiorem,
Sed nata de se genuit
Omnibus majorem.

2. Infertur annis teneris,
Quo fiat cuncti generis
Virtutibus imbuta,
Temporis curriculo
Dei adminiculo
Literas adsecuta.
V. Haec est, quae complevit
Prophetiae veritatem
Omnemque delevit
[Peccati] pravitatem.

3. In scripturis sub figuris
Percunctatur ac miratur
Virginem parituram,
De quo certa, mox experta,
Dum consensit, intus sensit
Se Deum genituram.
V. Quomodo fiet, inquiens,
Cum virum non cognoverim,
Sed Deo pure serviens
Castitatem voverim.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In templo praesentatur
Induta jam decore,
Quo ejus collocatur
Nunc sedes in honore.

2. Salutis sunt initia
In templo praelibata,
Cum Deo in laetitia
Haec servit illibata.

3. Ad te de luce vigilat
Stella matutina,
Maria, quae nos dirigat
Servans a ruina.

4. Benedicite Domini,
Tot virgines et tantae,
Conjunctus qui est homini
Virgine mediante.

5. Laudet omnis creatura
Deum indefessa,
Cum mater Dei futura
Templum est ingressa.

Ad Benedictus.

A. Virgo in castitate
Et munditia
Hoc in templo habitavit,
Ubi in sanctitate
Et justitia
Coram ipso ministravit.
Quae in necessitate
Et tristitia
Nunc sedentes relevavit,
Dum plena veritate
Atque gratia
Nobis viam generavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Qui exaltasti humiles
Deponisque potentes,
Nos miseros et fragiles
Humiliter poscentes
Mariae pro clementia
Misericors exaudi,
Ut tua in praesentia
Caeli jungamur laudi.

Brev. Verdense imp. s. l. 1480. — In 1. Noct. R 2, 2 applicatum. — In 2. Noct. R 2, 3 Huic virgo. — In 3. Noct. R 3, 7 fiet istud. — Hiezu die Hymnen: Exultando, mater, gaude (Anal. XXIII, 64); Jam dies redit annua (Anal. XI, 45). Laeto plaudat obsequio (Anal. XI, 45).

29. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Accedunt laudes virginis
Admirandae indaginis
Noviter promulgatae,
En, visitat Elisabeth
Maria mater ipsamet
Coelica probitate.

2. Divo repletur munere
Maria, sine murmure
Cum filium concepit,
Surrexit ab oraculo
Statim in montis calculo
Abiit et profecit.

3. Accendit ardor spiritus
Mariam tangens caelitus
De Nazareth migrando,
Mox ad montana transtulit,
Ubi tumultu caruit
Superna degustando.

4. Monstrans culmen dulcedinis
Maria sui sanguinis
Elisabeth salutat
Stantem in domo proximi,
Propinqua templo Domini
Devote subministrat.

5. Charisma sancti spiritus
Diffudit se divinitus
In puerum, cum sensit
Conceptum salutiferum
Mariae sibi obvium,
Elisabeth consensit.

Ad Magnificat.

A. Acceleratur ratio
In puero nondum nato,
Instinctu sacri pneumatis
Divinitus sic dato,
Novit praesentem Dominum
In virgine clam latentem,
Adoravit cum jubilo
Ad servulum venientem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Reginam caeli Mariam
concorditer adoremus,
Quae visitans Elisabeth
spem contulit, ut laudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. De caelo velut radius
Descendens sacer spiritus
Elisabeth intravit,
Mox benedictam virginem
Sanctitatis propaginem
Prophetice clamavit.

2. Inter turmas femineas
Et sanctarum excubias
Maria collaudatur
Propter fructum, qui nascitur,
Quo jure mundus emitur
Et plene visitatur.

3. Vocat hanc matrem nomine
Domini primo famine
Elisabeth vi superna,
Quod fuit clausum aliis
In velatis mysteriis,
Notitia interna.

Responsoria.

1. Surgens Maria gravida
Migravit per cacumina
In civitatem Judae,
Intravit domum propere
Zachariae cum opere
Salutis consobrinae;
V. Ut audivit Elisabeth
Salutes mox de Nazareth,
Exclamat mirative.

2. Dixit verba prophetica
Elisabeth caelicola
De virgine Maria:

Beata est, quae credidit,
In hac fient, quae didicit
A Domino mente pia.
V. Venit ex te sanctissimus
Vocatus Dei filius,
Sicut praedixit angelus
Suae matri in via.

3. Elisabeth congratulans
Profunde se humilians
In adventu Messiae
Unde, ait, condeceat,
Quod mater Dei veniat
Ad me cum plausu viae?
V. En, felix salutatio,
Duplata exsultatio
Dabantur vi sophiae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Non fuit Christus oneri
Nec gravis moles pueri
Visceribus matris dignae,
Sed ignara de pondere
Cum corporali robore
Transsiliit benigne.

2. Transivit in itinere
Maria multum propere
Monticulos scandendo,
Evitavit lasciviam
Propter morum constantiam
Colloquia spernendo.

3. Longam viam pertransiit,
Maria montes circuit
Hilaris laborando,
Honores mundi respuit,
Devotionem tenuit
Caelica meditando.

Responsoria.

1. Maria parens filios
Plangens quaerit depositos
In scelere mortali,
Clamans clamat, ut relevet,
Manum ponit, ut sublevet,
Ne poena ruant mali.

V. Elisabeth quaesierat,
Johannem doctum noverat
De vita supernali.

2. Rosa de spinis prodiit,
Virga de Jesse floruit,
Maria visitavit,
Vis odoris diffunditur,
Tota domus perfunditur,
Gratia cum intravit.
V. Miranda salutatio,
Fit plebi gratulatio,
Quae fructum exspectavit.

3. Stella sub nube tegitur,
Maria mundo premitur
Rutilans in splendore,
Elisabeth perducitur
Ad solamen, lux spargitur
Roborans in vigore.
V. Luna soli conjungitur,
Elisabeth devolvitur
Aestuans in amore.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tunc ad sermonem virginis
Dabatur donum flaminis
Matri simul et proli,
Hic gaudebat in utero,
Haec providit de puero
Et de regina poli.

2. Adest mira credulitas
Ac virginis fecunditas
Per exemplum monstratum,
Concepit prius sterilis,
Quae vox est impossibilis
Nisi per verbum datum.

3. Fit naturae propinquius,
Quod sterili fit filius,
Quam virgo fiat praegnans,
Sed nihil impossibile
Deo nec infactibile
Per verbum suum dictans.

Responsoria.

1. Occasum virgo nesciit,
Velut lux mundo profluit
De summo fundens lumen,
Elisabeth applicuit,
Devotas sibi attrahit
De caelo pandens numen;
V. Spiritus rapit symbola
Caelestibus conformia
Tamquam aquarum flumen.

2. Thronum lucis prospexerat,
Quae ut aurora fulserat
Sole mane surgente,
Elisabeth ubi vidit
Verbaque palam protulit
Speculo suadente.
V. In Mariae praesentia
Plura patent latentia
Elisabeth dicente.

3. Elisabeth ex opere
Signorum dat pro pignore
Mariam invocare,
Quam gratia constrinxerat
Et pietas commoverat,
Vetulam visitare.
V. Nullus diffidat hodie
Ad Mariam confluere
Sibique supplicare.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sacra dedit eloquia
Maria responsoria
Elisabeth laudanti,
Clamavit Deo canticum
Magnificando Dominum
De sursum bonum danti.

2. Tunc exsultavit animus,
Cum ipsius sit filius
Angelo nuntiante,
Ancilla Dei credidit,
Confessum verbum genuit
Maria supplicante.

3. Vera humiliatio
Fuit Christi conceptio
Deo respiciente,
Ex hoc laudabunt singuli
Mariam matrem saeculi
Ipsamet sic dicente.

4. Magna perfecit Dominus
In Mariae virtutibus
Deum concipiendo,
Fit mater plena gratiae
Et impetratrix veniae
Omnibus miserendo.

5. Maria tribus mensibus
Quasi stetit laboribus
Elisabeth subdendo,
Conferebat de angelo
Et verborum mysterio,
Quae protulit salutando;
Mutum audivit eloqui
Et prophetias Domini
In Christo declarando,
Plura vidit de puero
Mirabili ab utero
Praecursorem vocando;
Facta post reverentia
Reversa est ad propria
Maria contemplando.

Ad Benedictus.

A. Adjutrix visitatio
Et frequens ministratio
Elisabeth oblata
Mariam dent propitiam
Ad impetrandam gratiam,
Cum fuerit vocata.
Nam mater est, ecclesiae
Fluctuantis naviculae
Subditos gubernando,
Promptos suo regimini
Dirigentique flamini
Devotos visitando.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jesu, redemptor optime,
Ad Mariam nos imprime,
Ut mundi advocata,

Pari forma nos visitet
Sicut fecit Elisabeth
Per summam pietatem
Mores et actus dirigat
Et ad caelos alliciat
Per gratiam collatam.

Antiph. ms. Cranenburgense s. n. saec. 15. A. — Brev. ms. S. Floriani XI 477. saec. 14. add. saec. 15. B. — Antiph. ms. Raigradense $\frac{F}{K}$ I a 2 anni 1397. C. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pragen. XIII A 5 b. add. saec. 15. D. — Brev. ms. Scotorum Vindobonen. 50 f 29. saec. 15. E. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Laurentian. Aedil. 116. F. — Brev. ms. Lingonense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 15. G. — Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobonian. 676. H. — Cod. Darmstadien. (Miscell.) 1021. saec. 15. in. I. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1481. K. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1517. L. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1525. M. — Brev. Eistettense imp. s. l. et a. N. — Brev. Spirense imp. Venetiis 1509. O.

Dasselbe Officium findet sich aufser zahllosen andern in folgenden Quellen: Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. — Brev. ms. Estense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 17294. — Brev. ms. Vasatense (?) saec. 15. Cod. Cantabrigen. Kk. VI 49. — Brev. ms. Alphonsi, regis Portugalliae, anni 1484. Cod. Cantabrigen. Mm V 21. — Antiph. ms. Oesteeclonense anni 1498. Cod. Coll. S. Barbarae Gandaven. s. n. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5 a. — Brev. ms. Augustinianum saec. 15. Cod. Chigian. D IV 58. — Brev. ms. Humiliatorum saec 15. Cod. Vatican. 9217. — Brev. ms. Praedicatt. Wirceburgen. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1813. — Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 122. — Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 55. — Brev. ms. S. Bonifatii Fulden. saec. 15. Cod. Fulden. Aa 81. — Antiph. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 94. — Brev. ms. Farfense anni 1499. Cod. Roman. 294 (Farfen. 16). — Brev. ms. Farfense saec. 15. Cod. Roman. 180 (Farfen. 21). — Brev. ms. Matthiae Corvini anni 1487. Cod. Vatican. Urbin. 112. — Brev. ms. Spirense saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 514. — Brev. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 523. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Barberin. XI 7. — Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — Brev. ms. Augustinianum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 15. — Brev. ms. S. Clarae Neapolitanae saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). add. saec. 15. — Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. — Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Angelicus D V 10. — Brev. ms. Leonis papae X. saec. 15/16. Cod. Laurentian. Pl. XVII. 1. — Brev. ms. Pisanum anni 1473. Cod. Laurentian. Palat. 8. — Brev. ms. Bituricense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 51. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Capit. Lucen. 612. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2676. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Senen. F VIII 9. — Brev. ms. Romanum anni 1453. Cod. Senen. F VII 5. — Brev. ms. Augustinianum saec. 15. Cod. Senen. F VII 4. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Senen. F VIII 8. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 256. — Brev. ms. Frisingense anni 1479. Cod. Mutinen. X H 1. — Brev. ms. Augustinianum anni 1469. Cod. Londinen. Add. 16891. — Brev. ms. Marchthalense saec. 14. Cod. Stuttgartien. 1 b 107. add. saec. 15. — Brev. ms. Ultrajectinum saec. 15. Cod. Hagen. AA 123. — Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 18. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 215. — Brev. ms. Carmelit. Jerosol. saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 187. — Brev. ms. Franciscan. Neapolitan. saec. 15. Cod. Taurinen. K III 24. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Univ. Januen. A V 12. — Brev. ms. Tarvisinum saec. 15. Cod. Capit. Tarvisin. I 16. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 80. — Antiph. ms. Beronense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 729. —

Brev. ms. Engelbergense saec. 15. Cod. Engelbergen. 306. — Brev. ms. Franciscanum saec. 13. Cod. Capit. Toletani 33—16. add. saec. 15. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Univ. Valentin. 90—4—35. — Brev. ms. Barcinonense saec. 15. Cod. Capit. Vicen. CIX. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Scorialen. a III 6. — Brev. ms. Brixiense saec. 15. Cod. Scorialen. b III 20. — Brev. ms. Braccarense saec. 15. Cod. Scorialen. e IV 10. — Brev. ms. Calagurritanum saec. 15. Cod. Salmanticen. 186. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1988. saec. 15. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1908. saec. 15. — Brev. ms. Eistettense saec. 15. Cod. Eistetten. 2 122. — Brev. ms. Wiesensteigense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1 Fol. 178. — Brev. ms. Augiense saec. 15. Cod. Carolsruhan. Augien. CCLXII. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. 4711. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 511. — Brev. ms. Augustinianum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 544. — Brev. ms Wirceburgense saec 15. Cod. Vatican. Palat. 525. — Brev. ms. Card. Caraffae saec. 15. Cod. Vatican. 3515. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. 4752. — Brev. ms. Parentinum saec. 15. Cod. Univ. Patavin. 446. — Diurn. ms. Ultrajectinum saec. 15. Cod. Hagen. 6170 — Antiph. ms. Ultrajectinum saec. 12/13. Cod. Ultrajectin. 407 add. saec. 15. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 136. — Brev. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. IV° 30. — Brev. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 15. Cod. Gotingan. 238. — Cod. Wernigeroden. Zn. 22. saec. 15.

Brev. Wormatiense imp. s. l. et a. — Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1487. — Brev. Frisingense imp. Augustae 1491. — Brev. sec. consultudinem domus hospitalis Hierosolymitani S. Johannis imp. s. l. 1495. — Brev. Herifordense imp. Rotomagi 1505. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. — Brev. Corisopitense imp. 1500. — Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. — Brev. Ultrajectinum imp. Gudae 1508. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. — Brev. Paderbornense imp. Lipsiae 1513. — Brev. Ultrajectinum imp. in Schonhoven 1495. — Brev. Plocense imp. 15**. — Brev. Aversanum imp. s. l. 1499. — Brev. Capuanum imp. Capuae 1489. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1505. — Brev. Morinense imp. Parisiis 1488. — Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534. — Brev. Braccarense imp. Salmanticae 1511. — Brev. Braccarense imp. Salmanticae 1512. — Brev. Barcinonense imp. Barcinonae 1540. — Brev. Oscense et Jaccense imp. Caesaraugustae 1505. — Brev. Majoricense imp. Venetiis 1506. — Brev. S. Mariae de Mercede imp. Barcinonae 1560. — Brev. Sigenense imp. Caesaraugustae 1547. — Brev. Granatense imp. Granatae 1506. — Brev. Pataviense imp. Venetiis 1508. — Brev. Eistettense imp. Eistett 1484. — Brev. Romanum imp. Papiae 1494. — Viaticus Hildesheimen. imp. Lipsiae. 1516.

C hat folgende Notiz in rubro: „Explicit historia de visitatione sanctae Mariae, quam composuit dominus Adam Cardinalis et doctor sacrae theologiae, confirmata per Bonifacium papam nonum, quae singulis annis in ipso festo occurrente debet cantari sub anathemate . Solummodo cantus . Alia autem per totum de praecedenti historia."

I hat folgende Aufschrift manu saec. 15: „Reverendissimus dominus Cardinalis Adam Anglicus, tituli S. Caeciliae, composuit hanc historiam."

H: „Incipit officium Visitationis beatae Mariae virginis, approbatum per Dominum Bonifacium papam nonum, et cantatur juxta cantum beati Francisci."

O fol. 608 b: „Cum quidem historia de visitatione beatae virginis supra 475 annotata propter ineptam, qua abundat, compositionem multamque barbariem a doctis non probatur, ideoque Reverendus in Christo pater et dominus Philippus, Spirensis episcopus, sequentem, ex evangelio sumptam, passus est imprimi et a clero suo sub praefata festivitate et ejus octava inter horas

orandum canonicas eandem legi.“ Folgt das Officium Jensteins „Exsurgens autem.“

In 1. Vesp. **A** 2, 6 perfecit B. — **A** 3, 1 Accedit A. — B hat statt des gebräuchlichen Occasum virgo nesciit (vgl. Noct. 3 R 1) das Resp.:

R. O praeclara stella maris,
Virgo mater singularis,
Quae cognatam visitasti,
Johannem illuminasti
Prole praeclarissima,

V. Te precamur in hoc festo,
Sis solamen omni maesto,
Fuga mortem,
Confer sortem
Nobis in caeli patria.

In 1. Noct. **R** 1, 2 Migravit per montanea K. — In 2. Noct. **R** 1, 7 sqq. sind in B also verändert:

Elisabeth, cum senserat
Mariam salutantem,
Johannem doctum noverat
Per Christum gratulantem.

In 3. Noct. **A** 2, 3 monstratur B. — **A** 2, 6 datur B. — **A** 3, 6 fehlt B. — **R** 1, 7 rapit sibila A. — **R** 2, 3 mane splendente B. — In Laud. **A** 3, 2 Fuit Mariae visitatio D. — **A** 3, 3 Deo inspirante K. — FGN u. a. haben noch folgende **AA** in 2. Vesperis super Magnificat per Octavam:

1. Ampla fertur humilitas,
Servitutis celeritas
De virgine praegnante,
De salvatore saeculi,
Redemptore piaculi
Elisabeth orante.

2. Larga confertur gratia
Cum donorum constantia,
Major subest minori,
Ascendit in obsequium
Ac jucundum solatium
Domina praecursori.

3. Jesu mater se obtulit,
Regina caeli protulit
Ministram viliori,
Maria dat auxilium
Obstetricis, servitium
Ancillae suae thori.

4. Haec cedrus alta Libani,
Maria, mater Domini,
Ramos mire pandebat,
Cum rore sua gratia
Dabatur in familia,
Quam ipsa visitabat.

5. De quibus testes protulit
Pro secreto, quod latuit,
De verbo incarnato,
Ipsum primo monstraverat,
Christum, quem exspectaverat
De ventre matris grato.

6. Laeta dolens praeficitur,
Moerens plaudens ostenditur,
Juvenis fit de sene,
Cum pervenit de Nazareth
Maria ad Elisabeth
Hanc visitans amore.

Zu diesem Officium gehören die ebenfalls von Adam Easton verfafsten Hymnen In Vesp.: In Mariam vitae viam (Morel 87, Milchsack I, 33); ad Noct.: O Christi mater caelica (Mone II, 118); in Laud.: De sacro tabernaculo (Mone II, 116). — Vgl. Dreves, Die Hymnen Johanns von Jenstein S. 23 ff. Morel S. 87 ff. Blätter für Hymnologie 1889, 120 ff. A. Ciaconius, Vitae et Regestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium II, 648 sq.

30. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Collaetentur
corda fidelium,
Virgo mater
concepto filio
Scandit montes,
ut duplex gaudium
Geminetur
in matrum gremio;
Nam, dum habet
salvator obvium

Vatem, implet
sancto tripudio,
Sic utraque
mater per filium
Docta cantat,
quae dictat unctio.

B. Virga Jesse jam floruit
Repleta sacro flamine,
Sursum ire nos docuit,
Dum montium cacumine
Transito domum petiit
Zachariae cum lumine.

V. Sol in sole
refulgens domina
Prophetarum
accendit lumina.

Ad Magnificat.

A. Magnificat altissimum
Virgo facto miraculo,
Aroma suavissimum
Gerens in ventris loculo,
Dum canticum dulcissimum
Pio profert oraculo
Sermonemque gratissimum
Fideli praestat populo.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Latentem in virgine
Christum adoremus
Mentisque dulcedine
Matri jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore infantium
Matres illustrantur,
Sicque patri omnium
Laudes cumulantur.

2. Ponit tabernaculum
Dominus in sole,
Dum aufert piaculum
Virginis cum prole.

3. Dominus, rex gloriae,
Dominus virtutum,
Vatem facit hodie
Virginis ad nutum.

Responsoria.

1. Mundum vocans
ad partum virginis
Hora coenae
plasmator hominis,
Vatem mittit
de ventre sterilis
Similem angelis.

V. Haec narrat angelus,
et virgo credidit,
Quam mittens Dominus
prophetam edidit.

2. Datum signum
de cana sterili
Tam est gratum
Mariae virgini,
Quod ad montem
pergit cum humili
Gressu et utili.

V. Sic festina
sterilem visitat,
Verbo verbum
pandens, quod latitat.

3. Verbum patris
postquam concipitur
In Maria,
prius ostenditur
Praecursori,
dum virgo loquitur,
Sic caelum panditur.

V. Ventris alvo
verbum absconditum
Per os matris
mundo fit pandidum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In labiis virginis
Gratia diffusa,
Fit in ventre sterilis
Gratia infusa.

2. Cum impetus flaminis
Virginem sanctificat
Cursu sacri fluminis
Prophetam laetificat.

3. Gloriosa dicimus
De te, porta caeli,
Teque benedicimus
Cum mente fideli.

Responsoria.

1. Paupertatis
humanae pallio
Decoratum
dominum gloriae
Recognoscit
dictante filio
Veterana
sterilis hodie:
V. Unde mihi,
quod ad me veniat
Dei mater,
ut mihi serviat?

2. Fulget sponsus ecclesiae
In thalamo virgineo,
Cantat cantum laetitiae
De tanto consanguineo
Elisabeth, cum hodie
Se jungit caeli cuneo.
V. Benedicit cum angelis
Fructum et vitem pariter,
Quibus fit nobis miseris
Solamen integraliter.

3. Granum, quod vitae moriens
Fructum afferre venerat,
In alvo matris oriens
Antiquam stupefecerat,
Hinc clamitat exsiliens:
Beata, quae crediderat;
V. Plena, inquit,
Deo et homine,
Cuncta cernens
in plenitudine.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Canticum novum Domino
Cantat plena gratia,
Dum dato legi termino
Nova prodit mysteria.

2. Gaudet mons Sion hodie,
In quo vita ostenditur,
Exsultent inde filiae,
Dum virgo magna loquitur.

3. Qui fecit mirabilia,
Novum dictavit canticum,
Quod virgo laudabilia
Per verba facit pandidum.

Responsoria.

1. Felix virgo,
cujus oraculo
Dona magna
panduntur saeculo,
Dei plena
magno miraculo,
Clausa piaculo.
V. Ex ubertate dogmatum
Fontes signat charismatum.

2. Ascendenti
ad montem virgini
Et cantanti
canticum Domini
Vates plaudunt,
qui Christi nomini
Dant honorem
et summo culmini;
V. Per hanc cernunt
luctum praeteritum
Commutatum
in cantum inclitum.

3. O spem miram, quam dedisti
Decantando humilibus,
Dum ancillam te dixisti
Et beatam prae omnibus,
Praesta, mater, ut nos Christi
Fruamur adspectibus.

V. Quae tam magna cecinisti
Tibi conlata largiter,
Nos a morte salvans tristi
Christo junge feliciter.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum Deus ex virgine
Induit decorem,
A te foetus feminae
Suscipit valorem.

2. In conspectu Domini
Puer exsultabat,
Ex quo mater virgini
Cantans prophetabat.

3. Fructum vitae protulit
Terra virginalis
Populique attulit
Laudes generalis.

4. Benedicens, benedicta,
Benedic benedicentes,
Nobis, cantrix, cantum dicta
Et fac tecum concinentes.

5. Omnis spiritus auscultet
Decantantem virginem,
Secum plaudat et exsultet
Laudans Deum hominem.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Emmanuel,
Qui visitavit hominem
Et redemptionem Israel
Per visitantem virginem
Intimavit praecursori,
Cum salute humili
Unde laudes salvatori
Clamantur et sterili.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virago perinclita,
De qua vir summus sumitur,
Humilitate praedita,
Dum Deus in te clauditur,
Montana velut subdita
Petis, et lumen oritur,
Hinc clausa pandit abdita,
Et infans clausus loquitur
Secreta caeli condita,
Verusque sol detegitur.

Per Octavam.

Invitatorium.

Ascendentem dominam
Montem sociemus
Et latentem Dominum
Christum adoremus.

Ad Benedictus.

A. Visitavit Dominus
Plebem Israelis,
Dum per matrem virginem,
Gravidam de caelis,
Genitricem visitat
Prophetae fidelis.

Ad Magnificat.

A. Exsultavit spiritus
Sterilis et nati,
Dum verbi divinitus
Mariae donati
Vis per vocem virginis
Infunditur vati.

Brev. ms. Praedicatorum Vindobonen. s. n. saec. 15. A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Constantien. 1393. B. — Brev. ms. Altenhonaviense saec. 15. Clm. Monacen. 2905. C. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Clm. Monacen. 23163. D. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Burdigalen. 77. E. — Offic. ms. Brundusina saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 358. F. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Colonien. 104. add. saec. 15. G. — Antiph. ms. Salemitanum saec. 13. Cod. Heidelbergen. X 6 b. add. saec. 15. H.

Ferner: Brev. ms. Praedicatorum Neapolitan. saec. 14. Cod. Neapolitan. VI F 6. add. saec. 15. — Brev. ms. Praedicatorum Cremonen. anni 1467.

Cod. Casanaten. B. VI 5 (1182). — Brev. ms. S. Marci Florent. saec. 15. Cod. Florentin. Conv. sup. I. IV. 17. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2685. — Brev. ms. Praedicatorum Venet. saec. 15. Cod. Capit. Patavini B. 60. — Brev. ms. Monasticum saec. 14. Cod. Engelbergen. 101. add. saec. 15. — Brev. ms. Rhenoviense anni 1519. Cod. Turicen. Rhen. III. — Brev. ms. Rhenoviense anni 1484. Cod. Turicen. Rhen. LX. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. in. Cod. Aaraugien. M 5 q. add. saec. 15. — Brev. ms. Murense saec. 14. Cod. Aaraugien. M 1 q. add. saec. 15. — Brev. ms. Interlacense saec. 15. Cod. Bernen. B 524. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Solodoren. s. n. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Solodoren. s. n. — Brev. ms. Compostellanum saec. 15. Cod. Capit. Compostellani s. n. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Bambergen. Ed VII 3. — Brev. ms. S. Sepulchri Bambergen. saec. 15. Cod. Maihingen. II 1 4° 39. — Antiph. ms. Praedicatorum in Stetten saec. 15. Cod. Sigmaringen. 32. — Brev. ms. Praedicatorum Phorcenen. anni 1407. Cod. Stuttgartien. 1 b 46. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Pm. 38. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Dresden. A 314.

In 1. Vesperis. Super Ps. **A**, 15 Doctat A. — Diese **A** sowie das folgende **R** fehlen F. — **R**, 1 jam fehlt A. — Ibid. 5 Transacto B. — Ibid. 7 sola B. — Ad Magn. **A**, 6 Pie A. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Martyres E; illustrantium A. — **A** 1, 3 Sicque patrimonium A. — **A** 1, 4 cumulantium. — **A** 2, 3 Cum fehlt A. — **R** 2, 11 quod pandens A. — In 2. Noct. **A** 2, 2 fluminis A. — **A** 2, 3 flaminis A. — **R** 1, 7 Veteratam A. — **R** 2, 3 canticum A. — In 3. Noct. **R** 2, 1 Ascendentem A. — **R** 2, 2 virginem A. — **R** 2, 5 plaudit A. — **R** 2, 12 canticum ABF. — In Laud. **A** 2, 3 mater Domini A. — **A** 3, 4 Laudes gratialis A. — 4, 3 canticum ABF. — Per Octavam **AA** fehlen F. — Zu diesem Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp. Magnae dies laetitiae (Mone II, 114); ad. Noct.: Lingua pangat et cor tangat (Mone II, 120); ad Laudes: Hymnum festivae gloriae (Mone II, 118). — Eine andere Handschrift (s. n.) des Wiener Dominikanerklosters vom Jahre 1462 enthält die Notiz: Iste magister [Raimundus a Capua] sepultus est in Nuremberga. Et ipse compilavit historiam de visitatione matris Dei et legendam sanctae Katharinae de Senis, cujus fuit confessor.

31. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Candida plebs fidelium,
Cordis extolle jubilis
Festum, quo visitatur
Elisabeth hospitium,
Dum scandit virgo nobilis
Montem, in quo locatur.

2. Testis aeterni veritas
Virginem movit quaerere
Consortem Zachariae,
Amisit jura tarditas
Nec valuit retrahere
Gressus almae Mariae.

3. Intrat virgo cubiculum
Salve dicens hilariter
Cognatae jam fecundae,
Mox factum est miraculum
Infans exsultat granditer
Vocis flatu jucundae.

4. Mater infantis loquitur
Aeterni matrem numinis
Mariam protestando,
Beatum carmen promitur
Sacri pulsu spiraminis
Ambos magnificando.

5. O felix visitatio,
Per quam matrique filio
Munera dantur alta,
Illa prophetat subito,
Repletur iste gaudio
In aede carnis arta.

Ad Magnificat.

A. Omnis causata bonitas
Beatam dono gloriae
Voce Mariam valida
Nitatur exlamare.
Quam celebris humilitas,
Pius dulcor clementiae,
Caritas movet fervida
Parentem visitare.
Quarum virtutum gratia
Suae mentis spiraculum
Ante datorem luminum
Expressit exsultare.
Sicque sumpta fiducia
Sacrum dictavit canticum,
Quo plasmatorem Dominum
Docet magnificare.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Actio matris virginis
Devote recolatur,
Qua salutatur sterilis
Et infans jucundatur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sterilis per prodigium
Mariae demonstratur,
Quod verbum patris unicum
Ex ipsa generatur.
2. Virgo sine formidine
Nuntio causatoris
Cognatae de propagine
Fidem praebet honoris.
3. Fidei claret mansio
In virgine beata,
Dum ad parentem scansio
Sumitur mente grata.

Responsoria.

1. Pium mentis viaticum
Fides initiavit,
Inceptae viae medium
Spes firma sociavit,
V. Triplex ergo principium
Mariae theologicum
Progressum consummavit.
2. Parentem pluris temporis
Devote visitari,
Ferentem pondus germinis
Attente consolari,
Lex dictat gratitudinis,
Quam libet imitari;
V. Hoc actu sacrae virginis
Agnata sui generis
Noscitur confirmari.
3. Haec ampliat jejunia
Precibus commitata,
Sacra studet eloquia
Virtutibus ornata,
Cuncta spernit eloquia
Sordibus copulata.
V. Dum stat in arta curia,
Haec virginum collegia
Virgo docet sacrata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maria docet studium
Servare pietatis,
Dum gravidae triclinium
Visitat ipsa gratis.
2. Castum cum prole praemium
Parenti monstrat ratum,
Cum Dei patris filium
Suum declarat natum.
3. Humilitatis regulam
Monet cunctos amare,
Dum sui nati famulam
Inquirit honorare.

Responsoria.

1. Doctrina clamat physica:
Prima mentis notitia
A sensu generatur;
Mariae docet regula:
Vulgaris haec peritia
Non semper approbatur.

V. Hoc monstrat clausi gratia,
Qui prius sapientia
Quam sensu decoratur.

2. Totalis virtus feminae,
Ut suae donet plantulae,
Non habet potestatem,
Colendi regem gloriae
Beatae cultu latriae
Ante nativitatem;
V. Istud mater clementiae
Dono complevit gratiae
Suam per caritatem.

3. Quis ortum vidit proprium
Succedere tripudio
Concessae voluntatis?
Hoc physis negat studium,
Quod tamen firmat actio
Beatae castitatis;
V. Johannes docet gaudium,
Dum clauditur in utero
Maternae facultatis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Descendit Dei nuntius,
Ut jussa revelaret,
Ascendit virgo protinus,
Ut visa nuntiaret.

2. Turbatur sensus virginis
Angeli dictione,
Solatur fructus sterilis
Mariae lectione.

3. Corpus auctoris physicum
Angelus declaravit,
Sed corpus virgo mysticum
Signat, dum salutavit.

Responsoria.

1. Quaerens uti
parentis agmine
Virgo lumen
sumpsit prudentiae,
Simul ferens
cum fortitudine
Castum cultum
et vas justitiae,
V. Iter pandit hoc supernum
Festum firmans hodiernum.

2. Gemina salutatio,
Quam mutua dilectio
Parentum operatur,
Terminum plenum gaudio
Procuret plebis animo,
Quo festum veneratur.
V. Hoc Christus in judicio
Pensato matris merito
Psallenti largiatur.

3. In hujus festi gaudio
Docetur congruenter,
Quod duplex salutatio
A turbis reverenter
Colitur absque taedio
Cum jubilo ferventer,
V. Mariae desiderio,
Elisabeth suspirio
Compleatur libenter.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Circa matris viaticum
Reperiet modestia
Devoti viatoris,
Quod omnium spirituum
Complevit ministeria
Genitrix conditoris.

2. Ferventi complet gaudio
Seraphicum officium
Affectus virginalis,
Hoc probat visitatio,
Expressa per indicium
Amplexus parentalis.

3. A virginali facie
Cherubica limpiditas
Procedere notatur,
Cum signis multifarie
Latens per ipsam veritas
Cognatae revelatur.

4. Clara thronorum ratio
Affectum sanctae virginis
Redditur luminose,
Dum firmat absque dubio
Fidem in mente sterilis
De Christo vigorose.

5. Laudetur matris actio,
Per quam patris potentia
Signatur evidenter,
Aeterni verbi notio
Et spiritus clementia
Panduntur consequenter.

Ad Benedictus.

A. Maternum jus deificum
Cum pietatis opere
Gradum praefert dominicum,
Comitem providentiae
Respectum causaturae,
Potestas eminentiae,
Ob quam parentem sequitur,
Libram ferens justitiae,
Per quam hostem aggreditur
Humanae plasmaturae.
Istud virtutum opera
Sequi per actum virginis
Probatur, cum ad supera
Levatur mater hominis
Aeternae genituraе.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Principum altum solium
In te, Maria, nascitur,
Dum regem portas omnium
Ad oppidum parentis;
Archangelorum studium
Per te, Maria, panditur,
Cum salvum facis cuneum
Prolis atque gignentis;
Angelicum officium
A te, Maria, sumitur,
Dum visitas hospitium
In alto quiescentis,
Tuum ergo praesidium
Populo fer, qui premitur,
Ut tuum cernat filium,
Verbum cuncta cernentis.

Brev. ms. Franciscanum anni 1474. Cod. Hilarien. CXII. A. — Brev. ms. Romano-Franciscanum anni 1471. Cod. Rossian. s. n. B. — Brev. ms. S. Crucis Augustanae saec. 15. Clm. Monacen. 4116. C. — Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. D. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 760. E. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin 1064. F. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2872. G. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Roman. 1476. Sessor. 69. H. — Brev. ms. Franciscanum saec. 13. Cod. Senen. F VIII 1. add. saec. 15. I. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Trivulzian. 516. K. — Brev. ms. Placentinum saec. 14. Cod. Capit. Placent. 18. add. saec. 15. L. — Brev. ms. Placentinum saec. 15. Cod. Capit. Placent. 19. M. — Brev. ms. Minorum Bergamen. saec. 15. Cod. Capit. Patav. A 69. N. — Antiph. ms. Sedunense anni 1319. Cod. Valerien. s. n. add. saec. 15. O. — Brev. ms. S. Mariae in Augia saec. 15. Cod. Lucernen. 13 (50). P. — Brev. ms. S. Mariae in Augia saec. 14 et 15. Cod. Lucernen. 106 (35). Q. — Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. OO. SS. Scapusien. 100. R. — Brev. ms. Dertusanum saec. 15. Cod. Capit. Dertus. s. n. S. — Brev. ms. Franciscanum saec. 14. Cod. Matriten. Bb. 166. add. saec. 15. T. — Noct. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Bambergen. Ed VII 11. U. — Brev. ms. Fratrum S. Clementis in Urbe saec. 15. Cod. Taurinen. E VI 46. V. — Diurn. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Pragen. VII H 8. W. — Diurn. ms. Hermetisvillanum saec. 15. Cod. Griesen. 56. X. — Brev. Sedunense imp. s. l. et a. Y. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. Z.

In 1. Vesp. **A** 2, 6 almus B. — **A** 3, 5 gnaditer A. — **A** 5, 6 orta B. — Ad Magn. **A**, 13 sumpta fehlt B. — In 1. Noct. **R** 2, 5 Ad agnatam sui generis AB. — **R** 3, 6 Consortio sordibus copulata A. — In 2. Noct. **A** 2, 2 Parienti monstratur ratum AB. — **A** 2, 3 Cum fehlt AB. — **R** 1, 1 Hoc

trina clamat A. — R 1, 5 Vulgariter haec A, vulga haec BD. — R 1, 6 semper fehlt ABD. — R 2, 5 Gratiae cultu A. — In 3. Noct. R 2, 9 Psallentium AB. — R 3, 4 Ad turbis A. — R 3, 9 Completur AB. — In Laud. A 1, 4 omni spiritus B. — A 3, 3 procedere A. — Ad Bened. A, 1 Mater jus deificum X, Maternis deificum B. — Ibid. 2 praebet B. — Ibid. 4 praesidentiae A. — Ibid. 5 causative X. — Ibid. 7. Hoc apparenter sequitur B; ob hoc, sequitur fehlen A. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 1 Principium. — Hiezu die Hymnen: In 1. Vesp. In Mariam vitae viam (Morel 87) oder: Salve sponsa Dei (Anal. XI, 49); ad Noct.: O Christi mater coelica (Mone II, 118) oder: Sator aeternus tempore statuto (Anal. XI, 49); ad Laudes: De sacro tabernaculo (Mone II, 116) oder: Ingressa domum placide (Anal. XII, 60); in 2. Vesp. Mens elevetur mira contemplando (Anal. XII, 60).

32. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Devota visitatio
   Benignae matris Dei
   Festiva consolatio
   Praesentis fit diei.
2. Lilium convallium
   Fragrans in odorem
   Ornat iter montium
   Caeli ferens florem.
3. Paradisus caelicum
   Fructum afferebat,
   Gravidae qui filium
   Gaudio replebat.
4. Sion matrem visita,
   Mater, et veracem
   Totius Jerusalem
   Pone fines pacem.

Ad Magnificat.

A. Benedicta
   mater in virgine,
   Fructum ferens
   Deum in homine,
   Revelata
   sacro spiramine
   Exsultavit
   praedulci carmine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Caeli reginam gloriae,
Venite, adoremus,
Matrem misericordiae
Devote invocemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cuncta pater filio
   Virginis subjecit
   Ex infantis gaudio
   Laudemque perfecit.
2. Sol in tabernaculo
   Solis illucescit,
   Sponsus dum in thalamo
   Sponsae requiescit.
3. Rore caeli germinans
   Terra salvatorem
   Reficit quaerentium
   Generationem.
4. Regi stans ad dexteram
   Variis regina,
   Vide, regis filia,
   Aurem et inclina.
5. Dei tabernaculum,
   Quod sanctificavit,
   Ex te laeti impetus
   Fluminis manavit.
6. Lucerna vero lumine
   Resplenduit accensa,
   Quo nostra dragma perditae
   Naturae est inventa.

Responsoria.

1. Elisabeth ut virgini
   Senectus praesentatur,
   Salute plena populi
   Salutat, amplexatur,

Intacta mater sterili
Matri congratulatur.
V. In sacris claustris viscerum
Praecursor puer puerum
Messiam veneratur.

2. Exsultat infans gaudiis
In spiritu Eliae,
Laeta mater praeconiis
Resultat prophetiae,
Caeli manat deliciis
Introitus Mariae,
V. Propter arcam Domini
Benedixit domui
Deus Zachariae.

3. Benedictam praedicat
Senex dicens ei:
Unde hoc, ut veniat
Ad me mater Dei,
In voce tua jubilat
Infans ventris mei;
V. Felix es, quae credidisti,
Quae dicta sunt, perficiens
In ejus signum rei.

4. Laudis cum praeconio
Culta singulari,
Summo cantat gaudio
Suo salutari
Cum pudoris litio
Parens absque pari,
V. Sola quae promeruit,
Quod tam digne debuit
Sibi modulari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Agnus Dei,
mundi salvatio,
Virginali
latebat gremio.
Demonstravit
stantem in medio
Tunc lucerna
lucens sub modio.

2. Florida sterilitas,
Senex virtuosa
De te, Dei civitas,
Dixit gloriosa.

3. Per te, mater, omnis terra
Nova cantat cantica,
Quae in te effecit Deus,
Celebrans mirifica.

4. Lux est orta ex te justo
Rectisque laetitia,
Audit Sion et laetatur
Cum Judaeae filia.

5. Ut puella salutare
Senem coepit cominus,
Missum suum salutare
Notum fecit Dominus.

6. Virgo felix
sponso eximio
Dulci promsit
epithalamio,
Et, quem carnis
vestivit lilio,
Exsultavit
mater in filio.

Responsoria.

1. Christi sanctuarium,
Decus, honor, gaudium,
Gloria cunctorum,
Tribus quasi mensibus
Consolationibus
Servit subditorum;
V. Omnis sic justitia
Decet, quam militia
Colit angelorum.

2. Digna, quam respiceret,
Cujus concupisceret,
Dominus decorem,
Quae non nisi parvulam
Se praebet ancillulam
Matris post honorem;
V. Eminens sublimitas,
Cuncta sed humilitas,
Refert in datorem.

3. Felix parens
et puerperium,

Cui adstat
Dei sacrarium,
Nequit ibi
esse periculum,
Ubi salus,
quae curat saeculum.
V. Gabrielis
juxta praesagium
Nunc est natum
multorum gaudium.

4. Summi regis
mater eximia,
Gloriosa
caelorum domina,
Caeli melos,
mundi fiducia,
Nostra clemens
audi precamina.
V. Stella maris
occasus nescia,
Placa nobis
maris certamina.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Salvatoris
conceptus panditur,
Alma virgo
divina proditur,
Benedicta
praedigna dicitur,
In qua vitae
fructus exoritur.

Responsoria.

1. Virgo, mater
misericordiae,
Senectuti
compassa gravidae,
Miserere
matris ecclesiae,
Ut in pace
lauderis placide.
V. Interemptrix
pestis haereticae,
Interemptrix
sis et schismaticae.

2. Continet in gremio
caelum terramque regentem
Virgo Dei genitrix,
proceres comitantur heriles,
Per quos orbis ovans
Christo sub principe pollet.
V. Virgo Dei genitrix,
quem totus non capit orbis,
In tua se clausit
viscera factus homo.

3. O gloriosa domina,
Excelsa super sidera,
Nec primam similem
visa es nec habere sequentem,
Sola sine exemplo
placuisti femina Christo.
V. Sola fuit mulier,
patuit qua janua leti,
Per quam vita redit,
sola fuit mulier.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Scandit montes
aurora gratiae,
Luce fulgens
supernae gloriae,
Justis solem
ferens justitiae,
Novae diem
ducit laetitiae.

2. In materno
congressu melleo
Praeco parvus
dulci virgineo
Gaudet fructu
cumbens in utero,
Puer infans
colludit puero.

3. Senex plena
divino munere.
Cernens rorem
fusum in vellere,
Ignem rubum
et non comburere,
Jesse florem
clamat florescere.
4. Salvatoris
conceptus panditur,
Alma virgo
divina proditur,
Benedicta,
praedigna dicitur,
In qua vitae
fructus exoritur.
5. Virgo Deum
extollit protinus
Et exsultat
in ea spiritus,
Quod respexit
ancillam Dominus
Altis mundi
pulsis divitibus.

Ad Benedictus.

A. Visitavit
plebis redemtio
Nos in matris
puer sacrario,
Et praeconis
functus officio
Est propheta
puer in gremio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magna virgo
sumens praeconia
De seipsa
sentit humilia,
In datorem
refundit omnia
Ipsum laudans
psalmi laetitia.

Brev. ms. Vallumbrosanum anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Lat. 168. A. — Brev. Monasticum saec. 15. Cod. Florentin. Magliabecc. Cl. 36. Cod. 6. B. — Brev. ms. Olivetanum saec. 15. Cod. Senen. F VIII 7. C. — Brev. ms. Olivetanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 9. D. — Brev. ms Olivetanum saec. 15. Cod. Musaei Januen. s. n. E. — Brev. Coelestinorum imp. Neapoli 1488. F. — Brev. Olivetanorum imp. Venetiis 1493. G. — Brev. Olivetanorum imp. Florentiae 1521. H.

In 3. Noct. Ad Cant. A, 1 sqq. Visitatio tua, Dei genitrix, gaudium annuntiavit etc. prosaisch. F. — R 2 und 3 entlehnen die Coelestiner und Olivetaner Breviere aus dem Officium Adam Eastons, R 4 ist in allen: Felix namque es sacra virgo etc. Wie dieses ist auch das R Continet in gremio dem Commune des alten römischen Breviers entlehnt. — R 2, 3 Dei genitrix fehlt A. — R 2, 4 comitantur humilem A. — R 3, 3 Quae nec primam A. — R 3, 4 visa est A. — R 3, 6 placuit virgo Christo A. — R 3, 9 rediit A. — R 3, 10 fehlt A.

33. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Levi tribus glorietur,
Aaron stirps conlaetetur,
Radix Jesse germinat,
Prole gaudeant beata,
Novitas annuntiata
Vetustatem terminat.
2. Gaude, pater Zacharia,
Mutus diffidentia,
Visitavit te Maria
Filii praesentia.

3. Elisabeth, tu laetare
Caeli tibi sedulum
Regina familiare
Praebuit obsequium.

4. Filium, quem nuntiavit
Gabriel archangelus,
Matris utero beavit
Virtus sancti spiritus.

5. Felix pater, felix vetus
Novi mater hominis,
Felix utriusque fetus
Gratiosi nominis.

R. Patriarcha, vox, propheta,
Helias missus athleta,
Lucerna, cultor eremi,
Paranymphus, limes legis,
Angelus, amicus regis,
Virgo, Baptista Domini
Praesentia gratulatur,
Matris verbo roboratur
Parvus adsistentia.

V. Praecursor regis aeterni,
Praeco judicis superni,
Doctor paenitentiae.

Ad Magnificat.

A. Orbi nova matrum digna
Sanctitatis clarent signa
Sese visitantium,
Virgo Deo fecundata,
Sterilis magnificata
Foetu prophetantium;
Respexit humilia
Deus homo virginali
Clausus alvo
Castro salvo,
Miles ventre conjugali;
Divina mater filia
Audi nos, caeli regina.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Virgo, mundi luminare,
Alvo portans salutare,
Pacem, plebis gloriam,
Salva salutationis,
Tuae visitationis
Agentes memoriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultantes occurramus
Benedictis matribus,
Salutari concinamus
Gloriam cum patribus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elisabeth fecundata
Senex stupet gravida,
Quinque menses occultata
Erubescit pavida.

2. Coadjuvante gratia
Natura senectutis,
Vicina gaudent spatia
Nova prole salutis.

3. Sic mihi fecit Dominus,
Elisabeth clamavit,
Meum respexit cominus
Opprobrium, sanavit.

Responsoria.

1. Sextum conceptus veteris
Mensem cognatae virginis
Gabriel nuntiavit,
Exemplaris oraculi
Novitate miraculi
Sermonem confirmavit.

V. Ancilla Deo credula
Omnia possibilia
Consensum inclinavit.

2. Aulae pectus virginalis
Patri consubstantialis
Filius ingreditur,
Dum consentit nuntiato
Virgo mysterio lato,
Angelus regreditur.

V. Receptus mox sideribus
Illustris verbi bajulus,
Nuntius trinitatis.

3. Mater verbo Dei feta,
Deo plena, fructu laeta
Abiit in montana,

Festinavit obsequio.
Juvenculam cum gaudio
Suscepit veterana;
V. Quam salutat virgo pie
Domum intrans Zachariae,
Reserantur arcana.

Senex agnovit Dominum,
Spiritu pater luminum
Parvulum illustravit.
V. Divina clarent germina,
Quae deitas intermina
Hominibus donavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elisabeth exclamavit
Sonora voce spiritus,
Virginem praeconizavit
Informata divinitus.
2. Et unde hoc mihi donum,
Ut mater ad me Domini
Veniat, infans ad sonum
Deo applaudit homini.
3. Rex conclusum utero
Servum sacrat prophetam,
Inter natos parvulo
Dat sanctitatis metam.

Responsoria.

1. Adventum regis Domini
Cognoscentes mysterii
Vim matres parvulorum,
Salutantes se junguntur,
Caelestium conloquuntur
Mysteria donorum.
V. Contestantur initia
Pietatis officia
Effectu gaudiorum.
2. Reparator orbis, legis,
Benedicta mater regis
Tu in mulieribus,
Carne tuus coamictus
Fructus ventris benedictus
Portatur visceribus.
V. Prophetam quae bajulavit,
Exclamando prophetavit
Divinis muneribus.
3. Recumbens rex caenaculo
Clausum ventris umbraculo
Militem visitavit,

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elisabeth, Salvatoris
Mater ad te properat,
Necessarii laboris
Nutibus obtemperat.
2. Repleta sancto spiritu
Meritis nondum nati
Exclamat: Benedicta tu,
Genitrix incarnati.
3. Conventus matrum celebris
Gaudium cumulavit,
Ventris reclusus tenebris
Prophetans exsultavit.

Responsoria.

1. Christiferam veneratur
Senex, gaudens ancillatur
Virgo seni regia,
Servus paret libens voto
Obsequio regis toto,
Mira sunt egregia.
V. Caelestis dono luminis
Ambae repletae numinis
Tenent privilegia.
2. Redemtor, mater regnantis,
Mater senis et infantis
Visitabat exordia,
Utero sanctificatus
Prophetavit nondum natus
Inter vitae primordia.
V. Parvus salutantem audit,
Voce mutus gestu plaudit
Vitae natalitia.
3. Matri senex ait Christi:
Beata, quae credidisti,
Perficientur omnia

In te, virgo benedicta,
A Domino tibi dicta
Lucis testimonia.
V. Matres, filii junguntur,
Verbis, gestibus fruuntur
Hilari praesentia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnantis mirabilia
Matribus nuntiata
Facta sunt credibilia
Populis revelata.

2. Jubilant senis atria
De salutatione,
Mater, infans et patria
In exsultatione.

3. Salutare cognoverunt
Domini in gentibus,
Abdita reseraverunt
Pater, mater, parvulus.

4. Humiles, benedicite
Matrem humilitatis,
Cum pueris concinite
Hymnum sanctificatis.

5. Collaudat omnis spiritus
Te matrem creatoris,
Visitantem humilius
Parentes praecursoris.

Ad Benedictus.

A. Aurea dies praeclara,
Te luce felici rara
Oriens illustravit,
Davidica virgo praegnans,
Rex in matre caelo regnans
Cognatam visitavit,
Salutationem clausus
Alvo sentit, movet plausus
Propheta altissimi,
Adventum sciens Domini
Plebis redemptionem.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ex utero nondum matris
Deus ante luciferum
Natus dextra sedens patris
Senis fecundat uterum.

2. Visitavit matrem domo
Virgo prius sterilem,
Cui a Deo missus homo
Datus est in sobolem.

3. Quae dicta sunt a virgine,
His parvulus laetatur,
Dei tribus origine
Salutis gloriatur.

4. Ecce, merces ventris tui,
Virgo, fructus filii,
Quo dilecti gaudent frui
Immemores exsilii.

5. Eloquium virginale
Liquefacit parvulum,
Gaudium mox prophetale
Nuntiavit Dominum.

Ad Magnificat.

A. Majestatis virgineo
Humilitas triclinio
Divinitus umbrata,
Salutis resonantia,
Spiritus redundantia
Parens adnunciata;
Exsultat matrum spiritus,
Applaudit parvo parvulus,
O felix visitatio,
Solatio magnifica,
Gratiae fons, mater Dei,
Sanctae spei, glorifica
Nos adspectu trinitatis.

Per Octavam.

Ad Magnificat.

A. Imperatrix o caelorum,
Primitias gaudiorum
Amico sponso tribuis,
Beatis precatibus
Ut nos salvet reatibus
Ora regem majestatis.

Brev. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. (ol. 62). A. — Brev. Verdense imp. s. l. 1480. B. — In 1. Vesp. A 5, 1 felix fetus A. — In 2. Vesp. Super Ps. AA fehlen A; ebenso Per Octavam ad Magn. A. — In B geht das Officium Jensteins vorher; dann folgt die Rubrik: „Item alia historia, quam approbavit episcopus Verdensis.“ — Hymnen: In 1. Vesp.: Lacto plandat obsequio A (Anal. XI, 45), Sacra solemnia recolit debita B (Anal. XXIII, 65); ad Complet.: Tenore mundus jubilat A (Anal. XI, 46), Lacto plandat obsequio B.

34. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Pueri, laudate
Pro humilitate
Virginis nunc Dominum,
Quae praegnatae beatae
Elisabeth cognatae
Visitat hospitium.

2. Collaudent Deum populi
Et virginem sequantur,
Per quam in Sion scopuli
Montium inclinantur.

3. Psallam Deo nunc ex eo,
Quod in throno similis
Cum Assuero virgo vero
Valde paret humilis.

4. Cum ramis de arboribus
De virgine fecunda
In via pro laboribus
Laus Deo sit jucunda.

5. Sion, lauda Domini
Nomen de portante
Hydriam, sed homini
Vitam propinante.

Ad Magnificat.

A. O humilitas profunda,
Virgo, Deo quae fecunda,
Vatis matrem visitat,
Ad laudandum quam jucunda
Virgo sancta, virgo munda
Salutando suscitat;
Laudis thema dat Maria,
Hinc cognatae prophetia
Salutem plaudit hominum,
Ac devota psalmodia
Laxat laudem virgo pia
Magnificando Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginem, quae visitat
Elisabeth, laudemus,
Filium, quem bajulat,
Hunc Deum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quid memor est Dominus
ejus, qui fertur in alvo,
In quod sic famulum
visitet ipse suum?

2. Hic, qui non habuit
sermonem sive loquelam,
In cunctam terram
contulit, ecce, sonum.

3. Gaudens tolle tuas,
Deus intrabit, caro, portas,
Quae montem scandit,
hunc benedicta gerit.

Responsoria.

1. Ut sol et luna
legitur de millibus una,
Cunctis praelata,
tamen est summe parata,
Exemplum praestat,
ut agamus, quae manifestat.

V. *Qui sunt hic, non commovebuntur in aeternum.*

2. Revera sacra nutibus
Vult virgo obedire,
Cum princeps stat sub manibus
Ancillae deservire.
Sic nos humiliamini
Sub forti manu Domini,
Devote obedire.

V. *Jubilate Deo, omnis terra, servite Domino in laetitia.*

3. Haec est visitatio,
Missa pro solatio
Altissimo de Sebo,
Quas cum observavero
Vitam possidebo,

V. *Notas enim mihi fecisti vias vitae.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eructat virgo virginum
Praegnantis in aure,
Quo gaudet praeconio
Clausus adhuc gremio.

2. Quam verbum petiit
altissimus hanc benedixit,
Ut virgo templum
sit benedicta suum.

3. Urbs bene fundata,
quae de te sunt bona lata,
Ut tibi sunt dicta,
perficientur ita.

Responsoria.

1. Adspiciam Mariam,
Humilitatis viam,
Pro montis exemplari
Cur differo sectari?
Cum sit ex dictis veterum
Valde salutiferum,

V. *Quod diu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo.*

2. Virgo ploranti
graditur sedare gravamen,
Se quia praegnanti
non hanc piget esse juvamen,
His innovante pia
sinatur amore Maria.

V. *Manus ejus in cophino servierunt, et panem otiosa non comedit.*

3. Perrexit ad imperium
Cuncta gubernantis
Virgo sub ministerium
Elisabeth praegnantis,
Nam qui cunctis imperat,
Haec illi praeceperat.

V. *Abiit autem cum festinatione in montana ad domum Zachariae.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A facie Domini
baptistam sanctificantis,
Ligna, exsultate,
miserere nam venit hujus.

2. A facie verbi
mons terrae se movet omnis,
Nisu quo valeat
glorificare Deum.

3. Ventris in obscuro
vates ovat iste cubili,
Dum sentit Dominum,
sicque revelat eum.

Responsoria.

1. Postquam excepit
Bathuel haec filia pergit
Ad puteum celere
gravidaeque sitim satiare
Haurit aquam vitae,
sitiens, inquit, venit ad me.

V. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*

2. Quam Assuerus sublimavit,
In thronum sede solio
Majestatis collocavit
Ancillae sub officio,
Regina ut grandaevae
Praegnanti poenis Evae
Sit prompta in servitio.

V. *Quis ignorat, quin omnia haec manus Domini fecerit?*

3. O felix humilitas,
Quae virginem rigavit,

In quam summa deitas
Aeternum verbum stravit,
Quae se cum tanta gratia
Servire prae laetitia
Cognatae mancipavit.

V. Fac,
Virgula deserti,
quod alta cedrus paradisi.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Decorem carnis induit
Ex caeli Deus rore
In virgine, quae viguit
Castissimo pudore.

2. Virgo cum laetitia
Elisabeth in Domino
Servit, quo infantia
Laetatur in gremio.

3. Dum sitivit, pertransivit
Desertam terra inviam
Ad cognatam impraegnatam,
Videre Dei gloriam.

4. Virginis humilitate
Benedicant Dominum
Caelum, terra, quae praegnatae
Venit ad servitium.

5. Omnes una cum Maria
Christo demus gloriam,
Quem laudemus nunc in via,
Ut ducat ad patriam.

Brev. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A XII. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Per quam in artion scopuli. — Ad Magn. **A**, 1 O ergänzt. — In 1. Noct. **R** 1, 8 commovebitur. — R 2, 3 virgo fehlt. — In 2. Noct. **R** 2, 2 graditur se vere gravam. — **R** 2, 3 Sero quia praegnanti. — In 3. Noct. **A** 1, 4 venit hunc. — **A** 2, 2 mons ferrei se movet omni. — **A** 2, 3 Nisa quo valeat. — **A** 3, 1 Ventris in obstenso. — **R** 1, 1 Lies concepit? — **R** 2, 5 ut grand; aevae fehlt. — Ad Benedictus und Magnif. in 2. Vesp. **AA** prosaisch.

35. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Mariam missus caelitus
Cum salutasset angelus,
Festina montes adiit,
Elisabeth salutavit.

2. Adventum summi judicis
Praeco clausus in utero
Cognovit, quem post indicis
Demonstravit obsequio.

3. Beata Dei genitrix,
Maria, decus virginum,
Cognatae suae obstetrix
Fit regem portans omnium.

4. Nova condens et vetera
Demonstrantur in virgine,
Johannes per initia
Cognitus saluberrima.

5. Praecursor laudat Dominum,
Dominus implet servulum
Spiritu sapientiae
Atque intelligentiae.

R. Granum quod vitae moriens
Fructum afferre venerat.
In alvo matris oriens
Antiquum stupefecerat.
Hinc clamat exsiliens
Beatam, quae crediderat.

V. Plena, inquit,
Deo et homine,
Cuncta cernens
in plenitudine.

Ad Magnificat.

A. Tu templum summae trinitatis,
Maria, virgo virginum,
Quae gestas lumen veritatis,
Regem regum altissimum;

Memor tuae humilitatis,
Quod Elisabeth visitasti,
Cohaeredes fac nos beatis,
Nato mundum tu reparasti.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Turbulentos laetos fecit,
Ventre clausum dum reficit
Johannem nato inclito,
Benedicta mater Dei,
Larga datrix sanctae spei
Et solamen misero.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Quem virginalis uterus
Super montana vexit,
Nunc adoretur Dominus
Jesus, qui nos dilexit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regali ex progenie
Mater procedens Domini,
Plena divino munere
Verbo fulget altissimi.

2. Parens verbi Dominici
Verbo fuso laetificat
Matrem vatis mirifici,
Quam ad montana visitat.

3. Ferax est terra Domini
Venter sacratae virginis,
Qui thesaurum fert homini
Nostrae parem imaginis.

Responsoria.

1. Speciosas filias
Tractantes divitias
Mater transcendit Domini
Thesauro ventris gravidi;
V. Benedictus iste fructus,
Fructus gaudii non luctus,
Fructus dulcoris intimi.

2. Modo inaestimabili
Sol lunam inlustravit,
Maria cursu agili
Dum montes visitavit,
Gaudet puer in utero
Clausus Christo praesente
Elisabeth Christiferam
Manibus complectente.
V. Verbum protulit suave
Cognatae intrans in conclave
Superni mater filii.

3. Vox implevit vatis mentem,
Mentem lumen sitientem,
Christus se ponens praesentem
Illi, sol justitiae;
Matres laetantur ad tactum
Divinum tractantes pactum
Salutationibus.
V. Virga sicca germen dedit,
Virgo angelo dum credit,
Maria plena gratia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cordis cantent tripudio
Chori hic militantium
Carmen nato virgineo,
Nam vates laudat Dominum.

2. Torrens sacrati fluminis
Urbem Dei laetificat,
Maria dum vi numinis
Ore Deum magnificat.

3. Mundus exsultat flebilis
Laudes persolvens Domino,
Alvus dum tumet virginis
Sine viri contagio.

Responsoria.

1. Concurrunt sacri uteri,
Laude exsultat celebri
Johannes de praesentia
Regis, qui fecit omnia;
V. Verbum patris altissimi
Mentem implevit servuli.

2. Miranda omni saeculo,
Stupenda quoque populo
Conveniunt insignia,
Dum Maria humillima
Vatis matrem laetificat,
Se ipsam beatificat.

V. Jesus noster, Jesus bonus
Piae matris pium onus
Fecit haec magnalia.

R. Secreta caeli transcendit
Mater Christi, dum ascendit
Montana gressu agili,
Ventre clausum reseravit
Et Johanni demonstravit
Verbum patris altissimi;
Quod vates ut conspexit,
Mentis oculum direxit
In salvatorem saeculi.

V. Cognatarum tunc ad tactum
Claret verbum caro factum
Insigni miraculo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantemus laudis canticum
Christo suavi jubilo,
Quem vates novit Dominum
Clausus in matris utero.

2. Exsultet terra propere,
Multae laetentur insulae,
En, rore sanctus spiritus
Nubem replevit caelitus.

3. Immenso gaudet jubilo
Infans matris in utero,
Maria dum altissimo
Hunc visitavit filio.

Responsoria.

1. Exsultat clausus utero
Johannes plenus spiritu
Adveniente Domino,
Qui mundum ab interitu
Descenderat salvaturus,
Morte vitam mercaturus.

V. Cognatam dum visitat
Caelestis regina.
Dominum magnificat
Plena gratia divina.

2. Tunc refulsit lumen clarum
In convalle tenebrarum,
Dum munus tot gratiarum
Prodiit divinitus;
Ex te, virtutum regina,
Quae Elisabeth festina
Tuis honoras gressibus,

V. Dulcis emanavit rivus
Mellis cum stillicidio.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Haec caelestia arcana
Sunt devote celebranda,
Mater Christi dum montana
Adit, virgo veneranda.

2. Elisabeth ait piae
Matri Domini Mariae:
Unde mihi, quod me adisti,
Prolis mater adorandae?

3. Beata, quae oboedisti
Angelo et credidisti
Deo, cuncta implebuntur,
Quae ab eo promittuntur.

4. Benedicant creaturae
Infantem virginis purae,
Mentem sui praecursoris,
Quod implet favo amoris.

5. Caelum, terra atque mare
Decet nunc symphonizare
Jubilo dulcis carminis
In laudem tantae virginis.

Ad Benedictus.

A. Clausus ineffabiliter
Puer tripudiabat,
Maria dum Elisabeth
Devote salutabat,
Montana plausu nimio
Cuncta jucundabantur,
Dum Johanne mysteria
Divina vulgabantur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praeparata ab aeterno
Mater Dei filio

Elisabeth salutavit
Vocis cum tripudio,
Cujus puer ventre clausus
Mox plenus sancto spiritu
Mirabiles gessit plausus
De summi regis aditu.

Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I ℵ 3 saec. 15. — In 1. Noct. **R** 3, 9 credidit. — In 3. Noct. **A** 2, 3 spiritus sanctus. — Nach dem zweiten **R** folgt als drittes: O praeclara stella maris aus dem Officium Eastons und hierauf der Tropus: Mater Christi veneranda aus dem Officium Jensteins. — Hymnen: In 1. Vesp.: Magnae dies laetitiae (Mone II, 114); ad Complet.: Hymnum festivae gloriae (Mone II, 118); ad Noct.: Lingua pangat (Mone II, 120); ad Laud.: Hinc exsurgit et assurgit, ein Teil des vorigen.

36. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sacerdos novae gratiae
Et rex aeternae gloriae,
Superni patris natus,
Sanctorum in splendoribus
Ex virginis visceribus
Est nobis incarnatus.

2. O praeclara virginitas,
Ecce, tua sterilitas
Deletur per Mariam,
En, multae prolis fertilis
Fit virgo mater humilis,
Dum generat Messiam.

3. Eva peccans viventium
In hac valle miseriae
Fit mater miserorum,
Sed tu, Maria, omnium,
Qui vivent vita gloriae,
Es mater salvandorum.

4. Evae salus promittitur,
Quod mulier sub pedibus
Terat caput serpentis,
In te, virgo, perficitur
Istud, hostis dum fraudibus
Resistitur furentis.

5. Dum Gabriel annuntiat
Et virgo fidem reserat,
Tunc verbum incarnatur,
Laeta mater tripudiat,
Ad Elisabeth properat
Ut cum ipsa loquatur.

Ad Magnificat.

A. O mater omnis gratiae,
Maria, spes laetitiae,
In tua praesentia
Tristes consolantur;
Cognatam dum visitas,
Hanc lustrat nova claritas,
Deique mysteria
Sibi revelantur.
Laeta Deum magnificas
Teque ancillam replicas
Christum novem mensibus
In ventre portando,
Nos afflictos visita
Et mortuos resuscita
Sanctum flamen mentibus
Nostris inspirando.

Ad Matutinum.

Inivitatorium.

Mater Dei, nos visita
Delens nostrum reatum,
Nos ad psallendum excita
Ostendens tuum natum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore sanctae feminae
Mariae laus ornatur,
Hanc pro divino germine
Benedictam testatur.

2. Rex suum tabernaculum
In virgine locavit
Et ad salvandum saeculum
Ut gigas exsultavit.

3. Portas, quas Eva clauserat
Hosti consentiendo,
Virgo Maria reserat
Gabrieli credendo.

Responsoria.

1. Virgo prudens infantiam
Virtutibus ornavit,
Mox ut Dei notitiam
Intelligens captavit,
Per summam diligentiam
Ipsum timens amavit.
V. Ab omni munda vitio
Creatoris servitio
Se totam coaptavit.

2. Ut aurora progrediens
In fide perlustratur,
Luna defectum nesciens
In mundo conversatur,
Procedens ut sol oriens
Divina contemplatur;
V. Virtutibus proficiens,
Inter adversa patiens
Ad alta sublimatur.

3. Virginitatem voverat
Se semper servaturam,
Nec per Joseph, cui nupserat,
Se timet amissuram,
In Deum, quem dilexerat,
Spem jactat atque curam.
V. Optat, ut serva fieret
Matris Dei, dum legeret
Virginem parituram.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In virginali thalamo,
Dum Christus incarnatur,
Tunc sancti flatus calamo
Verbum abbreviatur.

2. O civitas refugii,
Qua Christus habitavit,
Te ros caelestis fluvii
Fecundus irrigavit.

3. Natus homo de virgine
Deus, qui nos creavit,
Caeli cives in sanguine
Suo nos consecravit.

Responsoria.

1. Virgo respondet nuntio:
Ecce, ancilla Domini;
Responsum o quam gratum!
Mox fecundatur filio,
Deus junctus est homini,
Fit verbum incarnatum.
V. Sic datur benedictio
Sanctorum patrum semini,
Complentur verba vatum.

2. Postquam Christum conceperat,
Ad Elisabeth properat
Et prior salutavit,
Mox ad Christi praesentiam
Johannes sensit gratiam
Et clausus exsultavit.
V. In auribus ecclesiae
Vox tua sonet hodie,
O nata regis David.

3. Alvus tumescit virginis,
Dum Christum novem mensibus
Virum perfectum gestat.
Ex dono sancti flaminis
Nec taedio nec tristibus
Infans illam molestat;
V. Nox instat novi luminis,
Dum angelus pastoribus
Messiam manifestat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Congratulemur virgini,
Quae parit sine poena,
Pax nuntiatur homini,
Refulget lux amoena.

2. Per lac Mariae virginis,
Quod, Jesu rex, suxisti,
Dele flammam libidinis
In nostra carne tristi.

3. Dum magis et pastoribus
Se Jesus revelavit,
Cor virginis cum laudibus
Haec verba conservavit.

Responsoria.

1. Dum virgo flexis genibus
Devotis staret precibus
Suspensa contemplando,
Sine dolore parvulum
Mox parit intra stabulum,
Quem levat salutando:
V. Mi fili, bene venias,
Mi tibi Deus gratias,
Dicamus collaudando.

2. Innixa super filium
Et affluens divitiis
In caelum exaltaris,
Te chorus caeli civium
Circumdat rosis, liliis,
Sic virgo coronaris.
V. Cunctis creatis praesidens
Et summo throno residens
Nos semper tuearis.

3. Festina, ne tardaveris,
Veni, succurre miseris,
O potens imperatrix,
Expugna vires hostium,
Sis ad te fugientium
Servorum propugnatrix;
V. Pro nobis in judicio
Responde tuo filio,
O dulcis mediatrix.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adstans a dextris filio,
Laudis induta pallio,
O mundi advocata,
Ad unitatis gratiam
Fluctuantem ecclesiam
Reduc cum prece grata.

2. O dispensatrix gratiae,
Regina caeli curiae,
Velata sponsa Dei,
Nos ut Johannem visita
Et leva nostra capita
In plausum sanctae spei.

3. Pretiosis monilibus
Ornata prae doloribus,
Pro nato quos tulisti,
Nos, virgo, fac recolere
Et in corde revolvere
Poenas et crucem Christi.

4. Te benedicunt sidera
Et cuncta Dei opera,
O virgo benedicta,
In tuo datur filio
Promissa benedictio
. . . . . .

5. Dum dubitarent singuli
In morte Christi populi,
Tu fidem tenuisti,
Hinc regnare per omnia,
Et coronari gloria
Prae cunctis meruisti.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Emanuel,
Qui visitavit hominem
Et redemptionem Israel
Per visitantem virginem
Intimavit praecursori,
Cum salute humili
Unde laudes salvatori
Clamantur a sterili.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virago perinclita,
De qua vir summus sumitur,

Humilitate praedita,
Dum Deus in te clauditur,
Montana velut subdita
Petis, et lumen oritur;
Hinc cana pandit abdita,
Et infans clausus loquitur
Secreta caeli condita,
Verusque sol detegitur.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — In 1. Noct. R 2, 3 pro Joseph. — In 2. Noct. R 1, 8 patrum senum. — In 3. Noct. R 3, 9 O fehlt. — In 2. Vesp. A, 4 Deus fehlt. — Hiezu die Hymnen: In 1. Vesp.: Dum patrum exspectatio (Klemming II, 164); ad Noct.: Sub medio silentio (Ibid. 166); ad Laudes: Aurora fulgens radiat (Ibid. 173).

37. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Aeterni patris filius
Mariam concupivit
De sanctorum splendoribus
In matrem introivit.
2. Lilium convallium
Fraglans in odorem
Iter ornat montium
Ferens caeli florem.
3. Paradisus caelicum
Fructum afferebat,
Gravidae qui puerum
Gaudio replebat.
4. Lucernam veri luminis
Dominus accendit,
Quo dragmam nostram perditam
Salvans apprehendit.
5. Conforta, mater, filios
Simul et veracem
Totius Hierusalem
Ponens fines pacem.

Ad Magnificat.

A. Psalterio decachordo
Psallit virgo regia,
Dominum magnificando,
Qui fecit magnalia;
Pellens potentes de sede
Divina justitia
Servos humiles exaltans
Ex misericordia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Reginam caeli gloriae
Devote collaudemus,
Matrem misericordiae,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pater matris filio
Singula subjecit,
Ex infantis gaudio
Laudem quae perfecit.
2. Sol in tabernaculo
Solus illucescit,
Dum sponsus in thalamo
Sponsae requiescit.
3. Haec est terra Domini,
Quam ipse fundavit
Germineque filii
Sui fecundavit.

Responsoria.

1. Elisabeth ut virgini
Senectus praesentatur,
Hanc voce venerabili
Salutat, amplexatur,
Intacta mater sterili
Matri congratulatur.
V. In sacris claustris viscerum
Praecursor puer puerum
Messiam protestatur.
2. Exsultat infans gaudiis
In spiritu Eliae,
Cujus mater mirabilis
Fit compos prophetiae,
Caeli manat deliciis
Introitus Mariae.

V. Propter arcam Domini
Benedixit domui
Deus Zachariae.

3. Benedictam praedicat
Senex portam spei,
Unde hoc, ut veniat
Ad me mater Dei,
Te loquente jubilat
Infans ventris mei;

V. Beata, quae credidisti,
Perficientur, quae audisti,
Ecce, signum rei.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stat in regis dextera
Gloriae regina,
Vide, regis filia,
Et aurem inclina.

2. Dei tabernaculum,
Quod ipse sacravit,
Ex te vitae fluvium
Cunctis derivavit.

3. Florida sterilitas,
Senex virtuosa,
De te, Dei civitas,
Dixit gloriosa.

Responsoria.

1. Laudis cum praeconio
Cultu singulari
Laetabatur cantico
Suo salutari
Cum pudoris lilio
Parens absque pari,

V. Nam debet ab omnibus
Generationibus
Beatificari.

2. Christi sanctuarium,
Spiritus sacrarium,
Mater pietatis,
Praegnanti solatium,
Cognatae subsidium
Administrat gratis,

V. Sic Maria nobilis
Formam vere singulis
Dat humilitatis.

3. Digna, quam respiceret,
Cujus concupisceret
Dominus decorem,
Se velut pauperculam
Praebet et ancillulam
Post matris honorem;

V. Nam virgo Christifera
Gratiarum munera
Refert in datorem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Per te, mater, omnis terra
cantat nova cantica
Laudans, quae perfecit Deus,
in te mirabilia.

2. Per te lux est orta justis
et rectis laetitia,
Sion, audit et laetatur
cum Judaeae filia.

3. Dum coepit virgo salutare
senem piis vocibus,
Missum suum salutare
notum fecit Dominus.

Responsoria.

1. Felix parens
et puerperium.
Quibus adest
regina virginum,
Ibi nequit
esse periculum,
Ubi salus,
quae curat saeculum;

V. Gabrielis
juxta praesagium
Tunc est natum
multorum gaudium.

2. Gloriosa
caelorum domina,
Sponsa regis
et mater inclita,
Caeli melos,
mundi fiducia,
Nostra clemens
audi precamina;

V. Stella maris
occasus nescia
Placa nobis
mundi certamina.

3. Regalis stirpis virginem
Ob sui pulchritudinem
Rex summus adamavit,
Clandestinum connubium
Infans per matris uterum
Exsultans revelavit.

V. Joseph, noli metuere,
Quod natum est a conjuge,
De spiritu manavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Scandit montes
aurora gratiae
Luce fulgens
caelestis gloriae.
Justis ferens
solem justitiae
Diem monstrat
novae laetitiae.

2. In concursu
matrum cum gaudio
Praeco parvus
carens eloquio,
Servus regem
noscens in utero,
Puer infans
colludit puero.

3. Senex plena
caelesti munere
Rorem fusum
cernens in vellere,
Flammam ignis
rubum non urere,
Jesse virgam
clamat florescere.

4. Salvatoris
conceptus panditur,
Virgo pura
mater efficitur,
Benedicta
praedigne dicitur,
In qua vitae
fructus exoritur.

5. Mater pia,
plena virtutibus,
Deum laudat
fervore spiritus
Ipsi psallens
cum laetis vocibus,
Quod respexit
ancillam Dominus.

Ad Benedictus.

A. Redemptor rex Israel
venit in virgine,
Repletur Elisabeth
sacro spiramine,
Prophetat puerulus
in rerum ordine,
Miranda fit novitas,
laus tibi, Domine.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultat virgo virginum
in Deo salutari,
Confortans semen Abrahae
gratia singulari,
Quod patribus promissum est,
in fide regulari,
Verbum de caelo missum est
in radio solari.

Brev. Eboracense imp. Parisiis 1526. A. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. B. — In 1. Vesp. R Exsultet infans gaudiis etc. — Ad Magn. A, 1 In psalterio B. — Ibid. 8. Ex fehlt. B. — In 2. Noct. A 1, 3 huc inclina B. — Hymnen: In 1. Vesp.: Festum matris gloriosae (Daniel I, 310); ad Noct.: Mundi salus adfutura (Daniel I, 311); ad Laud.: O salutaris fulgens stella maris (Anal. XI, 48). — Vgl. das Officium Devota visitatio.

38. De Visitatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Properavit virgo mater,
Ducit hanc supernus pater
Visitare sterilem.
2. Haec via ibat levigata
Fructu ventris impraegnata
In montana veniens.
3. Jam subiit domum hilarem
Elisabeth, quam sterilem
Fecundavit Dominus.
4. Laetus infans exsultavit,
Clausus ventre jubilavit
Johannes suo Domino.
5. Ille venit nuntiare
Toti mundo salutare,
Jesum Dei filium.

R. Veni, decus virginum,
Veni, manna dulcissimum,
Ostende patrocinium
Nobis ferens auxilium;
V. Clausus Johannes utero
Mira promit cum jubilo
Praesentiens mysterium.

Ad Magnificat.

A. Patent magna sed stupenda,
Anus clamat: o miranda,
Unde hoc meo nomini
Potuit esse datum,
Ut me mater Domini
Veniat visitatum.

Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Visitavit
Virgo uxorem,
Salutavit
Junior seniorem.

Ad Nunc dimittis.

A. Ad me venit
Mater salvatoris,
Qui me fecit
Sui matrem praecursoris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus,
Cujus matrem sociemus
Visitantem sterilem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postquam virgo salutatur,
Conceptura nuntiatur
Hunc, cui salutis est nomen
Et admirabile numen.
2. Visitavit virgo mater
Matrem fecundosam,
Quam fecundavit Deus pater,
Cujus caeli enarrant gloriam.
3. Certum est testimonium
Virgini beatae
Dato sibi indicio
Elisabeth cognatae,
Cui fructum dat altissimus
Orbis terrarum Dominus.

Responsoria.

1. Ave cum dixit angelus
Virgini beatae,
Admirans illa obstupuit
Saluti visitatae,
Quia modum nescit,
quo foret salutata;
V. Referentis angeli sermone
Virgo est turbata.
2. Cor titubans eloquium
Confirmat testimonium
Datum sibi per angelum
Per Elisabeth senium;
V. Haec dum in sermonis
turbatur eloquio,
Miro confortatur
et vero testimonio.
3. Jucundata est Maria
Fide structa spiritali,
Quam nunquam deseruit,

Sed firmius radicavit
Sibi dato senio
Elisabeth testimonio.
V. Ea, quae dicta
Sunt per angelum,
Ut pareret Dei filium,
Missus demonstrat clarius.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cordis laudem jubilosam
Virgo mater promulgavit,
Cum salutat pie annosam,
Dulce verbum eructavit.
2. Re congaudet facta mater
Sterilis in senium,
Adesse noscens nostris malis
Deum virtutis et refugium.
3. Infans iste, quem concepi
Praeconem tui filii,
Exsultavit, ut percepi,
In voce matris Domini,
Quae mons est et fundamentum
Firmae nostrae fidei.

Responsoria.

1. Plena virgo gratia
Spiritus superni,
Filio jam gravida
Patris sempiterni,
Certa surgit de nuntio,
Ut in montana properet,
Et summo cum tripudio
Cognatam senem visitet.
V. Incedit virgo, mater salvatoris,
Nullo gravata pondere,
Sed onere
Leviata pudoris.
2. Superna petit, quae concepit
Verbum, Dei filium,
Laeta pro voto mysticum
Nobis praebens auxilium,
Ut celsa virtutum convallibus
Quaeramus et lilium;
V. Fide, spe et caritate
Virgo gressus dirigens
Pergit, sua sanctitate
Exemplum nobis exhibens.
3. O gloriosa domina,
Excelsa supra sidera,
Tu nam fecunda sterilem
Puellaque vetulam
Dignata es visitare,
Ut castitatis habitum
Monstrares per obsequium
Humilitatis.
V. Patet, ut quo
virgo sit castior,
Eo decet,
ut sit humilior.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Visitanti limina
Vetulae cognatae
Laudem cum matre Domini
Domino cantate.
2. Per tres menses Elisabeth
Maria visitavit,
In qua Jesus de Nazareth
Rex Dominus regnavit.
3. Vale, virgo sacratissima,
Et plus quam speciosissima,
Tu gloriosa filia,
Novum cantans exordium
Inclinasti Dominum,
Qui fecit mirabilia.

Responsoria.

1. Venit praegnans ad praegnantem
Virgo, sed non ad virginem,
Latens sentit latitantem,
Rex visitavit militem,
Illa vocem sentit
Virginis beatae,
Clausus ille mysterium
Domini probatae.
V. Salutem ut intulit
virgo facta mater,

Mira sentit sterilis
et infans in veritate.

2. Matrem sanctificat filius
Ante conceptionem,
Sterilem replet paraclitus
Post impraegnationem,
Nam sancto docta spiritu
Anus prophetat virgini
Dans benedictionem:

V. Benedicta tu a Domino
In generatione,
Quia tu credens angelo
Portans salvationem.

3. Ecce, vere beata,
Quae nec primam similem
Visa est nec habere sequentem,
Quia sola sine exemplo
Placuit virgo Christo;

V. Sacerdote praestantior
Summum per amorem,
Cunctis virgo constantior
Correxit errorem.

3. Ad Deum de luce vigilans,
Qui te fecit gloriosam,
Hinc te praedicant beatam
Omnes gentes gratiosam.

4. Benedicite opera
Vestro cuncta Domino,
Nam humiles, qui magna fecit,
Virginis erexit in praeconio.

5. Lauda tu de caelis,
Filia Sion, Dominum,
Qui misereri memorans
Se tibi dedit filium.

Ad Benedictus.

A. Super es summa, beata,
Quae credidisti, domina,
Angelo nuntiata,
Summe secreta, femina,
Quae sibi dixit Dominus
Plebem suam visitans,
Tuus benedictus filius.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Magnificavit Dominum
Maria, virgo beata,
Quae decorem regnans induit
Eidem sociata.

2. Tuus exsultavit spiritus
In Deo salutari,
Cui omnis terra jubilet
Laetitia singulari.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laeta pro voto surgens
Ut stella matutina,
In montana progreditur,
Ipsa virgo festina,
Quae dum Elisabeth salutat
In domo Zachariae,
Johannes infans jubilat
Fructu ventris Mariae.

Brev. ms. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — In 1. Vesp. **A** 2, 2 Fructu ergänzt. — In 1. Noct. **R** 1, 7 Reserentis. — In 2. Noct. **A** 3, 3 et percepi. — **R** 3, 10 castior virgo sit. — In 3. Noct. **R** 3, 2 sqq. Cfr. Sedulius, Carm. Pasch. II, 68 sqq. — Die zu diesem Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XX.

39. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O Maria stans sub cruce
Triumphante Christo duce
Per mortem turpissimam,
Corde martyr exstitisti,
Anceps ensis, quem sensisti,
Tuam transit animam;
Dolor cessit, cum surrexit,
Nobis vitae spem porrexit
Praesidens in gloria;

Fac nos, virgo, suae mortis
Et tui doloris fortis
Fervere memoria.

Ad Magnificat.

A. Jesu, nate de virgine
Sine virili semine,
Qui mortem crucis pateris,
Suffossus plagis asperis
Amore matris anxiae,
Nostrae parcas miseriae,
Ac ejus fletus copia
Nos ducat ad caelestia.

Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Clara fides ecclesiae
Repulso omni errore
Sola fuit in virgine
Sepulto Christi corpore.

Ad Nunc dimittis.

A. Morte Christi consummata
Mater fide roborata
Redditur aequanimis,
Natum sciens surrecturum
Et cum patre fruiturum
Sedibus potissimis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cum Maria virgine,
Venite, ploremus
Ac in cruce positum
Jesum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quando Christus vulneratur,
Palmis foedis flagellatur,
Strictus flagris plurimis,
Virgo corde lacessita,
Quasi foret sine vita,
Corruit exanimis.

2. Extra castra ductus Jesus,
Vinctus, sputus, pugnis caesus,
Crucem fert in publicum,
Mater sequens agnum mitem,
Repraesentans Sunamitem,
Natum deflet unicum.

3. Calvum rident Elisaeum,
Jesum nudum verum Deum
Illudebant aemuli,
Dum sic natum dehonestant,
Dolorosae commolestant
Matris mentem stimuli.

Responsoria.

1. Tamquam latro capitur
Deus homo Christus,
Caeditur, conspuitur,
Alapis afflictus,
Fere mater moritur,
Obaudiens ictus,
V. Dum cruci affigitur
Et clavis confoditur,
Virginis genitus.

2. Aeterni patris filius
Spinis pungi tolerabat,
Et ejus matris animus
Flere amare amabat,
Gladiabatur cor ejus,
Quia amare dolebat,
V. Cruciata singultibus,
Fatigata ploratibus
Pedibus stare nequibat.

3. Christus carne tenerrimus
Nudus affigitur cruci
Et se dixit derelictus:
Heli, lama sabacthani?
Magnus dolor matris ejus
Extra non potest effundi.
V. Inter latrones positus
Atque aceto potatus
Moritur filius Dei.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quis matris martyrium
Posset lingua fari,

Cum sentiret in cruce
Filium clavari.

2. Doloris tunc gladius
Pertransivit cor tuum,
O mater benedicta,
Dum plenum livoribus
Vidisti tuum natum
Tensum in cruce alta.

3. O quam flebilis eventus
Quamque est amara hora,
Qua moritur filius
Intuente matre cara,
Quae sic torquetur amplius,
Nulla valens obsequia
Nato dare nisi luctus.

Responsoria.

1. Sicut spina rosae florem
Non immutat vel odorem,
Quin crescat vicinius,
Ita, virgo, tuam mentem
Cunctis donis redolentem
Furor fugit obvius;
Immo videns flagellari
Et in cruce conclavari
Tuum unigenitum,
Patienter sufferebas
Et constanter requirebas
Dextrae Dei digitum;
V. Confer opem tuam prece,
Ne mundi prosperitas
Nos excaecet sua faece
Vel premat adversitas.

2. Color formosus mutatur,
Heu, in mortis pallorem,
Dum in terram miratur
Sacrum fluere cruorem;
V. Poena mater
torquetur immensa,
Hinc lamenta,
illinc suspiria.

3. Innocens et expers criminis
Moritur misertus hominis,
Cum simus causa suplicii,
Simus et maeroris socii,
Virginis matris et filii
Nos urgent amoris stimuli.
V. Recolamus cum lacrimis
Tristitiam genitricis
Gratiam petentes geniti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus crucis in ambone
Constitutus et agone
Septem verba protulit,
Mater praesens tribulata
Tam patrata quam prolata
Secum silens contulit.

2. O virgo, quo tormento
Torquebatur cor tuum,
Dum audisti Dominum
Dicentem: Sitio?

3. Nimis cruciabatur
Tuus spiritus,
O pia domina,
Dum moriebatur
Tuus filius
Clamans voce magna.

Responsoria.

1. Tollentibus occisum
Vobis gratias agam,
Sustinete modicum,
Ut natum meum tangam,
Complectar nunc filium,
Deosculer et plangam,
Illum saltem mortuum
Amplexibus constringam,
V. Quem crucis patibulum
Tulit in supplicium
Ad poenamque longam.

2. Haec se supra corpus jecit,
Lacrimando madefecit
Fletus unda irrigantis
Sacrum vultum filii,
Se afflixit et sic fecit
Resoluta in lamentis
Planctum unigeniti;

V. Oculi deflent virginis
Mortem Dei et hominis.

3. Cordis indicat amorem
Mater carens omni dolo
Intensumque fert languorem
Pro jacente in tumulo,
Plures movet ad maerorem
Suo luctu quaerulo;
V. Vis doloris intus latens
Vocem raucam extra mittens
Luctus pandit rigorem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Perennalis mater vitae,
Videns pungi latus mite
Militari lancea,
Maluisti sic turbari
Et cor tuum vulnerari
Cum doloris framea.

2. Squalet filii facies,
Quae est sputis inquinata,
Ejus matris species
In pallorem est mutata.

3. Horruit virginis auditus
Blasphemos audiendo,
Exasperat ejus adspectus
Paricidas videndo.

4. Mariae, almae virginis,
Oculi uberrimo
Fletu intumuerunt,
Suique membra corporis
Filii cruciatu
Viso contremuerunt.

5. Morienti dulci nato
Quamquam corde sauciato
Mater adstans flebilis,
Virginalis quisque gestus
Et te decens et modestus
Perseverat stabilis.

Ad Benedictus.

A. Christo passo mortem crucis
Ecclipsantur orbes lucis,
Solum terrae tremuit,
Disperguntur quique noti,
Oblitores sui voti,
Caritas refriguit;
Sola mater tenet fidem,
Constans docet, quod et idem
Resurget in gloria;
Verae doctrix disciplinae
Nobis donet sine fine
Perfrui laetitia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ante thronum trinitatis
Miserorum miserata,
Pia mater pietatis,
Sis pro nobis advocata,
Quae super poenis cunctis
Tui nati et aerumnis
Atque ejus infamiis
Et notorum absentia
Nec non culpae tuae gentis
In immensum es afflicta,
Ne similia sint nobis
Modo quaecunque noxia,
Merito tui doloris
Da optata remedia.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Parisin. 1305. A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Mazarin. 356 (768). B. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. C. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. D. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. E.

In 1. Vesp. Super P. **A**, 6 transiit C. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Palmis cedis flagellatur A. — **A** 3, 5 cum molestant D. — **R** 1, 6 tales ictus C. — **R** 1, 8 Dum clavis A. — **R** 1, 9 Sanctae Mariae genitus C. — **R** 2, 1 Aeterna patris filium D. — R 2 lautet in C:

R. Cum vidit supplicia prolis exquisita,
Torquetur angustia mater infinita,
Triduano spatio dum langueret ita,
Squalet ejus facies nuper tam polita.
V. Poena tam exasperans nunquam est audita,
Longe ei carior mors erat quam vita.

Auch das dritte Responsorium derselben Nocturn ist in C ein anderes:

R. Clamor Christi matrem angustiat
Nullus planctus plangentem satiat,
Est utrique summa compassio,
Nam praecessit summa dilectio.
V. Agnus mitis caput excutiens
Heli clamat in cruce moriens,
Mater virgo, cum natus moritur,
Ad clamorem fere commoritur.

In 2. Noct. **A** 1, 4 Filium clamare D. — **R** 2 lautet in C:

R. Qualem dicam, domina, poenam pertulisti,
Crucifixo Domino quando tu dixisti:
Noli me superstite solus mortem pati,
Fiat, quaeso, similis mors matris et nati:
V. Noli me relinquere, Jesu, fili bone,
Fac, ut tecum moriar tali passione.

R 3, 6 Nos urgeat stimulus amoris D. — **R** 3, 7 Recolimus C. — In 3. Noct. **A** 1, 1 sqq. O virgo quo tormento etc. C. — **A** 2, 1 sqq. Nimis cruciabatur etc. C. — **A** 3 lautet in C:

Virgo, tuum filium in cruce clavatum
Redde tuis precibus miseris placatum.

Auch die Responsorien dieser Nocturn sind in C sämtlich verschieden:

1. Consolari mater non potuit,
Sic tractatum videns, quem genuit,
Certe tantum dolorem habuit,
Quantum ille, qui tot sustinuit.
V. Mortem ejus videns, quem aluit,
Nulla mater tam multum doluit.

2. Regina clementissima,
Virgo mater Christi,
Cum videres filium,
Tuum primogenitum
Mori morte tristi,
Non suis tortoribus
Anxia fuisti,
Sed dolens et ejulans
Temet afflixisti,
V. Manus torquens acriter
Anxia flevisti,
Nil, quod esset indecens,
Improbis dixisti.

3. Cum videret, quod clauso tumulo
Tam dulci privaretur speculo,
Praedilecto stat cum discipulo,
Corde magis plorat quam oculo,
V. Fletum movit adstanti populo
Lacrimarum fluente rivulo.

In Laudibus hat C folgende fünf Antiphonen:

1. Cor nostrum ploret et oculus,
Nos pungat amoris stimulus,
Heu, mater carens contagio
Tam dulci privatur filio.

2. Fit nox nimis flebilis,
Nox nimis amara,
Quando Jesus capitur,
Ejus proles cara.

3. Stat Maria, mater pia,
Foris plorans acriter,
Regem mundi furibundi
Dum tractant tam viliter.

4. Quam putamus matris maestitiam,
Cum videret prolis angustiam,
Non est dolor ut matris virginis,
Mortem plorantis Dei et hominis.

5. Omnis aetas defleat
mortem salvatoris
Gloriosae virginis
praetextu doloris.

Die Hymnen dieses Officiums vergl. Anal. XII. Nr. 106—108.

40. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Stabat mater anxiata
Juxta crucem filii,
Poenas volvens mente grata
Simeonis gladii.

2. Vultum gessit tremebundum
Et perfusum lacrimis,
Dum respexit sitibundum
Natum in suppliciis.

3. Linquens Jesum benedicta
Triste per concambium,
Acceptavit hinc afflicta
Zebedaei filium.

4. Vidit nato dum parari
Poenas in patibulo,
Haec a novo molestari
Coepit improperio.

5. A maerore nos tuere
Crucis per ludibria,
Christe, nostri miserere
Matris per suspiria.

Ad Magnificat.

A. Planctus fundis, o Maria,
Nam doloris prophetia
Tuam transit animam,
Corde martyr es sub cruce
Triumphante Christo duce
Per mortem turpissimam;
Dolor cessit,
Lux accrescit
Crucis per memoriam,
Dum surrexit,
Spem porrexit
Ad aeternam gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voces ex praecordiis
Dulcisonas haurite,
Flentes poenam virginis,
Christicolae, venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nox insomnis ducitur,
In qua Christus patitur,
Virgo dum vigilias
Celebrat maestissimas.

2. Jesum dum discipulus
Tradit specialis,
Praeparatur gladius
Virgini poenalis.

3. A matris praesentia
Dum cessit dilectus.
Flet ex vehementia
Maternus affectus.

Responsoria.

1. Jucundare, concio,
Plausu symphoniae,
Colitur compassio,
Gemitus Mariae,
Laeta nam praeconia
Hujus philomenae
Celebrat ecclesia
Voto laudis plenae.
V. Turturis suspirium
Cur obliviscamur?
Virginis martyrium
Flentes amplectamur.

2. Hortus virens et conclusus
Emarcescit penitus,
Dum in horto fit detrusus
Matris unigenitus,
Huic oranti liquor sudit
Gravis et cruenteus,
V. Hanc lamenti fluxus udat
Tremor et virgineus.

3. Peracto concilio
Caiphae in atrio
Catenatus ducitur,
Velatus illuditur
Jesus, mundi gloria,
Salvans nos a scoria;
V. Virgo, vellus maduit
Sacrum Gedeonis,
Cor afflictum tepuit
Lacrimarum donis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mater cum intuitur,
Hora tertiarum
Natus crucifigitur
Lingulis turbarum.

2. Cruce pressum poenis fessum
Flebilis erexit,
Coronatum, purpuratum
Virgo dum respexit.

3. Virgo videns flagellari
Et in cruce conclavari
Suum primogenitum,
Patienter sufferebat
Et constanter requirebat
Dextrae Dei digitum.

Responsoria.

1. Immolandus ligna gerit,
Patri parens locum quaerit
Patriarchae filius,
Cruce Christus oneratur,
Maesta mater comitatur,
Damnatur innoxius;
V. Dum Mariam hic respexit,
Consolatur, nam dilexit
Corde quamvis anxius.

2. Virgine qui gignitur
Ingenti tripudio,
Palam crucifigitur
Summo cum ludibrio;
Inquit: Nato parcite,
Matrem crucifigite
Aut in crucis stipite
Utrosque configite.
V. Qui decorus oritur
Clara natione,
Heu, jam solus moritur
Ficta ratione.

3. Stella maris, candoris ebur,
speculum paradisi,
Fons veniae, porta
caeli, timor ast inimici,
Lapsis propitia,
caecis via, virgo Maria,
V. Ductrix caecorum
dulcis, memor esto tuorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Natus pallet, conclavatus
Diro cruciamine,
Vultus squalet madidatus
Matris in certamine.

2. Vixit ut emortua
Facie polita,
Illi mors occidua
Placet plus quam vita.

3. Quanta mirabilia
Deus patefecit,
Inter terribilia
Dum matrem refecit.

Responsoria.

1. Virgo pallent tuae genae,
Quando subdi crucis poenae
Vides unigenitum,
Spinae caput tunc contingunt,
Manus, pedes clavi stringunt
Nullum ob demeritum,
V. Te Judaei dolo cingunt
Suum ad interitum.

2. O Maria, porta vitae,
Videns pungi latus mite
Militari cuspide,
Maluisti sic turbari
Et cor tuum vulnerari
Ferro mortis trepidae,
V. Ut aeterna morte digni
Salvarentur hoc insigni
Salutari capite.

3. Diva sponsa, mater pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Fac, quod hostem superemus
Et quod Deum collaudemus,
Qui per crucem et tormenta
Hostem stravit et lamenta
Revocat in gaudium.
V. O immensam deitatem,
Quae humanam pravitatem
Sustulit per filium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ligno crucis moriturus
Hostem saevum devicturus
Cum regnaret Dominus,
Vocem audit exclamantis,
Sese patri commendantis,
Mater adstans comminus.

2. Sola cum discipulo
Percusso pastore
Adstat flens patibulo
Cordis in angore.

3. Bellum movet caritatis
Suis rex vulneribus,
Curam praestet sauciatis
Virgo cum doloribus.

4. Constitutus in agone
Septem verba protulit,
Quae revolvens ratione
Virgo secum contulit.

5. Orbis tremunt elementa
Cum dolente virgine,
Carpunt luna, sol lamenta
Christi fuso sanguine.

Ad Benedictus.

A. Christus Deus benedictus,
Dum penderet sic afflictus
Inclinato capite,
Angelorum hierarchiae
Condolentes sunt Mariae
Palam crucis stipite.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dulci nato desolato
Dum adstaret flebilis,
Decens gestus et modestus
Matri manet stabilis,
Servat fidem, donec idem
Plebi surgens indicat.
Tunc renatos patri gratos
Dominus magnificat.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. Die zum Officium gehörigen Hymnen cfr. Klemming II, 184, 186 und 190.

41. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sion sancta, gratulare,
Christi matrem venerare
Symphoniae cantico,
Nam transfixa ense diro,
Dum adstaret gestu miro
Passo carne Domino.

2. Mente, actu,
usu elimina,
Jesu, per nos
contracta crimina,
Jubilizent
ut nostra corcula
Dura tuae
parentis vulnera.

3. Sunt mucro Simeonis,
perditio duodennis,
Fuga Herodis
caput probri, virgo perennis.

4. Omnes gentes, flentes properate
Flenti Mariae hymnum cantate,
Nam sustulit ludibria
A gente nimis impia.

5. Sion et Hierusalem
Christus confortavit,
Dum in cruce nudulus
Orcum reseravit,
Jubilet altissimo
Omnis ergo natio.

R. Stella maris, candoris ebur,
speculum paradisi,
Fons veniae, caeli janua,
o virgo Maria,
Ore favus, corde
lumen, in aure melos,
V. Esto memor memorum
tuorum opprobriorum.

Ad Magnificat.

A. Matris ad filium
Nunquam erat talis
Caritatis unio,
Ut virginis regalis
Ad Jesum; probat hoc
individualis
Cognatio carnis
stolaque totalis,
Suavitas affatus,
Nullitas reatus;
Non est alter ergo talis
Sicut dolor virginalis.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Nunc dimittas, Domine,
Nos famulos in pace
Ac jugiter illumines
Caritatis face,
Ut versemus lacrimas
Mariae dolorosas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Senes et juvenes,
alacres venite,
Virginis angores
cordibus haurite,
Ferventer plorate,
Christum adorate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regalis virgo Davidis
Et mater admirabilis
Contremuit corde lugubris,
Dum datur Christus perfidis.

2. Cedit vox atque sensus,
Dum Jesus apprehensus
Nuntiatur virgini
Pro reatu populi.

3. Tractatur Dei filius
Longe latrone vilius,
Gemit, plorat mater mitis,
Crescit sibi mortis sitis.

Responsoria.

1. Sit cordis desiderium
Et comae refrigerium

Christi corona spinea,
Crux, claves atque lancea,
Acetum, fel, opprobria,
Quae tulit ipse plurima;
V. Maeroris simus socii,
Nam ejus res supplicii.

2. Virgo, tuae lacrimae
Nobis dent saporem,
Caritatis geminae
Ingerant calorem,
Ut glutinemur superis
Ira placata vindicis.
V. Sic vere caput teritur
bestiae funestae
Calce virgineo
ut prodit verbum caeleste.

3. Caiphae in atrio
Acto tunc consilio
Catenatus ducitur,
Carceri detruditur
Jesus, mundi gloria,
Trahens nos a scoria.
V. Virgo vellus maduit
sacrum Gedeonis,
Delibutum valide
lacrimarum donis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo quem genuit
Ingenti cum tripudio,
Palam crucifigitur
Summo cum ludibrio,
Sic crepunt nostra vincula
Agente Christi gratia.

2. Multa tam aspera
Cum esset inaudita,
Exoptat virgo exui
Hac labili vita.

3. Triduo squalet Mariae
Facies polita.
Messiae supplicia
Nam erant exquisita.

Responsoria.

1. Maria ut audivit
Hora tertiarum
Crucifigi Dominum
Lingulis turbarum,
Purpuratum, coronatum
Eum dum despexit,
Cruci pressum, morti datum
Plebs ut hunc evexit,
V. Imbibit tunc rosa
Rubens mortis pallorem,
Perdunt hinc caelestia
Corpora decorem.

2. Crucis trutinulae
Dum esset appensus
Ac jugi pro foedere
Christus extensus,
Trutinat ac numerat
Censum impensum,
Patrem ut leniat
Scelere offensum;
V. Tunc planxit virgo jugiter,
Ut a patratis nequiter
Purgaret efficaciter.

3. Natus pallet conclavatus,
Salutaris nobis datus.
Ait mater dolorosa:
Plebs me tolle vitiosa,
Nam medela est commori
Virgae Jesse sancto flori.
V. Turgente dolore
Non Noemi pulchra,
Mara sed amara
Juste vocitata.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quanto cruciamine
Virgo perturbatur,
Conceptus de flamine
Quando flagellatur,
Movet luctu quaerulo
Non paucos e populo.

2. Caesus ut educitur,
Populo ostenditur,
Fit mater ut emortua
Clamoris mota furia.

3. Ecce, mirabilia
Deus quanta fecit,
Dum prostratum hominem
sanguine refecit;
Pelicanus moritur,
Pullus sic reficitur.

Responsoria.

1. Gratas lacrimas,
Mater, tu fudisti,
Salsas, puras, calidas,
Fixa dum stetisti
In Golgotha colle
Ad faciem Messiae.
Supplicamus, impertire
Has nobis pie.
V. Intra cubiculum
Veri Salomonis
Refer chirographum
Relaxationis.

2. Celsior martyrum
Martyr mente stat corona
Exspirante Domino
Diei hora nona;
Sperat redempturum,
Horret moriturum,
Gerit sic contraria.
V. Gaudet victoria
Caelitus edocta,
Horret supplicium
Amore decocta.

3. Virgo, salus per te datur,
Per te hostis triumphatur,
Da, ut Deum collaudemus,
Per te hostem superemus,
Nam planctus jam in gaudium
Conversus est per filium.
V. Nobis tactu fimbriae
Mundari a peccatis
Confer ac semper refici
Melle deitatis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Diadema spineum
intulit dolorem
Reverendae virgini,
dum traxit cruorem
Messiae de vertice
regnis cariorem.

2. Pastore percusso
Gregeque disperso
Haec maerens cum discipulo
Crucis adstat patibulo.

3. Tui probri memores
Mundo moriantur,
Vivant, mater, tibi,
Ut benedicantur
Sacro ac flamine
Semper repleantur.

4. Benedicite Domino,
Omnia creata,
Exstans deserta quoque,
Ave, virgo beata.

5. O sancta theotocos,
tu interiorem
Hominem irradia,
da carni vigorem,
Collaudet ut utrumque
suum creatorem.

Ad Benedictus.

A. Aeternus Deus Israel,
Corpore afflictus,
Nobiscum ac Emanuel
Semper benedictus,
Qui tulit nos a tenebris
Cruci conclavatus,
Dum rediit ab inferis
In caelum elevatus;
Sit hyperdulia digna
Virgo benedicta,
Messiae parens benigna,
Varie afflicta.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Corpus, en, lacerum
dum virgo tractavit,
Submissum de cruce
in sinum oravit:
Dignitas regalis,
O gloria mundi,
Nunc quantum dimersa
In limum profundi!
Jam, heu, emarcuit
Ave et gaudium
Caelitus emissum
Olim per angelum,
Quaeso, jam esto
tutor tuorum,
Ne pereant
irruptu luporum.

Brev. ms. Sutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. A. — Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. B. — In 1. Vesp. A 2, 5 sq. Ut nostra jubilizent. — In 1. Noct. R 1, 3 spina B. — R 3, 8 Noema. — In 3. Noct. R 1, 4 Fixit dum B. — In Laud. A 4, 3 Exstat exserta B. — Hymnen: ad Vesp.: Adsunt probra matris (Anal. XI, 53); ad Complet.: Multo lassati crimine (Anal. XII, 63).

42. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Eja, nunc fideles Christi,
Patris verbo, matri tristi
Laudes decantemus,
Pia mente revolventes
Horum poenas et colentes
Supplices laudemus.

2. Maria Jesum detulit,
In templo ipsum obtulit,
Quis potest haec concipere?
Senex divino opere
Venit ad templum propere
Ulnis Jesum suscipere.

3. Simeon tunc prophetavit,
Dolenti matri indicavit
Futuram miseriam,
Tunc cor ejus vulneratur,
Supra modum anxiatur
Sentiens angustiam.

4. In Aegyptum, o Maria,
Transfers Jesum maesta via,
Dum angelus per somnium
Joseph sponsum admoneret,
Rex Herodes ne deleret
Salvatorem omnium.

5. Jesum amisit triduo
Mater dolore nimio,
Hinc ipsum requirebat,
Virgo tunc intravit templum,
Multis exstans in exemplum
Matri surgens parcebat.

Ad Magnificat.

A. Non me formosam
Noemi, sed dicite Maram,
Namque dolore meum
Dominus cor valde replevit,
Factaque septena
gladii sum pervia poena;
Ecce, tuam ipsius
gladius pertransiet, inquit,
Sanctam animam, Simeon
in templo, virgo Maria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum dolentem
Et matrem maerentem,
Venite, adoremus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Jesus dum nocte capitur,
Ut latro ferox rapitur,
Cor matris laceratur,
Vellunt, pellunt atrocius,
Mactant, tractant ferocius,
Maria vulneratur.

2. Verberabant divas genas
Et colaphizantes poenas
Infligunt atrocissime;
Tacet mater, dulcis natus
Quamquam male sit tractatus,
Ferebat haec maestissime.

3. Maxilla pugno caeditur,
Nec Annas mente laeditur,
Compatitur Maria;
Ad Caipham deducitur,
A longe Petrus sequitur
Gemente matre pia.

Responsoria.

1. En, pastor dum invaditur,
A Juda lupis traditur,
Ovesque fuga labant,
O virgo, tunc anxietas
Doloris et nimietas
Cor tuum perforabant.

V. *Torcular calcavi solus, et de gentibus non erat vir mecum.*

2. O mater, das suspiria,
Affligunt cor martyria,
Dum proditur sic Jesus,
Ducitur vinctus fortiter
Foedus ac sputus viliter,
Atrociter est caesus.

V. *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.*

3. Ter voces Petri illum negant,
Testesque falsa, heus, allegant,
Quae ipse fert humiliter,
Per Deum pontifex adjurat,
Nil tuum natum, mater, curat,
Sed tractant eum viliter.

V. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus.*

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Jesus Pilato traditur,
Quis videns non turbabitur,
Justus dum accusatur?
Herode lusus spernitur,
Tractus in terra sternitur,
Sic virgo desolatur.

2. Flagellis saeve caeditur,
Caput corona laeditur,
Jesum ut stultum rident,
Cum a praetore educitur
Et „ecce homo“ dicitur,
Tunc matrem flentem vident.

3. Vestimentis spoliatur,
Cruci nudus acclavatur
In monte, heu, Calvariae;
Crucifixum adspexisti,
Tuum natum dum scivisti
Torqueri, mater, varie.

4. Juxta crucem stantem
Te nobis dat genetricem,
Dum dixit Jesus:
Filius, ecce, tuus;
Hinc in discipulo:
En, tua mater.

5. Heli, linquis me? clamavit,
Sitim grandem intimavit,
Completa dicens singula;
Quantus dolor te intravit,
Dum Jesum poena cruciavit,
Mater, non dicet lingula.

Ad Benedictus.

A. Cor matris perforatur,
A sene prophetatur,
In Aegyptum fugatur,
Amissus quaeritatur,
Sub cruce oneratur,
Mater defiliatur,

In sinum collocatur,
Sepulchro commendatur;
Virginis hi septem
matris sunt, ecce, dolores.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Jesus dum cruce moritur,
Astris eclipsis oritur,
Discissa petra tremuit,
Jam templi velum scinditur,
Styx ululat, dum finditur,
Dolens pater ingemuit.

2. Miles videns tanta signa,
Verba profert laude digna:
Hic est Dei filius;
Assistentes haec videntes
Suum pectus tunc tundentes,
Plangit mater tristius.

3. Inde milites venerunt,
Crura latronum fregerunt,
Parcunt Jesu cruribus,
Quia mortuum viderunt,
Os sic non comminuerunt,
Dolet mater pluribus.

4. Manus militis extenta
Nova praestat sacramenta
Lancea aperiens
Latus Christi, sanguis fluit,
Aqua, sic lex vetus ruit,
Virgo fit ut pariens.

5. Joseph adiit Pilatum,
Corpus Jesu impetratum
Patibulo deposuit,
Ipsum mater lacrimando,
Dolorose osculando
Super sinum posuit.

Brev. Ultrajectinum imp. Gudae 1508. — Ad Noct. R 2, 5 Foedis ac sputis. — In 2. Vesp. ad Magn. A prosaisch. — Hymnen: In 1. Vesp.: Maria mater doluit (Anal. XII, 65); ad Complet.: Mariae pia viscera (Anal. XII, 66)

43. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Per amaritudines,
virgo, quas habebas,
Dum pendentem filium
in cruce videbas,
Ut abstergas, petimus,
peccatorum glebas.

R. Sancta mater Jesu Christi,
In dolore quae fuisti,
Dum in cruce elevatus
Fuit tuus dulcis natus,
Ejus quinque vulnerinis
Nos defende a ruinis,
V. Ne nos hostis trahat saevus,
Ubi dolor manet aevus.

Ad Magnificat.

A. Tibi, mundi domina,
virgo gloriosa,
Prae dolore palluit
forma speciosa,
Cum videbas filium
captum a Judaeis,
Vinctum manus, traditum
ad crucem pro reis,
Compar hinc molestiae
molestatis crede
Et pro nobis jugiter,
pia, intercede.

Ad Completorium.

R. Nos a malis subtus alis
Tuis, virgo, tegito,
Manum tende et defende
Nos cum nato inclito,
V. Ne crudelis suis telis
Hostis nos surripiat.

Ad Nunc dimittis.

A. Ut ad mortem vigilavit
Tuus natus et oravit,

Nobis, virgo, sic largire
Caute mortem praevenire,
Ut ipsius docti more
Serviamus cum timore.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

De Maria regem natum
Adoremus captivatum
Et pro nobis trucidatum.

In 1. Nocturno.

1. Nos te Deum deprecamur,
Incarnatum quem miramur,
Passum cruce veneramur.

2. Virgo, tuum sanctum natum
Scimus spinis coronatum
Et pro nobis virgizatum.

3. Cujus exstat omnis orbis,
Est pro nostris passus morbis,
Ora, virgo, hunc pro nobis.

Responsoria.

1. Ut tu, virgo, filium
Percepisti venditum
Et Judaeis scelerum
Vinctum manus traditum,
Fremuisti animo
Prae dolore nimio,
Plus quam ulla filium
Planget mater mortuum.
V. Dona nobis paenitere
Et peccata nostra flere.

2. Sine spina rubens rosa,
In virtute copiosa,
Quem ut sine genuisti,
Tum vae magno adspexisti,
Cum videbas hunc ligatum
Et praetore praesentatum;
V. Nemo valet edocere
Tuum amplum, quod habebas,
Dum videbas hunc ligatum.

3. Cum videbas filium
virgis flagellari,
Scimus, quod optaveris
tibi, virgo, dari
In tuum remissius
quod dimittereris,
Ut pro ipso verbera
in te patereris;
V. A dolore inferi
nos ferre digneris,
Tantam cum maestitiam
in te patereris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Prae cunctis hominibus
forma speciosum
Adspexisti filium
virgis sanguinosum,
Istud tuum animum
fecit dolorosum.

2. Natus tuus colaphis,
virgo, tribulatur
Tribulatos gratia
sua qui solatur,
Dum eorum precibus
pius invocatur.

3. Memor esto, domina,
vasis Babylonis,
Ut nos pie doceas
viam rationis
Propter tui filii
vulnus passionis.

Responsoria.

1. Dum coram judicio
Jesus condemnatur
Iniqua sententia,
ut crucifigatur,
Simeonis gladius
tunc evaginatur,
Ut in tuam animam,
virgo, infigatur.
V. Per quem erat Israel
morte redimendus,
Foras extra ducitur
cruce suspendendus.

2. Fletus nec non gemitus
tibi dat, Maria,
Scandens crucis arborem
tua proles pia,
Pedum atque manuum
manante cruore
Intra tuam animam
figeris dolore.
V. Nobis, virgo, filium
prece fac benignum,
Qui pro nobis tentus est
super crucis lignum.

3. Dum in ramis moritur
crucis vera vita,
Tunc tu, virgo, laederis
corde tuo ita.
Quod tibi prae fremitu
vita effugisset,
Si te tuus filius
mori permisisset.
V. Luna, sol et omnia
parant se maerere,
Planctu te miserrimo
cum videbant flere.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inter gentes, dicite,
Dominus regnavit,
Super ligno positus
vere exspiravit,
Quod, o virgo virginum,
tuum cor turbavit.

2. Nuntiarunt caelica,
virgo, tuum planctum,
Nolentes adspicere
tuum natum sanctum
Tam in cruce duriter
a Judaeis anctum.

3. Recordatur Dominus
suae pietatis,
Dum nos lavat crimine
mors humanitatis,
Quam de tuae thalamo
sumpsit castitatis.

Responsoria.

1. Nos ad crucem Domini
stamus cum honore,
Dum matri compatimur
nati prae dolore;
Tantum quod in nomine
suae passionis
Devitemus scoriam
turpis actionis,
V. Te Mariam petimus,
nostram advocatam,
Ut de prole gratiam
feras adspiratam.

Responsoria.

1. Virgo, mater Domini,
sola singularis,
Stas ad crucem filii;
tu es salutaris,
Cujus altis meritis
nullus est aequalis,
Virgo mater insimul
sola nuncuparis.
V. Nos sub capitaneis
crucis computari
Juva, mater Domini,
tuo deprecari.

2. Demus omnes gratias
nostro redemptori,
Suam qui constituit
matrem peccatori,
Ut nos tamquam filios
solens adjuvare,
Post excessus debeat
patri reformare;
Nos indignos filios
ergo, omnipia,
In extremo protege
de saevo Golia.
V. Propter tui filii
nimiam passionem
Nobis tuis servulis
da dilectionem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Virgo mater, consolare,
Tuum natum deprecare,
Ut, pro quibus captivatus,
Lavet sordes et reatus.
2. Prece placa natum reis,
Vinctum manus a Judaeis,
Ut nos solvat a peccatis
Dando regnum claritatis.
3. Natum duci cum vidisti
Ad praetorem, doluisti,
Inde tecum condolentes
Post hanc vitam fac gaudentes.
4. Pium fructum ventris tui
Praebe nobis, sponte sui
Propter nostras faeces laesum
Et flagellis dure caesum.
5. Passionem horae nonae
Natum tuum, virgo, mone,
Ut per suum sanctum fatum
Nostrum lavet hic reatum.

Ad Benedictus.

A. In domo Davidica
cornu salutare
Dedit nobis Dominus,
crucis dum altare
Prole sanctae virginis
pensa decoratur;
Haec de stirpe Davidis
nata praedicatur.
Mater, ergo poscimus
dignitatem tuam,
Qua redemit filius
morte plebem suam,
Illuc prece adjuva,
ubi conspicatur
Sua clara facies,
quae conspuebatur.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Hora prima in hac die
Venit fama tibi piae,
Natum nocte intempesta
Fore captum, inde maesta,
Virgo mater, tribulare,
Nobis hinc propitiare.

Ad Tertiam.

A. Hora terna ad praetorem
Ducunt Jesum salvatorem
Multa turba Judaeorum
Morte sua perreorum;
Crucifige tunc clamatur,
Hinc injuste condemnatur,
Tuque inde tristabaris;
Nostra prece monearis,
Ut per hanc molestiam
Nobis dones gratiam.

R. Ut per suum cruciatum
Nostrum tergat hic peccatum,
Ora, virgo, tuum natum,
V. Jesum Christum valde gratum.

Ad Sextam.

A. Hora sexta lignum crucis
Scandit Jesus, auctor lucis,
Ah, quam dolor tibi datur,
Cum per manus clavulatur,
Virgo, tuus dulcis natus,
Sic pro nobis tormentatus;
Hunc dolorem dum te matrem
Admonemus, roga patrem
Misereri omnium,
Quibus dedit filium.

R. Passionem recordamur
Tui nati, hinc precamur,
Ut a morte eruamur,
V. A te, virgo, audiamur.

Ad Nonam.

A. Hora nona Dominus
alte exclamavit,
Inclinato capite
statim exspiravit;
Tunc te, virgo, gladius
ille penetravit,
De quo senex Simeon
tibi prophetavit;

De perfosso latere
cruor qui manavit,
Fac, nos lavet crimine,
quod nos inquinavit.

R. Quem vidisti cum dolore
Fixum cruci in cruore,
Pete nobis mitem fore,
V. Cum discedet mens ab ore.

In 2. Vesperis.

R. Spes et nostra advocata,
O regina caeli grata,
Audi nostra deprecata,
V. Hac de valle lacrimarum
Duc ad regnum nos praeclarum.

Ad Magnificat.

A. Dulcis mater, Dominus
hora vespertina
Est de ligno positus
tumba in petrina,
Christi fossum vulnere
corpus reparatur,
Paradiso anima
sanctis adoratur.
Ora ergo, domina,
mater gloriosa,
Nunc pro nobis filium
prece fructuosa,
Ut det nobis gratiam
sua pietate,
Qua plangamus scelera
tanta caritate,
Ut cum nobis venerit
nostri finis dies,
Cum latrone sedula
detur nobis quies.

Item ad Laudes
infra quadragesimam et pascha
dominicis diebus.

Antiphonae.

1. Miserere mei, Deus,
Qui sum multi mali reus,
Ut per precem tuae matris
Me dissolvas a peccatis.

2. Ante tempus patre natus,
Nunc ex matre incarnatus
Sua morte nos redemit,
Benedictus, qui sic venit.

3. Accinentes matutinas
Tuae matri, Christe, sinas
Vultum tuum contemplari
Et post mortem hinc laetari.

4. Te, quem virgo generavit
Et de lacte suo pavit,
Benedicant voce pare
Caelum, terra atque mare.

5. Mater Dei, te precamur,
Per te, virgo, mereamur
Tuo nato conregnare
Et aeternum collaudare.

Ad Benedictus.

A. Benedicta es Maria,
Jesu Christi mater pia,
Quae haec sola meruisti,
Quod tu Deum genuisti,
Qui resolvit sua morte
Infernalis claustra portae,
Vinctos suos redimendo,
Caelum nobis largiendo.

Ad Laudes in feriis.

Antiphonae.

1. Tua matre flagitante
Et per eam te praestante
In me, Deus, fac cor mundum,
In praeceptis tis jucundum.

2. Assistentes tuae laudi
Mane, Christe, tu exaudi,
Ut precatu matris tuae
Reddas eos puros lue.

3. Ora, virgo, tuam prolem
Relucentem super solem,
Ut nos cibet suo vultu
In aeterno suo cultu.

4. Jesu bone, consoleris,
Quos hic virga tua feris,
Causa matris eos cura,
Quamvis digni sint censura.

5. Sol et luna, solis stellam
Collaudate hanc puellam,
Cujus natus nos creavit,
Nos cruore suo lavit.

Cod. Graecen. 257. saec. 15. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 10 Compars. — Ad Nunc dimittis **A**, 2 et curavit. — In 2. Noct. **R** 3, 1 sq. in novis moritur cruce. — In 3. Noct. **A** 2, 3 Nolunt adspicere. — **A** 3, 3 lavet. — In Laud. Ad Bened. **A**, 6 pensi. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 6 reparavit. — Ibid. 8 adolevit.

44. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Consurgat hodie
populus fidelis
Ad planctum virginis
compatientis,
Quae stat pro filii
Proprii sui morte
fundendo lacrimas doloris.
O Maria, militiae
caelestis regina,
In adjutorium
nostrum veni
In tempore omnis
angustiae nostrae.

Ad Magnificat.

A. Virgo passa filio
Poenam cordis indicat
Et plebis in medio
Tristem mortem publicat,
Urgente supplicio
Voces maestas replicat,
Quae quondam prae gaudio
Cecinit Magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ploremus mortem Domini
Cum virgine,
Ut vitam ejus mereamur
Precamine.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In matutinis, Domine,
Te captum mater dolet,
Terretur, tremit anxie,
De quo gaudere solet.

2. Nox diem capit, tenebrae
Lucem comprehendunt,
Crudeles pium impie
Natum matris offendunt.

3. Furore saevo populi
Vinctus salvator ductus,
Matris virginis oculi
Fundunt doloris fluctus.

Responsoria.

1. Regem mundi captum caedi
Dire vidit crucifigi
Propter amorem hominis
Rei mater Christi,
Quem virgo prosecuta planxit,
Gemuit, quem dilexit.

V. Educebat cor Christi
aquam et sanguinem,
Destillabant manus,
pedes cruore.

2. O quantas angustias
Parens alma pertulit
Audiens blasphemias,
Quas plebs furens intulit
Filio Dei perperam!
Coronam, clavos, lanceam
Virgo sensit animo.

V. Judaei sacrilegi
augebant convicia,
Super dolorem vulnerum
mentis addebant vulnera.

3. Qualem dicam, domina,
Poenam, quam tulisti,
Crucifixo filio
quando tu dixisti:
Noli me superstite
solus mortem pati,
Fiat, quaeso, similis
mors matris et nati.

V. Noli me relinquere,
Jesu, fili bone,
Fac, ut tecum moriar
tali passione.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Noctem, qua Christus capitur,
insomnem tu duxisti
Et soporatis ceteris
pervigil mansisti.

2. Fuit nox haec flebilis
et nimis amara,
Quando Jesus capitur,
ejus proles cara.

3. Erat Maria mater pia
foris plorans acriter,
Regem mundi furibundi
dum tractarent viliter.

Responsoria.

1. Consolari
virgo non potuit
Natum videns
mori, quem genuit,
Fere tantum
dolorem habuit,
Quam salvator,
qui tot sustinuit.

V. Mortem cernens
ejus, quem aluit,
Nulla mater
sic unquam doluit.

2. Cum videret supplicia
prolis exquisita,
Torquetur angustia
mater infinita,
Triduano spatio
dum langueret ita,
Squalet ejus facies
nuper tam polita.

V. Poena sic exasperans
nunquam est audita,
Longe sibi carior
exstat mors quam vita.

3. Accessit ad crucem Jesu
Flens mater filium Maria
Et vulnerata est
Ex Christi lacrimis
Et valido clamore
Et mortis tormento;

V. Morienti filio
Commoritur animo,
Immolat natus carnem,
Mater animam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnis aetas deflcat
mortem salvatoris,
Gloriosae virginis
praetextu doloris.

2. Virgo cum adspiceret
natum cruce mori,
Nullus suo similis
dolor est dolori.

3. Quae matris angustias
lingua possit fari,
Cum videret filium
in cruce clavari?

Responsoria.

1. Regina clementiae,
Virgo mater Christi,
Tuum videns filium
mori morte tristi,
Non suis tortoribus
improba fuisti,
Sed plorans et ululans
temet afflixisti.

V. Manus torquens acriter
anxia flevisti,
Nil, quod esset indecens,
reprobis dixisti.

2. Cum videret,
quod clauso tumulo
Privaretur
tam dulci speculo,
Praedilecto
stans cum discipulo
Corde magis
plorat quam oculo.

V. Lacrimarum
fluente rivulo
Maerorem movit
adstanti populo.

3. Christus princeps, rex gloriae,
Totus conspersus sanguine,
Maternis coram oculis
Jacebat despicabilis,
Sacrificium vespertinum
Elevatis manibus
Celebrarat Dominus;

V. Afflicta est virgo ploratibus,
Fatigata doloribus,
Cruciata gemitibus.

Ad Benedictus.

Tamquam latro capitur
Vinculis adstrictus,
Caeditur, conspuitur
Alapis afflictus;
O matris angustias,
cum videret ictus!
Pro nobis dira patiens
sit rex benedictus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quantis doloribus,
Anxiis singultibus
Cor virginis afficiunt
Virga, spinae, clavi, mors,
Lancea Domini!
Ora, virgo, ut nos condolentes
Tibi conregnemus sine fine.

Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 163. A. — Brev. ms. Hildesheimense saec. 16. Cod. Capit. Treviren. 180. B. — Viaticus Hildesheimensis imp. Lipsiae 1516. C. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. D. — In 1. Vesp. **R.** Christus princeps, rex gloriae etc. — In 1. Noct. **R** 3, 9 derelinquere B. — In 2. Noct. **R** 1, 7 Quantum salvator BD. — **R** 1, 11 Nunquam mater BD. — In 3. Noct. **A** 2, 3 sq. Tam dulci privaretur AB. — **A** 3, 4 elevari B. — Die beiden zugehörigen Hymnen cfr. Anal. VII, Nr. 99 und 100.

45. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Omnis aetas defleat
mortem salvatoris,
Gloriosae virginis
praetextu doloris.

2. Noctem, qua Christus capitur,
virgo insomnem duxit
Et soporatis ceteris
flens pervigil permansit.

3. Fit nox nimis flebilis,
nox nimis amara
Matri, quando capitur
ejus proles cara.

4. Nunquam mater pertulit
tam anxios dolores,
Ut Maria filii
considerans livores.

5. Rubens color vertitur,
heu, mortis in pallorem,
Dum Maria filii
videret cruorem.

R. Venite, singuli,
matri concinite,
In cujus filii
lavamur sanguine,
Cum ipsa planctibus
fruamur intimis

Nostras facies
rigando lacrimis.
V. Oculus noster pungatur
Amoris stimulo,
Heu, mater carens contagio
Tam dulci privatur filio.

Ad Magnificat.

A. Virgo passa filio
Poenam cordis indicat,
Se plebis in medio
Contra morem publicat,
Urgente supplicio
Voces maestas replicat,
Quae quondam prae gaudio
Cecinit Magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cum Maria virgine
ferventer ploremus,
In sepulchro positum
regem adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nulla novit genetrix
angustias tam duras,
Cum plagas adspiceret
et capitis puncturas.

2. Desperata creditur,
quae culpam non commisit,
Inclinato capite
dum spiritum emisit.

3. Et cum plorat mortem prolis,
quem crucifixit populus,
Solus erat consolator
ejus custos discipulus.

Responsoria.

1. Consolari
mater non potuit,
Sic tractari
videns, quem genuit,
Nec minorem
dolorem habuit,
Quam salvator,
qui tot sustinuit,
V. Mortem ejus
cernens, quem aluit,
Nulla unquam
mater sic doluit.

2. Dum videt supplicia
mortis exquisita,
Torquetur angustia,
fletu est attrita,
Triduano spatio
dum langueret ita,
Squalet ejus facies
nuper tam polita.
V. Poena sic exasperans
nunquam est audita,
Longe sibi carior
erat mors quam vita.

3. Regina clementissima,
virgo mater Christi,
Cum videres filium
morte mori tristi,
Non suis tortoribus
anxia fuisti,
Sed plangens et lacrimans
temet afflixisti.
V. Manus torquens acriter
anxia flevisti,
Nil, quod esset reprobum,
Judaeis dixisti.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sit tuarum lacrimarum,
o Maria, rivus
In corde lapideo
maeroris motivus.

2. Recolamus virginis
gloriosae luctus,
Dum in templo Dominus
vinctus esset ductus.

3. Dolore sternitur
mater, dum respicit,
Heu, sanguine perfusum
natum, quem genuit.

Responsoria.

1. Qualem dicam, domina,
poenam, quam tulisti,
Crucifixo filio
quando tu dixisti:
Noli me superstite
solus mortem pati,
Quaeso, fiat similis
mors matris et nati;
V. Noli me relinquere,
Jesu, fili bone,
Fac, ut tecum moriar
tua passione.

2. Innocens homo
et expers criminis
Moritur justus
misertus hominis,
Sui maeroris
nos simus conscii,
Cum simus causa
tanti suplicii.
V. Dolet mater cum filio,
Qui se crucis patibulo
Dedit tormentis asperis
Vitam reddendo miseris.

3. Christum in cruce pendentem
maesta mater adspiciens,
Lacrimata incessanter
sacrum pectus percutiens;
Plures movit ad maerorem
suo rugitu quaerulo,
Natum videns cruentatum
tensum crucis patibulo.
V. Animam maestae parentis
tunc pertransivit anxius
Juxta verbum Simeonis,
heu, passionis gladius.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo cum adspiceret
natum in cruce mori,
Nullus dolor similis
est suo dolori.
2. Quaeso nobis miseris,
virginum regina,
Tecum flendi lacrimas
uberes propina.
3. Quae matris angustias
potest lingua fari,
Dum videret filium
in cruce clavari?

Responsoria.

1. Cum de cruce positus
ad tumulum portatur,
Inter dolores anxios
portantes sic affatur:
Sustinete paululum,
dolorem meum plangam
Et meum carum filium
deosculor et tangam.
V. Mihi meum filium
subtrahere nolite,
Si sepeliri debeat,
mecum sepelite.

2. Cum videret,
quod clauso tumulo
Privaretur
tam dulci speculo,
Praedilecto
stans cum discipulo
Corde plorat
magis quam oculo.
V. Fletus movit
adstanti populo
Lacrimarum
fluente rivulo.

3. Filii praesentia
mater destituta
Gabrieli nuntio
sic est allocuta:

Ave, plena gratia,
mihi protulisti,
Nunc amaritudine
sum repleta tristi.
Subsequenter inquiens:
Dominus est tecum;
Heu, jacet in tumulo,
modo non est mecum;
V. Omnis benedictio,
quam tu spopondisti,
Est nunc in contrarium
propter mortem Christi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Erat Maria, mater pia,
Foris plorans acriter,
Regem mundi furibundi
Dum tractarent viliter.
2. Quam putatur
mater maestissima,
Dum videt natum
virgo justissima,
Non est dolor,
ut matris virginis
Mortem plorantis
Dei et hominis.
3. Agnus mitis
caput excutiens
Heloi clamat
in cruce moriens,
Videns hoc mater
cum ipso patitur,
Ad clamorem
fere commoritur.
4. Clamor Christi
matrem angustiat,
Nullus planctus
plangentem satiat,
Utriusque
summa compassio,
Nam praecessit
summa dilectio.
5. O quale divortium,
Cum mater reliquit filium,
Salvatorem,
qui fecit saeculum,
Lacrimando
sequens discipulum.

Ad Benedictus.

A. Tamquam latro capitur
undique constrictus,
Caeditur, conspuitur
alapis afflictus;
O matris angustias,
dum videret ictus!
Pro nobis haec tolerans
sit rex benedictus.

In 2. Vesperis.

R. Benigna Jesu
mater eximia,
Qui tua egressus est
claustra virginea,
Cum his pacificus
factus est incola,
A quibus dura
perpessus est verbera
Per filii tui
cruenta vulnera
Nobis succurre,
virgo puerpera.
V. Regina caeli,
laetare cum jubilo,
Nam natum, quem plangis
clausum in tumulo,
Resurget vere
summo diluculo
Omnis ablato
contemptus opprobrio.

Ad Magnificat

A. O Jesu, fili
patris altissimi,
Qui pro nobis de virgine
natus fuisti,
Et nostras miserias
in corpore tulisti
Ac tandem in cruce
mortem sustulisti.

Qui matrem in morte
Johanni commisisti,
Qui nec ejus poenis
nec tuis pepercisti,
Tibi supplicamus,
pro quibus tot egisti,
Ut nos amore matris
conserves a morte tristi.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — In 1. Noct. R 2, 8 tam fehlt. — R 3, 3 videret. — Hymnen. In 1. Vesperis: Imperatrix clementiae (Mone II, 139); ad Noct.: Castae parentis viscera (Mone II, 142); ad Laudes: O gloriosa domina (Anal. IV, 57); in 2. Vesp.: Ingrata gens Judaica (Anal. XIX, 18).

46. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo passa filio
Poenam cordis indicat,
Se plebis in medio
Contra morem publicat,
Urgente supplicio
Voces maestas replicat,
Quae quondam prae gaudio
Cecinit Magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cum Maria virgine
fervide ploremus,
In crucis supplicio
regem adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regina laudabilis
praecipuis et dignis
Extollatur laudibus,
Jesu mater insignis.
2. Fit nox illi flebilis,
nox nimis amara
Matri, quando capitur
proles ejus cara.
3. Nunquam martyr pertulit
tam anxios dolores
Ut Maria filii
considerans livores.

Responsoria.

Consolari
mater non potuit,
Sic tractatum
videns, quem genuit,
Fere tantum
dolorem habuit,
Quantum ille,
qui tot sustinuit,
V. Mortem Dei
videns, quem aluit,
Nulla mater
unquam sic doluit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stat Maria mater pia
foris plorans acriter,
Regem mundi furibundi
dum tractarent viliter.
2. Per Mariae lacrimas,
pater pietatis,
Nobis veram gloriam
confer cum beatis.
3. Eja, nobis miseris,
virginum regina,
Tecum flendi lacrimas
uberes propina.

Responsoria.

1. Dum videt supplicia
prolis exquisita,
Torquetur angustia
mater infinita,

Triduano spatio
dum langueret ita,
Squalet ejus facies
nuper tam polita.

V. Poena tam exasperans
nunquam est audita,
Longe sibi carior
mors erat quam vita.

2. Qualem dicam, domina,
poenam, quam tulisti,
Crucifixo filio
quando tu dixisti:
Noli me superstite
solus mortem pati,
Fiat, quaeso, similis
mors matris et nati.

V. Noli me relinquere,
Jesu, fili bone,
Fac ut tecum moriar
tua passione.

3. Quam putamus
matris maestitiam,
Cum videret
prolis angustiam?
Non est dolor
ut matris virginis,
Mortem flentis
Dei et hominis.

V. Rosa rubens vertitur
mortis in pallorem,
Dum in terram fluere
sacrum videt cruorem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo tuum filium
in cruce clavatum
Redde piis precibus
miseris placatum.

2. Nos matris compassio,
Jesu, rex insignis,
Servet a voragine
gehennalis ignis.

3. Sancta Dei genitrix,
dulcis et decora,
Regem morti traditum
pro nobis exora.

Responsoria.

1. Ad locum supplicii
virgo cum venisset,
Postquam sui filii
mortem conspexisset,
Augentur
planctus et lacrimae
Multiplicantur
dolores et angustiae.

V. Nulla novit genitrix
angustias tam duras,
Cum plagas adspiceret
et capitis puncturas.

2. Virgo clementissima,
virgo mater Christi,
Cum videres filium
mori morte tristi,
Non suis tortoribus
anxia fuisti,
Sed plangens et lacrimans
temet afflixisti.

V. Manus torquens acriter
anxia fuisti,
Nil, quod erat indecens,
reprobis dixisti.

3. Cum videret,
quod clauso tumulo
Privaretur
tam dulci speculo,
Praedilecto
stat cum discipulo,
Plorans corde
magis quam oculo;

V. Fletum misit
adstante populo
Lacrimarum
fluente rivulo.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Tamquam latro capitur
undique constrictus,
Caeditur, conspuitur
alapis afflictus;
O matris angustiae,
cum audiret ictus!
Pro nobis haec tolerans
sit rex benedictus.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502. B. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. C. — Brev. Misnense imp. Lipsiae (?) 1517. D. — Brev. Halberstadiense imp. Norimbergae 1515. E. — Ad Complet. ad Nunc dimittis hat E die Antiphon:

Per Mariae lacrimas, pater pietatis,
Nobis veram gratiam confer cum beatis.

In 1. Noct. **A** 2, 1 vox A. — **A** 2, 2 vox A. — **R** 1 und 3 prosaisch. — **R** 2, 12 sic unicum doluit A. — In 2. Noct. **R** 1, 1 Cum videt A. — **R** 2, 1 Quantam dicam E. — **R** 2, 8 matris atque nati A. — **R** 3, 1 O quam putamus E. — In 3. Noct. **R** 1, 6 plagae et A. — **R** 2, 1 Regina clementissima A. — **R** 2, 9 acriter fehlt A. — Ad Laudes. Sämtliche **AA** super Ps. prosaisch; ebenso die **A** ad Magn. in der zweiten Vesper. — Hymnen. In 1. Vesp.: Ave stans sub cruce (Anal. IV, 56); ad Complet.: O gloriosa domina (Anal. IV, 57).

47. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Omnis aetas defleat
mortem salvatoris
Gloriosae virginis
praetextu doloris.

2. Haec est pia pauper illa,
Mater simul et ancilla,
Plena tamen gratia,
Haec est, quae sub cruce flevit,
Sed hunc fletum abolevit
Tui, Christe, copia.

3. Stat Maria, mater pia,
Foris plorans acriter,
Regem mundi furibundi
Dum tractarent viliter.

4. Quam putamus
matris maestitiam,
Cum videret
prolis angustiam?
Non est dolor
ut matris virginis,
Mortem flentis
Dei et hominis.

5. Mihi, dolor, jam opponis
Verba illa Simeonis
Aspera praesagio,
Jam cor meum vulneratur,
Anima transverberatur
In doloris gladio.

R. Virgo clementissima,
virgo, mater Christi,
Dum videres filium
mori nece tristi,
Non suis tortoribus
aspera fuisti,
Sed plangens et lacrimans
temet afflixisti,

V. Manus torquens acriter
anxia flevisti,
Nil, quod esset reprobum,
Judaeis dixisti.

Ad Magnificat.

A. Virgo passa filio
Poenam cordis indicat,
Se plebis in medio
Contra morem publicat,

Urgente supplicio
Voces maestas replicat,
Quae quondam prae gaudio
Cecinit Magnificat.

Ad Completorium.

Super Psalmos.

A. Nos matris compassio,
Jesu, rex insignis,
Servet a voragine
gehennalis ignis.

Ad Nunc dimittis.

A. Passionis gladius,
virgo carens crimine,
Tuam laesit animam
omni cum gravamine,
Quod promisit Simeon,
plenus sacro flamine,
Cum in templo dixerat:
nunc dimittis, Domine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cum Maria virgine
fervide ploremus,
In crucis supplicio
regem adoremus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Noctem, qua Christus patitur,
absque somno duxisti
Et soporatis ceteris
flens pervigil mansisti.

2. Virgo mater, da nunc luctus,
Ventris tui sacer fructus
Pendet in patibulo,
Ille mitis ex te natus
Jam stat clavis perforatus
A furente populo.

3. Cerne, fili, matrem flentem
Tecum mori cupientem,
Specta cor et lacrimas;
Ad me verte vultum sanctum
Atque fidae matris planctum
Consolando redimas.

Responsoria.

1. Consolari
mater non potuit,
Sic tractatum
videns, quem genuit,
Fere tantum
dolorem habuit,
Quantum ille,
qui tot sustinuit.
V. Mortem Dei
videns, quem aluit,
Nulla mater
unquam sic doluit.

2. Cum vidit supplicia
mortis exquisita,
Torquetur angustia,
fletu est attrita,
Triduano spatio
dum langueret ita,
Squalet ejus facies
nuper tam polita.
V. Poena sic exasperans
nunquam est audita,
Longe sibi carior
mors erat quam vita.

3. Qualem dicam, domina,
poenam, quam tulisti,
Crucifixo filio
quando tu dixisti:
Noli me superstite
solus mortem pati,
Quaeso fiat similis
mors matris et nati.
V. Noli me relinquere,
Jesu, fili bone,
Fac, ut tecum moriar
tua passione.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Fit nox illi flebilis
et nimis amara
Matri, quando capitur
ejus proles cara.

2. Fili, dulcis et amande,
Fili mundo venerande,
Quomodo te video!
Fili dulcis et dulcedo,
Pro te cor lamentis laedo,
Poenas tuas doleo.

3. Heu, heu, quam me dire tangunt,
Premunt, torquent atque frangunt
Tua, fili, vulnera!
Fili, vita cordis mei,
Matris atque summa spei,
Fili, mea viscera.

4. Terra, treme, sol, nigresce,
Petra, crepans expavesce
Facinus furentium,
Necat mortis necatorem,
Tulit vitae redemptorem
Furor persequentium.

5. Planctum meum non causatur,
Qui rem digne conspicatur,
Ego sum, quae genui,
Fovi natum et lactavi
Deincepsque ministravi
Satagens ut potui.

Ad Benedictus.

A. Tamquam latro capitur
undique constrictus,
Caeditur, conspuitur
alapis afflictus;
O matris angustiae,
cum audiret ictus!
Pro nobis haec tolerans
sit rex benedictus.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ad locum suplicii
virgo cum venisset
Et cum sui filii
crucem conspexisset,
Augentur
planctus et lacrimae
Multiplicantur
dolores et angustiae.

Ad Magnificat.

A. Quam maeroris anget moles,
Spectat matrem pia proles
Mortis in arcticulo
Et Johannem inspectavit
Virginemque commendavit
Virgini discipulo.
Sic, o virgo, te adstante,
Fletu fletum innovante
Tuus ille moritur,
Dehinc dire lanceatus
Sed humane tumulatus
Petra forti clauditur.

Brev. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 517. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 Et gloriosae. — **A** 4, 6 ut est matris. — In Laud. **A** 1, 1 vox; illi fehlt. — **A** 1, 3 Matris. — **A** 3, 5 Mortem atque summae. — In 2. Vesp. Super Ps. **A**, 1 sq. Inter ve cum virgo.

48. De Compassione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Stabat virgo dolorosa,
Mater Christi generosa,
Juxta crucem filii,
Tristem gerens theoriam
Recensendo prophetiam
Simeonis gladii.

2. Dolor ingens, dolor ille,
Genae pallent et maxillae,
Ora rigant lacrimae,

Crux, flagella, clavi, spinae,
Livor, tumor, plagae quinae
Gladius sunt animae.

3. Cor praedulce, cor amoris
Globus factus est doloris,
Vas amaritudinis,
Fel cum vino praeparatum
Os, cor, linguam et palatum
Stupefecit virginis.

4. Quando Christus vinculatur
Palmis foedis, flagellatur
Strictus flagris plurimis,
Virgo corde lacessita,
Quasi foret sine vita,
Corruit exanimis.

5. Extra castra ductus Jesus,
Vinctus, sputus, pugnis caesus
Crucem fert in publicum,
Mater sequens agnum mitem
Repraesentans Sunamitem
Natum deflet unicum.

Ad Magnificat.

A. O Maria, stans sub cruce
Triumphante Christo duce
Per mortem turpissimam,
Corde martyr exstitisti,
Anceps ensis, quem sensisti,
Tuam transit animam.
Dolor cessit, cum surrexit,
Nobis vitae spem porrexit
Praesidens in gloria;
Fac nos, virgo, suae mortis
Et doloris tui fortis
Fervere memoria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Recolentes Christum passum
Et in ara crucis assum
Pro nostris sceleribus,
Matri suae condolentes
Procidamus congementes
Super mortem filii.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Immolandus ligna gerit,
Patri parens locum quaerit
Patriarchae filius;
Cruce Christus oneratus,
Maesta matre comitatus
Damnatur innoxius.

2. Calvum rident Elisaeum,
Jesum nudum, verum Deum,
Illudebant aemuli;
Dum sic natum dehonestant,
Dolorosi commolestant
Matris mentem stimuli.

3. Protoplasti peremerunt
Omnes, quos progenuerunt,
Esu pomi vetiti;
Dulcis Jesu, redemisti
Corde laeso matre tristi
Quos damnarunt perditi.

Responsoria.

1. Sicut spina rosae florem
Non immutat vel odorem,
Cum crescat vicinius,
Ita virgo tuam mentem
Cunctis donis redolentem
Furor fugit obvius.
Immo videns flagellari
Et in cruce conclavari
Tuum primogenitum,
Patienter sufferebas
Et constanter requirebas
Dextrae Dei digitum;
V. Confer opem tua prece,
Ne mundi prosperitas
Nos excaecet sua face
Vel premat adversitas.

2. Perennalis mater vitae,
Videns pungi latus mite
Militari lancea,
Maluisti sic turbari
Et cor tuum vulnerari
Cum dolorum framea,

Ut aeterna morte digni
Sanarentur hoc insigni
Sacrae mortis pretio;
Quas tenemur voto grato
Deo laudes pro collato
Tanto beneficio!

V. O mater dilectionis,
Fac nos eum colere,
Qui nos suae passionis
Salvos fecit munere.

3. Palluerunt tuae genae,
Quando subdi crucis poenae
Vides unigenitum,
Spinae sacrum caput cingunt,
Manus, pedes clavi stringunt,
Os est sputis oblitum.
Voces audis exclamantes
Sese patri commendantis
Mater omnis gratiae,
Destituta jam vigore
Ut exsanguis prae dolore
Corruis in acie.

V. O immensam caritatem,
Quod mater cum filio
Tantam praebent pietatem
Pro vili mancipio!

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Rex a ligno cum regnaret
Et malignum debellaret
Per crucis dedecora,
Mater praesens constituta
Hunc ad bellum subsecuta
Est ut Barach Debora.

2. Bellum mirae caritatis,
Ubi Christus sauciatis
Medetur vulneribus,
Virgo mater morbos sanat
Et distortas mentes planat
Cum suis doloribus.

3. Christus crucis in ambone
Constitutus in agone
Septem verba protulit;
Mater adstans tribulata
Tam patrata quam prolata
Secum silens contulit.

4. Cuncta tremunt elementa,
Carpunt luna, sol lamenta
Cum dolente virgine,
Angelorum hierarchiae
Condolentes sunt Mariae
Christi fuso sanguine.

5. Morte Christi consummata
Mater fide roborata
Redditur aequanimis,
Natum sciens surrecturum
Et cum patre fruiturum
Sedibus potissimis.

Ad Benedictus.

A. Morienti dulci nato,
Quamquam corde sauciato,
Mater, adstas flebilis,
Virginalis quisque gestus
Tibi decens et modestus
Perseverat stabilis,
Illi compar voluntate,
Pari flagrans caritate
Pro salvandis miseris;
Ejus crucem reverentes
Et hic tecum congementes
Servos junge superis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Christo passo mortem crucis
Eclipsantur orbes lucis,
Terrae solum tremuit,
Disperguntur quique noti,
Oblitores sui voti,
Caritas refriguit;
Sola virgo tenet fidem
Constans docet quod et idem
Resurgat in gloria;
Verae doctrix disciplinae
Nobis dona sine fine
Perfrui laetitia.

Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. — Hymnen in 1. Vesp.: Menter juvet fidelium (Anal. XII, 66); ad Noct.: Rogatus Deus rumpese (Klemming II, 186); ad Laudes: Condolentes maeroribus (Anal. XII, 68).

49. De Commendatione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Cubante Jesu dolorose
In crucis patibulo
Accessit mater lacrimose
Sub cruce stans in patulo,
Quam intuens amorose
Commendat discipulo.

2. Filii praesentia
Mater destituta
Ut Cedar tabernacula
Est nigra constituta.

3. Felicior erat mater
Concepto Dei radio,
Sed erat infelicior
Orbata tanto filio.

4. Sol virginem coloravit
Decore conceptionis,
Sed eam decoloravit
Dolore compassionis.

5. Recolorata dicitur
Dulcis virgo et mater
In resurrectione filii,
Dei genitrix et martyr.

R. Dum Tobias filio
Vias virtutum demonstravit,
Figurando et notando
Christum designavit,
Cum amentem et dolentem
Sibi matrem commendavit.

V. Christus sol verus oriens
Ac in cruce moriens
Secreta discipulo
reseravit.

Ad Benedictus.

A. Simeon, vates Domini,
Ad te reginam caeli
Tuam praedixit sanctissimam
Gladium vibrare animam,
Tuam igitur agentes
Compassionis memoriam
Perduc precibus
Ad perennem gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum pro nobis passum
Adoremus Dominum,
Qui pie respexit matrem
Secum in dolore positam.

In Nocturno.

Antiphonae.

1. David regem dum fugavit
Persecutoris gladius,
Patrem, matrem praeservavit
A malo devotus filius.

2. Dulcem parentis animam
Tunc pertransivit acrius
Juxta verbum Simeonis
Passionis gladius.

3. Dum Simeonis gladius
Animam matris perforavit,
Tunc Christus in cruce positus
Virginem virgini commendavit.

Responsoria.

1. Verbum prophetae caelitus
Nati supplet inopiam,
Sed vitae natus redditus
Matris pellit tristitiam;

V. Lignum crucis
intulit maestitiam
Dulci matri
per mortis miseriam.

2. Verbum vitae
dum palam moritur,
Legis mandati
parens ostenditur,
Clamant omnes: vincitur,
Hinc fides extollitur.

V. Christus in cruce
dum triumphavit,
Matrem discipulo
commendavit.

3. Mater parens Christi,
in luctu dum exstitisti,
Es consolata
per verba filii grata,
Sic commendata
discipulo, virgo beata.

V. Et tu, mater pia,
tuo nato nos recommenda.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Fides Mariae virginis
Consumpta Jesu passione
Excessit sidus apostolicum
Immobili adhaesione.

2. Fides Mariae latuit
In Christi mortis triduo,
In lucem tandem prodiit
Multiplici miraculo.

3. Discipulis recedentibus
Maria perduravit
Stabilis in fide,
Sic illos educavit.

4. Fides catholica
Recepit tunc incrementum,
Dum virgo theotocos
Tenuit fundamentum.

5. Te invocamus, o beata
Potissime ad vitae terminum,
Conserva nos in fide grata,
Devotum tibi populum.

Ad Benedictus.

A. O mundi lampas
Et margarita praefulgida,
Quae in morte filii obfuscata
Fuisti et commendata
Discipulo, reformata
Exstitisti, Maria,
Mater Christi semper pia,
Exoratrix pro nobis ora
Ad Deum, qui te elegit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lumen ecclesiae,
Christus, verus Deus,
Moriens in cruce
Nec peccati reus,
Matrem tibi condolentem
Vidisti in populo,
Quam quasi morientem
Commendasti discipulo.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A. 14. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 erat ergänzt. — **A** 4, 3 eam ergänzt. — Ad Noct. **R** 1, 8 per mortem miseram. — **R** 3, 6 es virgo. — **R** 3, 8 commenda. — Hymnen: In 1. Vesp.: Imperatrix clementiae (Mone II, 139) oder: Lauda mater ecclesia (Anal. XI, 65).

50. De septem Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Salve, mater castitatis,
Lilium humilitatis,
Virtutis et honoris,
Tu gemma pudicitiae,
Fons et portus laetitiae,
Paradisus amoris.

2. Salve, mater o Maria,
Dulcis, clemens atque pia,
Salutis initium,
Mortis pabulum vicisti,
Caput ejus contrivisti
Et omne supplicium.

3. Salve, mater generosa,
Rutilans ac speciosa
Prae filiis hominum,
Qui te creavit provide,
Lactasti sacro ubere
Salvatorem omnium.

4. Salve, mater gratiosa,
Quae fuisti dolorosa
Passione filii,
Nunc cum eo dominaris
Et regina nuncuparis
Caelestis consilii.

5. Salve, mater angelorum,
Tuum septem gaudiorum
Instat festum hodie;
Ergo chorum adjuvando
In psallendo et cantando
Veni, mater gloriae.

Ad Magnificat.

A. Alma Dei genetrix,
tua gratia semper abundat,
Spiritus aeternus
munera datque tibi,
Te decet, alta parens,
calamis praestantior omnis
Quasque potest laudes
in tua templa ferat.

Ad Completorium.

Super Nunc dimittis.

A. Ave, Maria, genetrix pia,
Gratia plena, virgo serena,
Dominus tecum, tu quoque
mecum,
Benedicta tu in mulieribus,
Castis pariens Deum visceribus.
Et benedictus fructus
Ex hortulo productus,
Fructus ventris tui,
Jesus, cui
Voce, votis omnibus,
Tuis dignis precibus
Semper commendari
Atque sociari
In caelo sursum
Post vitae cursum
Flagitamus et oramus,
O pia Maria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Festinate, adoremus
Regem regum omnium,
Gloriosam ut laudemus
Et reginam virginum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. De caelo missus nuntius
Cinctus veste serena,
Ingressus ait angelus:
Ave, gratia plena.

2. Gaudent astra matutina,
Dum virgo salutatur,
Et cor ejus ad divina
Confestim inflammatur.

3. Hanc diem fecit Dominus,
Mors in qua tristis perditur,
Assumpsit carnem hominis,
Conceptus Deus colitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut cognatam visitavit
Per montes mater pia,
Infans tandem exsultavit,
Dum intravit Maria.

2. En, sancta salutatio,
A matribus notatur
Miranda operatio
Et spiritus donatur.

3. Superbos corde projecit
Humilis ipse Deus,
Qui potens est, magna fecit
Et sanctum nomen ejus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deus et homo nascitur
De Maria virgine

Et ab eadem pascitur
Solerti regimine.

2. Laus et honor Christo datur,
Atque pax hominibus,
Sancta mater veneratur
Supernis agminibus.

3. Virgo humilis probatur,
Ut ostendit opere,
Casta mater nuncupatur,
Lactat Deum ubere.

Prosula.

1.

a. Gaudeamus digno
Mariae festo,
b. Quo caelesti virgo
regnat triumpho.

2.

a. Quo angelorum
chori laetantur omnes,
b. Reginam caeli
optatam venerantes

3.

a. Et nomen melius
a patre datur
Et filio
spirituique sancto,
b. Ordinaverunt nam
ipsam proximam
Sessioni
suae nunc et in aeternum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Haec dies laetitiae,
Mariae, matris gratiae,
Exsultent ergo hodie,
Qui laudes dant de virgine.

2. Dulcem natum reges quaerunt
Stella duce praevia,
Invocare dum venerunt,
Magna cernunt gaudia.

3. Lignum crucis qui portavit,
Surrexit cum gloria,
Limbo captos liberavit
Cum summa victoria.

4. Descendit sacer spiritus
Discipulos illuminans,
Exsultat mater caelitus
Puro corde jubilans.

5. O luce quam glorifica
Illustrantur caelici,
Mariam ad deifica
Dum assumunt angeli.

Ad Benedictus.

A. Virginis et matris
nostro venerata favore
Gaudia perpetuis
sint benedicta modis,
Candidus aetherei
pariter regnator Olympi
Laudibus innumeris
sit benedictus. Amen.

Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calarien. A. 14. — Die RR in allen Nokturnen prosaisch. — Es ist von Interesse zu erfahren, dafs der Altar „zu den Freuden Mariens“ in der Kalkarer Kirche schon 1481 stand und 1507 eine Vikarie an demselben gestiftet wurde. — Hierzu die Hymnen: Laudes perpetuae dignaque praemia (Anal. XXIII, 71); Virgo dum scandis superos meatus (Anal. XXIII, 71 sq.).

51. De septem gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, felix
inventrix gratiae,
Mundi salus,
mater christifera,
Dei patris
obtentrix veniae,

Nova caeli
dans orbi foedera,
Venerantes
tuae laetitiae
Memoriam
a morte libera.

Ad Magnificat.

A. O Maria,
gratum commercium
Procurasti
votis fidelium,
Justis vitam,
reis remedium,
Tibi decus
matris et gaudium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summum Dominum gloriae,
Venite, adoremus,
Matri plenae laetitiae,
Venite, exsultemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Perfecisti laudem matris
Conceptus in virgine,
Quam obumbrat virtus patris
Absque viri semine.

2. A summo caelo egressus
Matris intrat viscera,
Inde nascens est egressus
Tollens mundi scelera.

3. Super maria fundata,
Mater maris nescia
Per reges est honorata
Nati stella nuntia.

Responsoria.

1. Arca divini foederis,
Caeli plena dulcore,
Regalis virgo generis,
Novo fecunda more,
Gaudet misso de superis
Angelo cum fulgore
Castitatis amore;
V. Nuntiat eximia
Gabriel miranda Mariae.

2. Benedicta sterilis
In fecunditate,
Mater ineffabilis
Cum virginitate
Gaudet admirabilis
Pro nativitate;
V. Angelus angelicum
pastoribus intonat hymnum.

3. Currunt magi
stellae regimine,
Regem quaerunt
natum de virgine,
Profitentur
Deum in homine,
Gaudet mater
tali solamine;
V. Mente Deo prona
dant trino tres tria dona.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adstat a dextris regina
Cum ingenti gaudio,
Mortis subtracta ruina
Resurgente filio.

2. Laetificat civitatem
Dei raptus hominis,
Immittens jucunditatem
In cor matris virginis.

3. De te dicta gloriosa
Sunt, civitas veniae,
Donis manans gaudiosa
Multiformis gratiae.

Responsoria.

1. Dormientis
maerore filii
Sauciata
est mater quaerula,

Resurgentis
non expers gaudii
Regnaturum
cernit per saecula.

V. Quarta resurgente
fit Christo mane nitente.

2. Exaltatur
ad caeli culmina
Hinc assumptus
nubis obsequio,
Comitantur
polorum agmina,
Gaudet mater
regnante filio.

V. Quinta fuit nati
terris super astra levati.

3. Factus de caelo sonitus
Fratrum replevit intima,
Missus in igne spiritus
Dona praebuit optima,
Gaudet mater cum genitus
Tam sublimavit infima.

V. Venit in igne datum
cum sexta pneuma beatum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annuntient inter gentes
Nunc assumptae gaudium
Matris in mundo degentes
Et poscant suffragium.

2. Lux justo tunc est exorta,
Dum Maria nascitur,
Patefacta vitae porta,
Quando Christus moritur.

3. Notum fecit salutare
Parens munus regium,
Surgens, scandens confirmare
Conscensus caelestium.

Responsoria.

1. Elisabeth
infans in utero
Verbi matrem
adesse praedicat,
Exsultando
venti christifero
Se prophetam
et matrem indicat.

V. Dum puer exsultat,
mater propheta resultat.

2. Gratulanter
de terra vehitur
Christi mater
ad regni solium,
Carne, mente
cunctis praeponitur,
Gloriosa
choris caelestium.

V. Septimo laetatur,
cum caelis virgo beatur.

3. Intercede, mater Christi,
Pro te venerantibus,
Gaudia, quae meruisti,
Praebens supplicantibus,
Tandem victo hoste tristi
Nos junge regnantibus.

V. Ora voce, pia,
pro nobis, virgo Maria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum tuam, Domine,
Decet sanctitudo,
Quam fecit in virgine
Summa celsitudo.

2. Intremus in atria
Digne mentis piae
Depromendo gaudia
Virginis Mariae.

3. Terra dedit nobis fructum
Caeli fusa rore,
Gaudens tollit Evae luctum
Nato salvatore.

4. Benedicant omnia
Matrem salvatoris,
Quae per septem gaudia
Donet vim amoris.

5. Omnes gentes, Dominum
De caelis laudate,
Qui dat matri geminum
Decus illibatae.

Ad Benedictus.

A. Benedicta
mater altissimi,
Gaudiosa
mundi spes unica,
Praestet nobis
adversa reprimi
Et perducat
ad regna caelica.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O mater clementiae,
Aula trinitatis,
Plena donis gratiae
Et jucunditatis,
Te laudantes hodie
Mundans a peccatis
Data mundo requie
Conjunge beatis.

Brev. ms. Hildesheimense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. A. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. B. — Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535. C. — In 2. Noct. R 1, 4 est fehlt C. — R 2, 2 ad caelorum C. — In Laud. A 3, 1 nobis fehlt C. — A 3, 2 Fusa caeli rore. C. — Hymnen Anal. XII Nr. 109 und 110.

52. De Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gabriel, cursor caelicus,
Paranymphus magnificus,
Dum salutat, virginem
Perturbat, sed subsequitur
Gaudium, dum complectitur
Deum factum hominem.

2. Gaudet, virgo, dum nascitur,
Et mundo palam editur
Christus, proles deica,
Natus ante luciferum,
Mundi perlustrans vesperum
In zona ecliptica.

3. Gaudet videns resurgentem,
Postquam vidit morientem
Cruci clavis affixum,
Quando compatiebatur
Nato, qui moriebatur,
Per cordi cor innixum.

4. Dum ascendit ad aethera,
Gaudet virgo christifera
Pro tanta victoria,
Qua tartara spoliavit
Et homines collocavit
In caelesti gloria.

5. Gaudet, quando coronatur
Per filium et locatur
Ultra culmen ordinum
Angelorum, qui congaudent
Sic, ut inde semper laudent
Creatorem Dominum.

R. Gaude, virgo concipiens
Sine virili semine,
Emmanuel parturiens,
Deum una cum homine;
Gaude, sciens surrexisse,
Quem plangebas interisse,
Et in caelum ascendisse;
Gaude, quod post assumeris,
Regnatura cum superis,
Ut opem feras miseris,
Quos rodit vermis sceleris.

V. *Hierusalem, civitas Dei, gaudeas, in saecula saeculorum luce splendida fulgebis et omnes fines terrae adorabunt eum.*

Ad Magnificat.

A. Gaude, virgo, quae gravida
Deum paris non dolendo,
Nec es effecta cupida
Dona regum assumendo.
Gaude, quod Christus infera
Fregit et scandit aethera;
Gaude, quod misit munera
In disposita viscera;
Gaude, regnans in gloria
Super omnes imperatrix,
Cujus manet memoria
Cunctorum auxiliatrix.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, congaudeamus
Pro gaudiis Christi matris,
In cujus spe respiramus
In mundi procellis atris.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum Gabriel annuntiat
Verbi conceptionem,
Virgo mater tripudiat
Propter redemptionem.

2. Gaudet clausus in utero
Salutata virgine,
Virgo congaudet puero
Repleto spiramine.

3. Orto sole justitiae
De stella virginea
Datur causa laetitiae
Sperantibus in ea.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum offertur Simeoni,
Qui benedixit eum,
Praeconizatur spes boni,
Quod cunctis est melleum.

2. Quanto gestivit gaudio
Magis adorantibus,
Offerentibus filio
De suis muneribus.

3. Virgo dolens passionem
Congaudet resurgenti,
Qui dat incorruptionem
Devotae sibi genti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gaudet virgo, dum adspicit
Ascendentem ad caelos
Et dum prope se prospicit
Colloquentes angelos.

2. Beata matri gaudia
Influxit paraclitus,
Conferens dona grandia
Illapsa divinitus.

3. Cum genetrix exaltatur
Ad filii dexteram,
Totus orbis gratulatur
Effugisse perperam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Novum causavit gaudium
Completum vaticinium
Jeremiae prophetae,
Cum femina circumdedit
Virum, qui mundum excedit
Et gubernat discrete.

2. Angelico tripudio
Pro nato Dei filio
Congaudet virgo mater,
Quae materiam tribuit,
Quam genitam exhibuit,
Ut esset noster frater.

3. Resurgentis victoria
Lapsa mortis memoria
Laetificat Mariam,

Verso fletu in gaudium
Discantat horologium
Consonam melodiam.

4. Semigaudet puerpera,
Dum scandit super sidera
Natus, quem dilexerat,
Plus quam creata cetera
Et sic manet ut misera,
Nam vitam amiserat.

5. Super caelum empyreum
Ad latus nati melleum
Gaudet mater locata,
Ubi secreta divina
Videns praeest ut regina
A dextris coronata.

Ad Benedictus.

A. Mirabile mysterium
Cum gaudio decantatur,
Cum salutis commercium
In virgine declaratur,
Quando creator omnium
Carnem humanam induit
Et post temporis terminum
Fragilem se exhibuit;
Qui traxit magos per stellam,
Qui munera obtulerunt,
Cum invenerunt puellam,
Cum natum adoraverunt,
Qui spoliavit infernum
Et post ascendit ad astra,
Ut daret munus supernum,
Quo sterneret mundi castra,
Et post matrem coronavit
Omnium imperatricem,
Per quod mundo spem donavit
Esse cunctis adjutricem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mater Dei gloriosa,
Virgo, rosa speciosa.
Licet vires pro tuorum
Memoria gaudiorum
Propriae non sufficiant
Sed penitus deficiant,
Tuae tamen ad decorem
Sanctitatis et honorem
Ipsa pie recolimus
Gaudia teque poscimus,
Pulsis ut facinoribus
Gaudiorum honoribus
Caelestium gaudeamus.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515. — In Laud. A 4, 4 fehlen drei Silben; creata ergänzt. — Die Hymnen siehe Anal. XIII, Nr. 111 und 112.

53. De septem Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude virgo nunc Maria
De stirpe nata regia,
Quae per aurem concepisti,
Angelo dum credidisti,
Supernorum Dominum.

2. Gaude, virgo generosa,
Nam mater es speciosa
Dei, qui de te nascitur,
Nec alvus tuus laeditur
In pariendo Christum.

3. Gaude, quod ab oriente
Magi venerunt repente,
Natum tuum adorantes,
Aurum, thus, myrrham ferentes
Angelorum Domino.

4. Gaude, quod est praesentatus
Per te, virgo, tuus natus
In templo, Simeon gratus
Christoque, quem amplexatus
Est cum cordis jubilo.

5. Gaude, quod Christus surrexit
De morte, qui et protexit
Oves suas, quas dilexit,

Et pie ad caelos vexit
Has sumens de barathro.

Ad Magnificat.

A. Gaude, virgo, quae post Christum
Mundum exuisti istum
Et in caelos es translata,
Ubi regnas adornata,
Tamquam imperatrix sedes,
Duodenas ornas sedes;
Orna virgo vitam meam,
Ut post istam mortem queam
Regnare cum tuo filio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Gaudeamus, fratres,
cum cordis tripudio,
Venite psallamus
cunctipotenti Deo
Ac Mariae jubilemus
dulci cantico.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gaude, mater ecclesia,
Nova frequentans gaudia
De advocata strenua,
Quae est caelorum regina.
2. Gaude, Maria, stella maris,
Orta ex radice Davidis
Cum nulla macula criminis.
3. Gaude, theotoca humilis,
Emanuel namque concipis
Virtute divini numinis.

Responsoria.

1. Gaude, stella matutina,
O virgo dulcis, Maria,
Mundi princeps et regina,
Mater Dei digna dici,
Contra tela inimici
Gaudium pone salutis,
Tuae titulum virtutis;
Tu es enim virga Jesse,
In qua Deus fecit esse
Aaron amygdalum
Mundi tollens scandalum.

V. Gaude, sponsa tu electa,
Quod es nobis via recta
Ad aeterna gaudia,
Ubi pax et gloria
Tu nos aure pia
exaudi, dulcis Maria.

2. Gaude, concha Gedeonis,
Maria, nam de altis thronis
Tu concepisti filium,
Ob id templum Salomonis
Facis atque tuis donis
Praebe caeleste gaudium.

V. Portam Ezechielis
Rex gloriae intravit,
Dum voce Gabrielis
Mariam fecundavit.

3. Gaude, virgula Jesse,
Quae florem in plena messe
Mundo lapso protulisti,
De tuo suscepit esse,
Quod nobis fuit necesse,
Deus, qui ex tuo
utero processit ad ortum,

V. Cernere divinum
lumen gaudete, fideles.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

3. Gaude, Dei thalamus,
Myrrha, thus et balsamus,
O Maria.

Responsoria.

1. Gaude, allatrix gratiae,
Reges Tharsis et insulae
Christo dona obtulerunt,
Aurum ut regi gloriae,
Myrrham ejus sepulturae,
Per thus Deum designaverunt.

V. Gaudiose stella nova
Fulgens ab ortu ut rosa

Magos ad praesepe duxit,
Cum quibus gaudes, Maria.

2. Gaudium Christus attulit
Barathri claustra rumpendo
Patribus, quos carcer vinxit,
Hos a morte redimendo.

V. Maria tunc exsultavit,
Quia vivum Christum vidit,
A morte dum resurrexit,
Qui captis opem praebuit.

3. Gaudia magna
nos pellunt promere
Laudes Christo,
ad solium gloriae
Qui scandit,
Mariae iter pandit.
Gaudes, Mater, de palma victoriae.

V. Laetetur cor tuum,
virgo regia,
Nam tuus natus
transcendit aethera.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gaude, Maria,
Templum summae majestatis,
Quia es speculum
Pulchrae virginitatis.

2. Gaude, Maria, rosa de Jericho,
Quia tu placuisti altissimo,
Ora pro tuo devoto populo.

3. Gaude, Maria, lux gloriae,
Nam das ornamentum gratiae.

Responsoria.

1. Gaude, virgo Maria,
Cunctas haereses interemisti,
Quae Gabrielis archangeli
Dictis credidisti
Et post partum virgo
Inviolata permansisti.

V. Gabrielem archangelum
Te credimus esse affatum,
Uterum tuum de spiritu sancto
Credimus impraegnatum;
Erubescat Judaeus infelix,
Qui dixit Christum ex Joseph semine esse natum.

2. Gaude, clara Dei margarita,
Pulchra basilica,
Laetare, virgo Maria,
Tu es caelorum domina;
Te enim laudare rite
Nequit omnis creatura,
Nam praebes auctorem vitae
Et fabricantem omnia.

V. Fac nos, virgo
dulcis et decora,
Gaudere tecum
in mortis hora.

3. Gaudent chori angelorum,
Ac virtutes caelorum
Student tibi resonare
Melos dulce, mulce gnare
Natum tuum, o Maria,
Qui matrem super sidera
Te collocavit omnia;
Nos a nece tua prece
Salva, Alleluja.

V. Gaudeat turba clericorum,
Quod advocáta orphanorum
Super agmina angelorum
Est cum jubilo
Fluvioque gratiarum
Pulchre locata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gaudium tibi, Maria,
Fuit, quando mente pia
Archangelo credidisti.

2. Gaude, genetrix fidelis,
Natum, qui venit de caelis,
Virgo quod tu peperisti.

3. Gaudio fuisti gavisa,
Quando perduxit stella visa
Magos ad Christum, o Maria.

4. Gaude, quod verum Deum
Natum induxisti ad templum,
Quem benedixit tunc propheta.
5. Gaude, virgo de triumpho,
Quem de tribu Juda leo
Fecit a morte resurgendo.

Ad Benedictus.

A. Gaudes, Maria inclita,
Quod hic, qui venit de Bosra,
Victor existens nobilis
Ascendit regnans in caelis.
Fac nobis hunc propitium,
Ne cadamus in barathrum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, quod sanctos superas
In hoc, quod Christo imperas,
Ut potens mater filio,
Et quod tua gloria
Non terminabitur in saecula.
Deo nos reconcilia,
Quae mater es et filia,
Ut nos tuo gaudio
Fruamur in perpetuo,
Tuo, Christe, nimio
Muniti patrocinio.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Viaticus Misnensis imp. Lipsiae 1502. B. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. C. — Brev. Misnense imp. Lipsiae (?) 1517. D. — In 2. Noct. **AA** 1 u. 2 prosaisch. — Ad Bened. **A**, 5 Fac nos hunc A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 9 Fungar in perpetuo ABCD. — Hierzu der Hymnus: Gaude sideribus mater quae imperas (Anal. IV, 58).

54. De Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Rosa rosarum omnium
Et liliorum lilium.
2. Gaude, virgo dulcissima,
Cujus corpus et anima
Singulare miraculum,
Miraculorum speculum.
3. Gaude, cujus eloquia
Sunt sicut mala aurea,
Et cujus motus animi
Vincunt odorem balsami.
4. Gaude, cujus operibus
Tamquam stolis regalibus
Nitet corpus ecclesiae,
Vestitur rex justitiae.
5. Gaude, virgo amabilis,
Tota desiderabilis,
Da nobis desiderium
Videndi te et filium,
Ut nostro desiderio
Vestra accedat visio.

R. Gaude, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Virgo mitis et benigna,
Sola bona, sola digna
Omni laude et honore
Omni loco et tempore.
V. Fac ad nostrum solatium
Dilectum tui uteri
Nostrorum semper cordium
Totis medullis inseri.

Ad Magnificat.

A. Gaude, matrona caelica,
Exsultando magnifica
Deum tuum salutarem,
Qui te fecit singularem.
Tu ancillam Jesu Christi
Te vocari voluisti,
Sed, ut docet lex divina,
Tu ipsius es domina,
Nam jus habet et ratio
Matrem praeesse filio;
Ergo ora suppliciter
Et praecipe sublimiter,
Ut nos in mundi vespera
Ad regna ducat supera.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regentem sine fine
Christum adoremus
Mentisque dulcedine
Mariae jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo, Deo plenissima,
Ad nos tua praesidia
Misericors, propitia
Converte, sancta Maria.

2. Te genetricem splendidam
Confitemur et unicam
Aeternae sapientiae,
Maria, tu nos respice.

3. Deterge nostra crimina
Corda sanans languentia,
Cui aegra clamat anima:
Succurre, sancta Maria.

Responsoria.

1. O spes divina,
via tuta, potens medicina,
Porrige subsidia
miseris, o sancta Maria,
V. In te gaudemus,
per te commissa dolemus.

2. Lux indeficiens,
venerabile sidus et ingens,
Illucesce pia
relevandis, sancta Maria,
V. Praeduce te patriam
tendimus ad superam.

3. O clemens domina,
spes desperantibus una,
Culparum venia
largissima, virgo Maria,
V. Per te vivamus,
ad te per te veniamus,

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quibus te, virgo, laudibus
Attollere poterimus,
Quorum sordent eloquia
Et actus, sancta Maria.

2. Emunda conscientiam,
Conserva innocentiam,
Fidem in nobis robora,
O theotocos Maria.

3. Mentes nostras sanctifica
Tranquilla donans tempora,
Misericors, pacifica,
O theotocos Maria.

Responsoria.

1. Vera Dei genetrix,
humanae stirpis amatrix,
Ex te justitia
processit, sancta Maria.
V. Quae damnum reparat,
quod prima propago pararat.

2. O caeli porta,
nova spes mortalibus orta,
Duc, refove, sana
properantes, sancta Maria,
V. Ad te respicimus,
quam tota mente sitimus.

3. Oramus, domina,
carnis quos crebra ruina
Allicit ad vitia,
releves, o sancta Maria.
V. Parce libens miseris,
quae cunctorum misereris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gaude, nostra sollemnitas,
Gaude, nova jucunditas,
O flos florem concipiens,
O rosa rosam pariens,
Per te mens nostra gaudeat
Et in Deo refloreat.

2. Gaude, quae pio filio
In virginali gremio
Dulcem infigens oculum
Suave dedisti osculum.

3. Exaudi nostra carmina
Acta delens peccamina
Et bona reddens perdita,
O sanctorum sanctissima.

Responsoria.

1. Sacratissima virginum,
Corruptae mentis oculum
In te rei defigimus
Et protegi deposcimus.

V. Te lacrimis, precibus
matrem pietatis adimus.

2. O spes nostra et gaudium,
Singulare refugium,
O sola salus omnium
Te caste diligentium,

V. Salve, salvatrix
et lapsorum relevatrix.

3. Gaude, regina praepotens,
Aeterna luce praenitens,
Gaude, caelorum domina,
O virginum pulcherrima,
O misericordissima,
Gaude perenni gloria.

V. Fac nos laetari
faciemque tuam speculari,
Plenam virtutis
dulcedinis et pietatis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O mater regis filii,
Cujus regni non est finis,
Felix dies ortus tui,
Qua illuxisti saeculis.

2. Per te divino jubilo
Jungamur caeli asylo,
Quo tecum Jesu Domino
Fruamur sine termino.

3. Laudent te nostra labia,
O virgo sacratissima,
Qui velamento tuarum
Nunc exsultamus alarum.

4. Caelum, mare et arida
Te benedicant, domina,
Nosque et nostra omnia
Benedic et sanctifica.

5. Collaudent Deum omnia
In matre sacratissima,
Cujus amori debitum
Persolvimus obsequium.

Ad Benedictus.

O angelorum gloria,
O pietatis viscera,
Subveni nobis, domina,
Plena misericordia,
Qui sedemus in tenebris
Ad te directis oculis.

Per Horas.

Ad Tertiam.

R. Salve, porta poli,
per quam lux splenduit orbi,

V. Fer pia devotis
auxilium famulis.

Ad Sextam.

R. Salve, Christifera,
caelesti munere digna,

V. Ora pro famulis,
o benedicta, tuis.

Ad Nonam.

R. Salve, Maria,
lux et mundi domina,
Nato tuo nos
clementer concilia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, summi regis sponsa,
Virgo et mater, gloriosa
Caelorum regina,
Pretiosa
Paradisi rosa,

Stella rutilans, aurora,
Angelorum gloria,
Sanctorum laetitia,
Justorum subsidium,
Spes defunctorum,
Advocata pia
Esto nobis apud Deum
Semper, virgo Maria.

Brev. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. A. — Brev. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11903. B. — Brev. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 15. Clm. Monacen. 16140. C. — Brev. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 523. D. — Brev. ms. Monasticum Gallicum saec. 13. Cod. Turicen. Rhenov. CX. add. saec. 15. E. — Psalt. ms. saec. 13. Cod. Civit. Nurembergen. Solg. IV. 2. add. saec. 15. F. — Brev. Curiense imp. Augustae 1520. G.

In 1. Vesp. **A** 3, 1 eloquia fehlt A. — **R**, 7 sqq. fehlen B; G hat an dieser Stelle das **R** 3 der 3. Noct. — Ad Magn. **A**, 5 Jesu fehlt G. — Ibid. 13 in fehlt G. — Ad Complet. Super nunc dim. hat D folgende Antiphon:

O Maria, virgo virginum,
Summum trinitatis sacrarium,
Angelorum speculum,
Scala sanctorum omnium,
Tutum peccatorum refugium,
Cerne, pia, nostrum periculum,
Sume suspirium,
Fac nobis placatum
Tuum pium natum,
Redde nobis filium.

Invit. 1 Regem sine G; AB haben dagegen folgendes Invitatorium:

Gaude, virgo virginum,
Gaude, florens lilium,
Maria, mater Domini.

D hat beide. — In 1. Noct. **A** 2, 4 Sancta Maria nos respice A. — **A** 3, 1 nostra vulnera BD. — **A** 3, 2 sana G. — **R** 2, 4 o sancta G. — **R** 2, 6 quo tendimus ad supernam G. — **R** 3, 2 o spes G. — **R** 3, 4 sancta Maria A. — In 2. Noct. **A** 1, 4 Actusque G. — **A** 3, 1 castifica A. — **A** 1, 6 patrarat G. — In 3. Noct. **A** 3, 1 nostra crimina G. — **R** 1, 5 lacrimarum B, precantibus G. — **R** 2, 3 sola fehlt G. — **R** 2, 6 reparatrix A. — Ad Laudes. **AA** prosaisch, während die obigen fünf **AA** in 2. Vesp. untergebracht sind. DG; dafs dieselben aber ursprünglich in die Laudes gehören, beweist ihre Anspielung auf die Laudespsalmen. — **A** 2, 3 Domino fehlt G. — **A** 3, 1 Laudant A. — **A** 3, 3 velamento tuarum G. — **A** 3, 4 exsultamus tuarum G. — **A** 4, 2 benedicunt G. — **A** 5, 3 Cum amore debito G. — **A** 5, 4 officium G. — Ad Bened. **A** prosa DG; diese **A** ad Primam G. — Ad Horas **RR** nur BD. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** fehlt A. — A betitelt das Officium „Sabbato de S. Maria".

55. De Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, Dei mater,
Quia Deus pater
Suscitavit filium
A mortuis, Jesum Christum.

R. Gaude, mater, virgo pia,
Speciosa tu Maria,
Item in hoc festo gaude,
In quo tua proles laude
De sepulchro resurrexit
Et de claustris vinctos vexit.

V. Quam gavisa tunc fuisti,
Suum vultum cum vidisti.

Ad Magnificat.

A De Magdalo peccatricem,
Narratur, ad primam vicem
Jesum perspexisse
Morte surrexisse,
Sed haec qui scripserunt,
Apte innuerunt,
Quod prima omnium
Vidit suum filium
Illa munda Dei cella,
Quae vocatur maris stella;
Haec est enim firma stola,
In qua mansit fides sola,
Dum quievit tumulatum
Corpus Jesu vulneratum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluja, filius virginis
Resurrexit a mortuis,
Ipsum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

Jam surrexit tuus natus,
Magna laude coronatus,
Inde, virgo, gratulare,
Tuos servos consolare.

Responsoria.

1. Nemo unquam gaudio
Tanto exsultavit,
Virgo mater hodie
Quanto abundavit.
Ut ipsius filius
mortem superavit.
V. Hanc populus laudet
genetricem, quae modo gaudet.
2. Caelum, terra et tu, mare,
Toto posse gratulare,
Gaudet clara maris stella,
Angelorum domicella,
Nam surrexit suus natus,
Peccatori cruciatus.
V. Nos, qui ejus indigemus,
Plus prae cunctis exultemus.
3. Plus quam omnes dilexisti,
Prima quoque perspexisti,
Virgo mater, tuum natum
Resurgentem laureatum.
V. Voce tua posce
nos caelis cernere posse.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

Partu mater illibato
In hac die exsultato,
Jesum Christum, tuum natum,
Vide morte suscitatum.

Responsoria.

1. Virgo, mundi domina,
caelorum regina,
Te monemus gaudium
prece matutina,
Quod habebas pleniter
isto die festi,
Cum surrexit filius,
pro quo prius flesti;
V. Hinc a nobis fer peccatum
Propter tuum exsultatum.
2. Corpus Jesu dum quievit
In sepulchro, abolevit
Murmur fidem ab ovili,
Sed tu, virgo, spe subtili
Sola fidem sustulisti,
Surrecturum credidisti.
V. Hinc a nobis venerare,
Semper gaude et laetare.
3. Gaude, virgo virginum,
caelorum regina,
Jam surrexit filius
crucis de sentina,
Hunc pro nobis flagita,
rosa sine spina;
V. Resurrexit magna laude
Natus tuus, virgo, gaude.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

Tibi nostrae dominae
digne decantamus,
Da per tuum gaudium,
quod jam memoramus,
Ut a nostris faecibus
omnes resurgamus.

Responsoria.

1. Fide constantissima,
virgo, praedicaris
Cum cohorte dubia
neque aestimaris,
Ista die intime
es laetificata,
Prole dilectissima
morte suscitata.
V. Eja, tuis famulis,
virgo, miserere,
Praesens dele crimina,
quotquot commisere.

2. Ista die filius
tuus triumphavit,
Surgens namque tristia
cuncta superavit,
Nobis larga crederis
tanto de honore,
Ergo dona famulis
munus in amore;
V. Quanto plus prae filiis
tua proles digna,
Dominabus omnibus
plus es tu benigna.

3. Te Mariam virginem,
matrem Jesu Christi,
Quae de omni macula
pura exstitisti,
Imploramus supplices,
nobis pia esto,
Fac nos tui filii
hoc laetare festo.
Tantum quod post obitum
illuc veniamus,
Ubi te cum filio
semper videamus.
V. Nobis, virgo nobilis,
nunc propitiare,
Tecum tuo gaudio
da nos exsultare.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gaude, mater Domini,
virgo singularis,
Jam surrexit filius
tuus salutaris,
Nobis tuis famulis
hinc miserearis.

2. Ad sepulchrum angelus
adens protestatur,
Quod surrexit filius,
qui cruciabatur,
Inde tuus spiritus,
mater, jucundatur.

3. Ex adventu angeli
sunt custoditores
Facti velut mortui
ejus per terrores,
Quod de tua anima
evulsit dolores.

4. Cum in urbe referunt
mirum se vidisse,
Ad sepulchrum angelos
de caelo venisse,
Gloriaris filium,
virgo, surrexisse.

5. Visitando feminae
mane monumentum,
Quod abinde referunt
tibi gaudimentum,
Sed erat apostolis
hoc deliramentum.

Ad Benedictus.

A. Benedicta sis, Maria,
Jesu Christi mater pia,

Quae jam valde gratularis,
Quia natum conspicaris
De dolore evasisse
Et a morte surrexisse.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Jam exorto lucis sole
Adulescens albae stolae
Jesum vivum protestatur,
Inde mater jucundatur.

Ad Tertiam.

A. Gaude, virgo, lux caelorum,
Mater regis angelorum,
Ista die revivixit
Tuus natus, sicut dixit.

Ad Sextam.

A. Qui pro nobis tulit esse
Natus tuus, virga Jesse,
Jam potitus magna laude
Resurrexit, ergo gaude.

Ad Nonam.

A. Mortem vicit in hac luce,
Qui necatus est in cruce,
Tuque, mater, tristabare,
Virgo mater, nunc laetare.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jam se sole inclinante,
Die quoque vesperante
Natus tuus, virgo pia,
Se duobus jam in via
Ostendebat surrexisse,
Qui tardabant credidisse;
Primo ipsum cognoverunt,
Dum ad mensam accesserunt,
Sic et nobis, virgo, dona,
Ut agentes istic bona
Mereamur, quamvis rei,
Consedere mensae Dei.

Cod. Graecen. 257. saec. 15. — „Officium de domina nostra, de gaudio ipsius, quod habuit in resurrectione sui filii.“

56. De Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, mater Domini,
virgo singularis,
Jam ascendit filius
tuus salutaris,
Nobis tuis famulis
hinc miserearis.

Ad Magnificat.

A. Virgo, tuus filius
ascendit in nube,
Jubilabant cithara
quasi voce tubae,
Intra caelum valide
ipsi congaudetur,
Nam excelsi filius
ibi nunc videtur
In paterna gloria,
ad quem matris sedes;
Juxta solem fulgida
stella lucem praebes.
Tua pulchritudine,
prolis deitate
Exsultant caelicolae
in aeternitate,
Unde te suppliciter,
virgo, imploramus,
Nato nos concilia,
polo ut cernamus
Et cum ipso pariter
in sereno cultu
Confruamur gaudio
suo claro vultu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem natum de Maria,
Ascendentem mira via,
Adoremus mente pia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo, dulcis tuus natus
Ista die exaltatus
Supra caelos est levatus.

2. De te matre qui egressus,
Mortem propter nos perpessus,
Est ad patrem nunc regressus.

3. Qui exivit virginales
Portas, frangens infernales,
Nunc inivit aeternales.

Responsoria.

1. Dilectus meus abiit
in ipsius hortum,
Ubi semper gaudium
poenis non retortum,
Illuc verae tendite
ad salutis portum.
V. Dona nobis gratiam
hic ad paenitendum
Et in morte studeas
nobis succurrendum.

2. Virgo, decus sacculi,
clara stella maris,
Pulchra tua facies
fulgor ut lunaris,
Praeelecta omnibus
ut sol luminaris.
V. Fac nos tuum filium
modo ascendentem
Judicem suscipere
laete venientem.

3. Cunctarum pulcherrima
o tu mulierum,
Quo dilectus abiit
tuus hic dierum?
Ad caelorum solium
nunc ascendit mire,
Juva nos post obitum
Illuc pervenire.
V. Fac in nobis cor sincerum,
Ut noscamus iter verum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ora, virgo, nobis Deum,
Per te factum Galilaeum,
Ascendentem ad oëum.

2. Condignatum de te nasci
Et de tuo lacte pasci
Ascendentem nobis acci.

3. In te qui se humanavit,
Modo caelos penetravit,
Hinc mens tua exsultavit.

Responsoria.

1. Sponsus tuae castitatis
Natus et virginitatis
Cum ascendit super caelos,
Decantabant sancti melos;
O quam laeta exstitisti,
Cum tu, mater, hoc vidisti!
V. Voce tubae angelorum
Jam ascendit rex caelorum.

2. Gaude, virgo, caeli porta,
Per quam nobis lux est orta;
Gaude, vellus Gedeonis,
Throne novi Salomonis;
Qui elegit te in matrem,
Ivit laetus jam ad patrem;
V. Hunc pro nobis, mater, ora
In extrema mortis hora.

3. Gaude, virgo virginum,
Caeli tu regina,
Jam ascendit filius
In excelsum Sina,
Hunc pro nobis flagita,
Rosa sine spina,
V. Chori gaudent angelorum,
Quod advenit rex ipsorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Jam ascendit voce tubae
Tuus natus clara nube,
Hunc placare nobis jube.

2. Dele labes peccatorum
Ista die, qua caelorum
Scandit regnum lux sanctorum.

3. Eja, nostra advocata,
Propter ista festa grata
Dele nostra scelerata.

Responsoria.

1. Virgo mater, nunc exsulta,
Adornaris laude multa,
Fructus namque tui alvi,
Per quem facti sumus salvi,
Jam ascendit super caelos,
Unde tibi damus melos;
V. Victo bello Babylonis
Sedet modo super thronis.

2. Foras in Bethania
Jesu praecedente,
Turbaque fidelium
eum prosequente,
Elevatis manibus
sursum ferebatur,
A te et discipulis
illud videbatur;
Propter istud gaudium,
quo tunc fruebaris,
Virgo, tuis famulis
nunc miserearis;
V. Juva, quod post obitum
illuc veniamus,
Ubi te cum filio
semper videamus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Isto die, domina,
tecum gloriamur,
Quod ascendit filius
caelos, recordamur,
Illuc per te ingredi,
virgo, mereamur.

2. Nato tuo psallimus
caelum ascendenti
Tibique concinimus
inde pergaudenti,
Sibi nos concilia
olim venienti.

3. Foras in Bethania
Jesu praecedente
Sequuntur quam plurimi,
quos benedicente
Scandit super sidera
te aspiciente.

4. Hunc a tuis oculis
nubes occultavit,
Gaudent omnes angeli,
caelos cum intravit;
Quantum tuus spiritus
inde exsultavit!

5. Mox videbas angelos
laetos descendentes,
Adventurum judicem
natum praedicentes,
Nos ipsum suscipere
juva tunc gaudentes.

Ad Benedictus.

A. Gaude, virgo, in hac die,
In qua tua proles pie
De deserto Babylonis
Scandit regnum aquilonis;
Ibi secum nunc laetaris
Et a nobis veneraris,
Illuc per te adjuvemur,
Ut aeternum jucundemur.

Cod. Graecen. 257. saec. 15. — „Incipit. offic. de B. V. in admonitione gaudii, quod habuit in ascensione sui filii. — In 3. Noct. **A** 1, 3 Hinc. — In Laud. **A** 1, 5 te aggredi. — **A** 2, 6 Lücke von zwei Silben; olim ergänzt.

57. De Gaudiis BMV.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Nos peccatis nostris maesti
Hujus magni die festi
Imploramus te, Maria,
Nos soleris, virgo pia.

Ad Magnificat.

A. Ave, templum Domini,
virgo gloriosa,
Pneumatis sacrarium,
flos et florum rosa;
Ave, spes et unica
salus nostrae spei,
Ave, nostra domina,
mater nostri Dei;
Ave, domicilium
omnium virtutum,
Ave, contra jacula
hostis nostrum scutum;
Ad te tristes orphani
currunt, quos soleris,
Dona sancti spiritus
nobis depreceris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum
Matris in honore,
Qui dat sanctum spiritum
Pro consolatore.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fili patris Dei
Nec non matris mundae,
Ut salvemur rei,
Sanctum flamen funde.

2. Servos matris tuae
Tibi nunc devotos
Causa precis suae
Fac peccatis lotos.

3. Hac festivitate
Eam venerantes
In aeternitate
Effice laetantes.

Responsoria.

1. Stirps Jesse virgam
produxit virgaque florem,
Et super hunc florem
requiescit spiritus almus;
V. Virgo Dei genetrix
virga est, flos filius ejus.

2. Virga tuum florem,
caeli decus, orbis honorem,
Quem contra morem
paris intemerata pudorem,
In nobis nasci
fac, nos per eumque renasci,
V. Vi superioris
divini germen amoris.

R. O rubicunda rosa,
nullo vitio maculosa,
Mater virtutis,
auctrix tu sola salutis,
V. Ut te ductrice
capiamus gaudia vitae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum pneuma veneramur,
Cujus cellam te laetamur,
Consolari hoc precamur.

2. Jesu mater, labe pura,
Sancto rore nos procura,
Ne damnemur in tortura.

3. Ut sit nobis gloriandum,
Natum tuum venerandum
Monstra nobis ad spectandum.

Responsoria.

1. Fulgida stella maris,
quam multa laude bearis!
Es meritis plena,
quia mater, virgo serena,

Per te salvantur,
quicunque tibi famulantur;
V. Sis miseris fautrix,
quia pia salutis es auctrix.

2. Christi supereminentissam
Veneremur in Maria gratiam,
Quoniam elegit
Eam Deus et praelegit
In habitationem sibi.
V. Haec munus spei
det nobis et requiei.

3. Salve, porta poli,
Domino quae pervia soli,
Tu mater Christi
fieri quae digna fuisti,
Tu virgo mitis,
da verae pocula vitis,
V. Ut laeti patriam
valeamus adire supernam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo pulchra facie
Moribus serena,
Tu supernae gratiae
Abundanter plena,
Duc nos ad amoena.

2. In hoc sancti spiritus
Festo damus vota
Tibi nec non filio
Mente nostra tota,
Tu nos illo pota.

3. Mentes nostrae permanent
Veritate caecae,
Has, virgo, illumina
Lota inde faece,
Ne damnemur nece.

Responsoria.

1. Virgo speciocissima
Et in omnes te invocantes clementissima,
Tu, quae salvatorem genuisti
Nec pudorem amisisti,
Nos tibi devotos agnosce
Et post mortem filii
gratiam posce;
V. Regni consortes
ut simus, dilue sordes.

2. Ave, mater misericordiae,
Ave, solamem miseriae,
Ave, sanctorum gloria,
Ave, totius boni copia,
Juva misericorditer
Ad te clamantes jugiter,
V. Quae spiritu sancto teste
Manens virgo meruisti
Mater esse.

3. O beatus uterus,
inexpertus virum,
Qui creavit filium
ad naturae mirum,
Hunc, qui suo sanguine
suos liberavit
Et de caelis spiritum
sanctum destinavit,
V. Hic est ille, Moysi rubus
Quem signavit incorruptus,
Aeternum vere generavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Modo tuus filius,
Virgo, destinavit
Illis sanctum spiritum,
Quos cruore lavit,
Qui et, dum conciperes,
tibi obumbravit.

2. Qui te cunctis feminis
praeilluminavit,
Corda apostolica
modo visitavit,
Inde tuus spiritus
jure exsultavit.

3. Misit in apostolos
Deus sanctum pneuma,
Quod his linguae attulit
omne figureuma,
Virgo, quae hunc filium
genuisti, neuma.

4. Quavis sancti spiritus
semper plena dote,

Descendente attamen
ipso modo pote,
Plus es prae apostolis
gavisa devote.

5. Linguis sancto spiritu
novis informati
Loquuntur magnalia
tui cari nati,
Magnum tuum gaudium
Hoc, mater, mirati.

Ad Benedictus.

A. Benedicta inclita
virgo stirpis piae,
Quae es porta gratiae,
quam hac misit die
Christus, tuus filius,
servis et amicis,
Te rogamus, respice
nos illius mitis.

Cod. Gracen. 257. saec. 15. — „Incipit officium B. V. de gaudio, quod habuit in adventu sancti spiritus.“ — In 1. Vesp. Ad Magn. A, 14 curri quos. — In Laud. A 1, 3 Alis sanctum. — A 5, 5 tue gaudium.

58. In Assumptione BMV.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetus plaudat
coetus ecclesiae,
Caelesti
congaudendo curiae,
Vitae generatrix
et gratiae
A morte
resurrexit hodie.

2. Haec est illa,
quae vitam peperit,
Per quam mundus
salutem reperit,
Mortis aculeus
qua deperit,
Mortem suae
carnis quae proterit.

3. Post hiemem
turtur insonuit,
Quando mortis
imber succubuit,
Qua corrumpi
virgo non potuit,
Quae Deum
incorrupta genuit.

4. Mater sancta,
vita viventium,
Per quam vita
vivit credentium,
Ades votis,
pia, fidelium,
Festis te
laudibus canentium.

5. Nunc resurgis
in carnis gloria,
In qua carnem
se fecit gratia,
Nos a culpis
obtenta venia
Tua resuscitet
potentia.

R. Conscendit ad
caeli palatia
De nostri
pulveris angustia
In virore
carnis floridula
Ut ex pigmentis
fumi virgula;

V. Ascendit de
deserto saeculi
Ad ipsum usque
caput anguli.

Ad Magnificat.

A. Hodie refloruit
caro virginis
Labe superata
nostrae originis,

Transit saccus nostrae
vilitatis in gloriam
De squalore
terreno in lactitiam;
Matris in praemio
laudemus filium,
Simile sperantes
ab eo gaudium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Filiae Sion, concurrite,
Laudare Deum accedite,
Festum in condensis agite,
Christi matrem canite,
Resurgenti choros ducite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In terram nudo
grani jacto semine
Crescit laeta seges
ex tali germine,
Sic Mariae corpus
resurgit in gloriam
Mortalis casus
evincens tristitiam.

2. Quod homo seminat,
vitam non accipit,
Si non prius mortis
sinus hoc recipit;
Jam de sinu mortis
virgo reducitur,
Quae vitam peperit,
qua mors emoritur.

3. Mors absorpta est
in Christi victoria,
Vitae mater in
vitae redit gaudia,
Surgit, quae dormit,
suscitante filio,
Fulget candens
aeternae lucis radio.

4. Post hiemem verni
flores dum rutilant,
Aves jam novo
tempori conjubilant,
Matri Christi turba
complaudit caelica,
Dum pleno surgit
gaudio mirifica.

5. In spe sancta cujus
caro quieverat,
Humani generis
quae spem pepererat,
In rem spei suae
resurgit hodie
Augeantur laudes
adauctae gloriae.

6. Carnis corruptelam
ipsa non pertulit,
Mundi corruptelam
quae partu sustulit,
Nec in matrem
invaluit corruptio,
Quae vim suam
non tenuit in filio.

Responsoria.

1. Christus resurrexit,
primitiae dormientium,
Nobis reserans aditum
ad terram viventium,
Quo intemeratum
corpus transfertur hodie,
In quo carnem se
fecit rex gloriae.

V. Verbum caro factum est
de carne virginis,
Quae nunc renovatur
in decore luminis.

2. Virgo singulare
templum Deo et homini,
Exspectabat beatam spem
atque adventum Domini,
Venit ipse, qui venerat,
exsurgit, quae dormierat.

V. Resuscitavit
pater filium
Et matrem filius
in gaudium.

3. Hodie corpus
nostrae humilitatis
De terrenae surgens
sorde vilitatis
Reformatur et per
gratiam configuratur
De se nato corpori
divinae claritatis.

V. Sanctum est templum
tuum, Domine,
Mirabile
in aequitate.

4. Matrem Christi,
quam decuit sanctitudo,
In quam gratiae
descendit plenitudo,
Resurrectionis
ornat pulchritudo
Et perpetua
dierum longitudo.

V. Dominus regnator
decorem induit
Se et eam, quae
Christum carne genuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Carnis vetustatem
virgo jam repulit,
Quae nostram de se
novitatem protulit,
Gaude, chorus jam
baptismo renovatus,
Atque spera, quod
resurgas hinc beatus.

2. Adduxit Dominus
ventum de deserto,
De ventre thalamum
carnis non experto,
Ille ventus urens
siccat mortis venas,
Ejus in se rumpens
et in matre habenas.

3. Sicut renovatur
aquilae juventus,
Ita novus in te
decor est inventus,
Dum resurgis
ad vocem filii,
Virgo, carne
vincens decus lilii.

4. Virgo, quae
resurrectionem genuit,
Flore resurrectionis
refloruit,
Spes ei reponitur
in usum rei,
Olim quam gesserat
in sinu fidei.

5. Summae virginis
ossa jam glorificata,
In terrae gremio
prius humiliata,
Exsultant in spiritu
summo spiritui,
Gaudium et laetitia
dantur auditui.

6. Cum ad te, Deus,
omnis caro veniet,
Votum in Jerusalem
Sion perficiet,
Te decet hymnus,
qui nunquam deficiet,
Nec laus tuae matris
finem inveniet.

Responsoria.

1. Ascendat vox nunc
canora jubilatione,
In jucunda summae
matris resurrectione,
Quae resurgens ad bravium
duplicis coronae,
Regnat certato itaque
feliciter agone.

V. Corde et manu, gentes
redemptae, plaudite,
Regi et reginae
sapienter psallite.

2. In decachordo
psalterio cum cantico

In cithara laudemus
matrem in filio
Exaltatam
super sidera.

V. Regina regni Davidici
Stola jam fulget duplici.

3. Beata progenies,
unde Christus natus est,
Ejus, qui portavit Christum,
venter beatus est,
Ejus neque pes est datus
in commotionem,
Neque caro permissa
videre corruptionem;

V. Ante suscitata
diem novissimum
Locum tenet regi
regina proximum.

4. A dextris regis
adsistit jam regina,
Carnis gloria
utique est divina,
De quo passo
plus Maria doluit,
A regnante
plus beari meruit;

V. Carni vicem
reddit immortalitatis,
De qua sortem
sumpserat fragilitatis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Virgo, tenens nostri
clavem auxilii,
Quae jam dominaris
in regno filii,
Ut festum tui
jam perfecti gaudii
Fiat nostri
solatium auxilii.

Responsoria.

1. Virga Jesse,
quae quondam floruit,
Dum in ea
flos carnem induit,
Per eundem,
quem primum attulit,
Secundo carnis
florem protulit;

V. Quae nobis
lignum vitae peperit,
Sibi vitam
ex eo repperit.

2. Felix illa fuit
temporalis hora,
Qua peracta mortis
pretiosae mora
In aeternitatis
resurgit aurora
Mater Christi carne
sicut sol decora.

V. Pertransit de aurora
in meridiem
Omnem transcendens
angelorum seriem.

3. Resurrexit Christus,
qui creavit omnia,
Maria resurgit
in eadem gloria,
Sedet Christus in paterno
judex solio,
Patri medius et matri
communi gaudio;

V. Trinitas beata,
ubi unitura
In tertio duorum
utraque natura.

4. Gaude, Maria
virgo, mater gaudii,
Gaude, principium
nostri remedii,
Initiatrix
arcani consilii,
Pleno gaude
gaudio filii,
Dono cujus tibi
donatur culmen solii.

V. Te venerantur
ordines caelestium,
Omne genu se
substernit terrestrium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mater sancta Dei,
suscepta sinu requiei,
Pro nobis oret,
ubi pleno lumine floret.
2. Post laudes Christi
laus proxima competit isti,
Sub nostra sorte
de qua fit homo sine sorde.
3. Est sine lege patris
caro nati, quae caro matris,
Et duo sunt et idem,
differt honor, est tamen idem.
4. Matris honor totus
in te, pie nate, redundat,
Atque tuo tecum
per te tua mater abundat.
5. Ne quasi dimidiae
pars sordeat una Mariae,
Spiritus atque caro
vernant in lumine claro.

R. Gaude et laetare, Sion,
Natus in te Deus homo
Carnis matrem electam ex millibus
Fundavit altissimam altissimus.

V. In Sion prius fundata,
Nunc in Jerusalem est
Ejus potestas firmata.

Ad Benedictus.

A. Aeterna te, Maria,
decet beatitudo,
De qua nobis emanavit
vera redemptio,
Tua, quam colimus,
beata resurrectio
Sicut perfudit angelos
felici gaudio,
Sic et nobis peccatorum
fiat remissio.

In 2 Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In sui corporis
resurrectione
Exsultat bravio
duplicis coronae
Virgo, per quam fortes
fimus in agone,
Serviamus ei
cum devotione,
Ut nos sua visitet
consolatione.

Cod. Graecen. 1247. saec. 12. — In 1. Vesp. **A** 2, 8 quae fehlt. — In 1. Noct. **A** 4, 7 surget. — In 2. Noct. **R** 3, 3 Cujus. — **R** 4, 9 sq. Aute novissimum diem suscitata. — Hiezu die beiden Hymnen Anal. IV Nr. 88 und 89.

59. In Assumptione BMV.

Antiphonae

per hebdomadam ad Nocturnum.

1. Immensi regis
genetrix et cuncta creantis
Evecta est hodie angelica
super agmina cuncta,
In jubilo vocis
solvamus munia laudis.
2. Hac profecto die
perpetua virgo Maria
Caelos ascendit
terrasque perosa reliquit,
Regnat nunc quia cum
Christo, laetamini, quaeso.
3. Filius, ecce, Dei
properat occurrere matri,

Collocat in solio
super omnia sidera celso
Angelicisque choris
praefert super aethera cunctis.

4. Suscipitur mater
Christi reginaque mundi
Angelico laetante choro
caeloque corusco,
Unde hujus laeti
veneremur festa diei.

5. Si Dominum in sanctis
ejus laudare jubemur,
Multo plus sancta
caelos migrante Maria,
Gignere quae meruit
ipsum, qui cuncta creavit.

6. Mundi regina,
perpetua virgo Maria
Assumpta est hodie in
caelum, gaudete, fideles,
Laudantes Jesum
festivo carmine Christum.

Ad Benedictus et ad Magnificat

per hebdomadam Antiphonae.

1. Gaudeat ecclesia
mundi per climata cuncta,
Praefulget hodie meritis
quia virgo Maria,
Mater sancta Dei
transcendit culmina poli.

2. Gaudent, ecce, poli
cives super astra superni
Mundi reginam
secum sumpsisse Mariam,
Nosque hodie haec tanti
celebremus gaudia festi.

3. Ecce, Maria super
omnes transcendere caelos
Digna hodie meruit,
quae ipsum, qui cuncta
creavit,
Virgo Deum genuit,
post partum virgo remansit.

4. Sancta Dei genetrix,
mundi fortissima victrix,
Quae scandens hodie
cepisti praemia vitae,
Sanctis obtineas precibus,
ut perveniamus.

5. Nempe Maria hodie
Jesum petit aethere Christum,
Orans pro miseris,
ut dentur culmina nobis
Cunctis, nunc ideo
laetemur corde jucundo.

6. O virgo alma Dei,
mater reginaque mundi,
Quae cuncta angelica es
super agmina cuncta beata,
Tu coram Christo
nostri, petimus, memor esto,
Deposcens miseris
caelorum gaudia nobis.

Responsoria

per hebdomadam ad Nocturnum.

1. Spina dedit florem
castum servando pudorem,
Justitiae solem
patris per saecula prolem,
V. Gaudeat omnis homo,
quoniam peperit pia virgo.

2. Ante thorum virginalem
jucundemur laudibus,
Deo nostri jubilantes
indefessis vocibus,
Ut nos semper pia virgo
suis servet precibus,
V. Incessanter deprecemur
virginis praesidium.

3. Stirps Jesse virgam
produxit virgaque florem

Et super hunc florem
requiescit spiritus almus:
V. Virgo Dei genetrix
virga est, flos filius ejus.
4. Ad nutum Domini
nostri deitatis honorem
Sicut spina rosam
genuit Judaea Mariam,
V. Ut vitium virtus
operiret, gratia culpam.
5. Stella maris praedicaris,
Flos, qui de te processit,
Rore caelos sparsit
Fructus tui ventris
Angelorum choros pascit.
V. O Maria, mater pia,
Fac, ut fructu satiemur
Et odore repleamur.
6. Rosa fraglans, lux solaris,
Virginale speculum,
Praesignaris singularis
Castitatis titulum.
Et propinans salutaris
Medicinae poculum,
Matris irae mater pia
Redimens interitum.
V. Jus naturae
Stupet pro te virgine,
Quia Deum peperisti
Pariter et hominem.

Brev. ms. S. Michaelis de Clusa saec. 14. Cod. Taurinen. D VI 11. — Die neun ersten Antiphonen finden sich bereits aus spanischen Quellen Anal. XVII, 28 u. f. Von den Responsorien finden sich 1, 3 und 4 in den Werken Fulberts von Chartres; die übrigen hier ausgelassenen **RR** der Hs. sind prosaisch. — Ad Noct. **A** 2, 5 cum fehlt. — Ad Bened. **A** 1, 3 Perfulgens. — **A** 3, 4 quia ipsum. — **A** 4, 5 obtine. — **A** 6, 5 coram ipso. — **R** 6, 8 Redimeret. — **R** 6, 9 fehlen, wie es scheint, vier Silben.

60. In Festo Mariae Nivis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudeat hac hora
modulando laude sonora
Felix ecclesia
de te, praeclara Maria.
2. Virgula frondescis,
praebens exempla nitescis,
Crescis, florescis
Isaia teste, Maria.
3. Austro perflaris
sacro, Deo sancta crearis,
Ornaris claris
sertis, veneranda Maria.
4. Tu Jahel insignis,
mirandis praedita signis,
Hostilem vilem
Sisaram feris arte, Maria.
5. Mentales lites
sapiens sedas Thecuites,
Clara Rachel, vana
sana jam nostra, Maria.

R. Summi sponsa Dei,
caelestis agalma diei,
Cillens aurora,
pro transgressoribus ora,
Prolem, virgo, paris
gaudens sine labe, Maria;
V. Nobis, stella maris,
succurre, beata Maria.

Ad Magnificat.

A. Magnificata parens,
arens vellus reperiris,
Iris, aquae portus,
hortus virtutis, avita
Vita, decus laudis
audis, donis redimiris
Miris, fac imos
primos nos, virgo Maria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Flos vernalis, ave,
vigilantes in theoria
Erue nos a vae
jubilantes, virgo Maria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancta Dei gaude
genetrix vitae, modo plaude,
Mira prophetia
pariet tua signa, Maria.
2. Orbivagos orbes
rege semper, vera sophia,
Ipsorum morbos
depelle, benigna Maria.
3. Vox Gabrielis fert nova caelis
Emmanuelis,
Mons Danielis et Ezechielis
porta, Maria.

Responsoria.

1. Psalle, coronata,
de stirpe David generata,
Nobilis et grata,
nova stella, vocata Maria,
V. Templo collata,
Domino sacrata Maria.
2. Ambis, virgo, virum,
testante per Jeremia
Caelorum gyrum
qui circuit, alma Maria;
V. Sic thalamum mirum
locat in te, casta Maria.
3. Nubet vim roris
germen dat vinea odoris,
Dum generas regem
regum, speciosa Maria,
V. Transcendis legem
matrum pariendo, Maria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Thurea cellula, Jessea virgula,
gratia dia,
Regia filia, fers nova lilia,
pura Maria.
2. Forma decoris, flagor amoris,
fragor odoris,
Norma pudoris, dulce stuporis
manna, Maria.
3. O rosa virginea,
dantur tibi cara Sabaea
Regia dona tria,
aurum, thus, myrrha, Maria.

Responsoria.

1. In templo solem
lux offers, filia prolem,
Sol fugis, arca redis,
prius et post virgo, Maria;
V. Cum eat ex munda
rex unda, plaude Maria.
2. In cruce pallescit
Christus, moriendo rigescit,
Clamat et indulget
te compatiente, Maria;
V. Ordo novus fulget
Christo surgente, Maria.
3. Victorem mortis
in caeli conspicis hortis,
Lampas siderea,
virtutis idea, Maria;
V. Nos fer ad aetherea
superorum, virgo Maria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regia regina,
maesti cordis medicina,
Nexum perplexum
sordis disrumpe, Maria.
2. Hic desolatis
cognatis fons pietatis,
Per te, virgo pia,
Dei almum pneuma, Maria.
3. Dulcia flumina, sacra volumina,
clausa sigilla,
Fulgida lumina, caeli cacumina
pande, Maria.

Responsoria.

1. Actibus ex claris
per saecula mille bearis,
Pulchra velut luna
rutilas mortalibus una,

Ecclesiae rectrix,
docuisti mira, Maria,
V. Vitae correctrix,
tege crimina nostra, Maria.

2. Vitis, lux, tellus,
virtus, dulcedine manas,
Mitis, dux, vellus,
virus mulcedine sanas,
Ex magni stagni
foveas nos rore, Maria,
V. Aurea, laurea, stellea, mellea,
dicta Maria.

3. Stella soli, tere bella doli,
soli via soli,
Arca poli veneranda, poli
nos proxima proli,
Christi virgo parens,
scandis super astra, Maria,
V. Optima jam parens
post te nos tolle, Maria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnans Hesther, ave,
quae gustas pascha suave,
Aman vicisti,
sanxisti fausta, Maria.

2. Abigail prudens,
jubilas super aethera ludens,
Jam David iratum
placatum redde, Maria.

3. Munda parens Anna,
Ruth sedula, casta Susanna,
Nostras fac mentes
Flentes vigilare, Maria.

4. Tu Noëmi mara,
nunc rides, splendida Sara,
Nos, benedicta Lia,
velut arida riga, Maria.

5. Omnes te laudent,
qui te dominam fore gaudent,
Te laus perfudit,
Judith divina, Maria.

Ad Benedictus.

A. Gemmea sacrarum
princeps et lux animarum,
Dignior in thronis
aulae veri Salomonis,
Imprime cortinae
caelorum nos sine fine,
Orta galaxia
qui psallimus, virgo Maria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O rubicunda rosa,
legis praelucida glosa,
Vultu splendescens,
in regno laeta quiescens,
Janua caelestis
transmitte levamina maestis,
Trina hierarchia
Te laudat, magna Maria.

Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I ℵ 3. saec. 15. — In 1. Noct. **R** 3, 3 generans. — In 2. Noct. **R** 1, 5 Tueatur ex munda. — In 3. Noct. **R** 2, 6 fovea. In Laud. **A** 4, 4 velut ara.

61. In Festo Mariae Nivis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Lucis candor sempiternae,
Castitatis, speculum,
Virgo benigna,
Mater gratiae supernae
Grande dat miraculum
Novaque signa.

2. Virgo nivei pudoris,
Nitens intus, candens foris,
Nivem dat ab aethere,

Mater nostri salvatoris,
Quando tempus est ardoris,
O mirum prae ceteris!

3. Roma stupet et miratur,
Dum nix in aestate datur
Prorsus praeter morem,
Quid praetendat, ut sciatur,
Candens flos interpretatur
Vitae dans odorem.

4. Ut nix alba leniter
Descendit de superis,
Sic virgo pura dulciter
Infudit dona miseris.

5. Quem in terris consolatur
Candida virginitas,
Super nivem dealbatur
Ejus mentis puritas.

R. Dominus rex omnium
Vas sibi puritatis
Praeelegit solium,
Donum majestatis,
Spiritus sacrarium,
Templum trinitatis,
Ut purgaret lolium
Nostrae pravitatis;
V. Candidior nive
mater est haec virgula Jesse.
Nimis proclive
Deus hic sibi contulit esse.

Ad Magnificat.

A. O virgo christifera
Nimis dealbata,
O vitis fructifera,
Prole fecundata,
Ad laudem tui nominis,
Mater Dei hominis,
Templum praemonstrasti,
Media dum in aestate
Nivis monstrans densitate
Locum praesignasti;
Colentes haec prodigia,
O mater aevitatis,
Duc tua per vestigia
Ad regnum claritatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Imperatricis omnium
Festa colentes nivium
Praedulci vocis jubilo
Nunc jubilemus Domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Templum virginis beatae
Nix demonstrat in aestate,
Roma datur in stuporem
Nive candens praeter morem.

2. Duo simul opposita
Jungit eodem tempore,
Aestiva namque caumata
Stant cum nivis frigore.

3. Templi cinxit ambitum
Nivis densitate
Potestate divina,
Et per templi spatium
Solis claritate
Jacet nix, pruina.

Responsoria.

1. Ad honorem inclitae
Virginis Mariae
Venit nix cum frigore
Aestivali die,
Roma stupet et laetatur
Tanto Dei miraculo,
Templum aedificatur
Virginis sub titulo.
V. Templi structura
monstratur virgine pura.

2. Dum rota solis volvitur
In sphaera virginali,
Quando tellus uritur
Fervore aestuali,
Aer gelu stringitur
Supernaturali,
Imber simul funditur
Cum aqua niveali,
V. Signa per insueta
fit plebs Romanaque laeta.

3. Candor nivis densitate
Virginis immaculatae
Signat castitatem,
Quod descendit in aestate,
Signat in necessitate
Matrem caritatis.
V. O mitis, casta
virgo, petentibus asta.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christo regina adstitit
A dextris dealbata.
Thronus regis exstitit
Veste deaurata.
Sole est circumamicta
Mater illa benedicta.

2. Nix descendens caelitus
Urbem laetificavit
Grande per miraculum,
Johannes patricius
Decorum fabricavit
Mariae tabernaculum.

3. Nix per gyrum penitus
A populis inventa
Monstrabat divinitus
Templi fundamenta.

Responsoria.

1. Summum pontificium
Liberius tenebat,
Johannem patricium
Tum felix habebat
Urbs, visionem similem
Uterque praevidebat,
Quae locum mox praenobilem
Eis ostendebat.
V. Templum fundantes,
reginam glorificantes.

2. Calor solis aestuat
Sub signo virginali,
Terram nive refrigerat
Supernaturali
Genetrix beata:
V. In calore nimio
Adest refrigerio
Supplex invocata.

3. Ut nix de caelo veniens
Illuc non revertitur,
Terra vero sitiens
Per ipsam infunditur.
Sic Mariae gratia
Praeveniens in mentem
Nunquam venit vacua,
Sed reficit egentem.
Ut amplius proficiat
V. Germen virtutis,
fructum gignendo salutis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Selmon monte Domini
Nive dealbantur,
Qui amore fervidi
Deum contemplantur.

2. Omnis terra, Alleluja
Domino cantate,
Qui nivis refrigeria
Dedit in aestate.

3. Tu, virgo christifera,
De novo fervore
Cor aridum refrigera
Niveo candore.

Responsoria.

1. Gedeonis quondam vellus
Rore caeli maduit,
Sicca tamen mansit tellus,
Sicut cunctis placuit,
Sic nec fuit irrigata
Dei genetrix beata.
Quando Deum genuit;
V. Virgineo more
capit hunc Gabrielis ab ore.

2. Plebs Romana concurrebat,
Signum enim cum videbat,
Laudem Deo retulit,

Papa terram confodebat,
Ut per gyrum nix jacebat,
Terra se aperuit.

V. Persolvens vota
pia plebs est, concio tota.

3. Pontifex egregiam
Consecrat basilicam
Sub titulo Mariae,
Ubi corpus tumulo
Quiescit sub altario
Apostoli Matthiae;
Ibi aegroti confluunt,
Plebis et cleri resonant
Praedulces melodiae.

V. Laetifica mentes
tua, virgo, festa colentes,
Culparum sentes,
pungunt quae, tolle nocentes.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Gaude, chorus civium
Caelestis monarchiae,
Adsunt festa nivium
Virginis Mariae.

2. Haec est mater honorata
Nata veri David,
Haec est pulchra Noëmi,
Quam Booz adamavit.

3. Haec est urna aurea,
Quae manna receptavit,
Haec funda veri Davidis,
Quae cum jactu lapidis
Goliam prostravit.

4. Hanc arca legis virginem
Diu praesignavit,
Haec Aaron virgula
Nuces procreavit.

5. Hanc vellus Gedeonicum
Et templum Salomonicum
Bene figuravit,
Hanc rigavit caeli ros,
Hanc Salomon pacificus
Caste subintravit.

Ad Benedictus.

A. O decus puellare,
Verbi Dei cella,
Per hujus mundi mare
Duc nos, maris stella,
Duc ad portum civitatis
In vita novella,
Ne nos torrens voluptatis
Mergat in procella,
O puella, fuga bella
Carnis, mundi, daemonis,
Da salutem et virtutem
Utriusque hominis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Humilitatem Dominus
Ancillae respexit,
In cunctis mulieribus
Hanc virginem dilexit,
Ex ea sibi habitum
Humanitatis texit,
Et per illius meritum
Hominem erexit
A mundi, carnis, daemonum
Impetu protexit.

Brev. ms. Olomucense saec. 15. Cod. Capit. Olomucen. 155. A. — Brev. ms. Cracoviense saec. 15. (Privatbesitz) B. — Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 22. C. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 Supernae fehlt AC. — **A** 5, 1 Quam in A. — Ad Magn. **A**, 2 Candore nimis A. — Ibid. 3 O fehlt A. — Ibid. 9 monstras A. — In 1. Noct. A 1, 1 Templi B. — **A** 3, 1 Templum A. — In 2. Noct. **R** 3, 1 Ut fehlt A. — **R** 3, 2 Illic A. — **R** 3, 11 gignando A. — In Laud. **A** 4, 4 Vites procreavit A. — Ad Bened. **A**, 10 daemonis fehlt **A**. — In 2. Vesp. ad Mag. **A**, 8 erexit fehlt A. — Ibid. 9 daemonis AB. — Hiezu der Hymnus: Plaude caelestis civitas (Anal. IV, 60).

62. In Festo Mariae nivis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Vellere, Christe, mades
in virgine qui Gedeonis,
Matris festa tuis
auge devota colonis.
2. Quae despicantis
maduit tunc area viri,
Virginis exhibuit
templum nive te generantis.
3. Patricii vota
Deus inspexit bene mota,
Exhibet huic aedem,
sub qua se fecit heredem.
4. In nivium festo,
mater Domini, memor esto,
Ferre bonum maesto,
pia sis illi prece praesto.
5. Nos nive candoris
frigefac, bona, ne caleamus
Aestibus horroris,
bene psallere quod valeamus.
6. Caeli regina,
nobis vitae medicina,
Aures inclina,
ne stemus sorte supina.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
natum plebs virginis almum,
Qui nivium donis
dominatur in ungue leonis.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Christe, tuum servum
mittas in pace protervum,
Muta decreta,
tua mater adest proseneta.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Qui dedit ut lanam
nivis imbrem, glorificetur,
Virginis et matris
Deus in festo veneretur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Resplendent opera,
digitorum, Christe, tuorum,
Virginis eulogia
dum stant pro parte reorum.
2. Format ei templum
Dominus in sole leonis,
Virginis exemplum
quod ad instar dat Salomonis.
3. Fundavit Dominus
ad honorem virginis almae,
Dextra quae palmae
residet, templum speciosum.

Responsoria.

1. Gaudia quaeramus
animos nostros recreantes,
Festa recondamus
dominae nova magnificantes,
V. Gaudet et in nato
benedicta Maria jucundo.
2. En, opus insigne
matris patet in nive digne,
Nix friget et candet,
rara est, albet, fluit igne;
V. Illa nivis jura
tenet in se virgo Maria.
3. Hanc nivium donis
circumscripsit Salomonis
Codex, est pulchra
virgo, sed candida tota,
V. Et friget in toto,
non est ibi sensa libido.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eructavit cor
verbum gratum, quia fervor
Virginis ad Christum
conversus contulit istum.

2. Ad festa dominae
psalmos cantare venite,
Laudes narrate,
sub ea bona mente vacate.
3. Christe, tuis donis
memor es Raab et Babylonis,
Obsidis esto memor,
vult virginis haec quia clamor.

Responsoria.

1. Sicut nix rara
sub parvo grandia claudit,
Nobilis ancilla
dominam se caelitus audit,
V. Exaltat Dominus
humiles, extra jacit altos.
2. Albuit in vita,
quia virgo tota pudica,
Casta gignante
virgo post mansit et ante,
V. Sic voluit, decuit,
sic bona cuncta dedit.
3. Fuso nix igne
diffusa repente liquatur,
Sic precis et dignae
vox fructum concomitatur,
V. Supplicat assidue
natum quia clara Maria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnis terra Deo
Domino nova cantica cantet
Virginis exemplo,
quia jam super omnia regnat.
2. A facie Domini
fluxere nives sub amore
Matris christiferae,
quia hanc sic vult venerari.
3. Aestus in aestate
mirabilis, en, nive templi
Principium confert,
sua cuncta patricius offert.

Responsoria.

1. Quod calamus scribae
scripsit de pneumatis ore,
Virginis in gremio
completur tempore sacro,
V. Natum quando dedit,
nos natus quando redemit.
2. Post cancrum solis
dum volvitur aureus axis,
Dat Deus ex more
castae matris sub honore,
V. Nobile figmentum,
formans nive lineamentum.
3. O mater Christi,
quae patricio tribuisti,
Ut sua devota
posset persolvere vota,
V. Suppliciter rogita,
plebis inclita virgo Maria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus excelsis
matrem Domini veneremur,
Turpibus evulsis,
sicut decet, huic modulemur.
2. Roma, tuum festum
recoles Domino placitura,
Qui nivis egestum
produxit teste figura.
3. Os patet obstructum
de virgine turpe loquentis,
Virginis, en, fructum
videt undique terra regentis.
4. Nix, grando, glacies,
Domino benedicite, fontes,
Cuncta super sidera
superexaltata Maria.
5. Nix, frigus et gelua,
laudate Deum, bona cuncta,
Cui matri niveo
templum placuit dare circo.

Ad Benedictus.

A. Virginis in laude
populus per saecula plaude,
Cedit amor fictus
Domino, qui sit benedictus.

Ad Magnificat.

A. Multis virgo bonis
implevit et esurientes
Caelitus amoris
hominum cibat haec pia
mentes.

Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Jagellonicus 1257. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 4 in auge leonis. — In 2. Noct. **A** 2, 3 Laus narrate. — **R** 1, 2 parvo gaudia. — In 3. Noct. **A** 3, 4 patrius.

63. De sancta Agrippina.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Agrippina pia,
quae jungi promeruisti
Agmini virgineo,
dum mundo subdimur isti
Fraudibus imbuti,
Christum dignanter adora,
Criminis ut nostri
vitemus noxia lora.

Ad Magnificat.

A. Virgineus coetus
te laudat, virgo beata,
Nam quia tu mundum
sprevisti non labefacta,
Agrippina, tuos
famulos defende, guberna,
Porrige tu miseris
solamen, dona quietem
Lapsis, tu nostros
miserta dirige calles.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summum pastorem
cuncti reverenter oremus,
Quo Agrippina sacra
virginibus associatur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est virgo pia,
quae Christo contulit ultro
Martyrium verum,
dignum libamine sacro.
2. Mundum cum pompis
despexit virgo beata,
Aetheris ad alta
perrexit virgo sacrata.
3. Martyrio sacro
vicisti, cui placuisti
Vulneribus sanctis,
sprevisti verba minantis.

Responsoria.

1. Dum manet in pura
mundo cum virginitate,
Agrippina fide
permansit non labefacta,
Accusata tamen
magno terrore relicta,
Concutitur nullis
verborum vocibus illa.

V. Vestibus exuta
torquetur virgo beata
Fustibus, angelicis
manibus fuit ista soluta.

2 Virgineum corpus
dum portant litore citi
Fluminis ac Paramon
monachus simul Agatonita

Paulaque tunc navem
viderunt ire paratam,
Pondera permissa
donant in litore nautae.

V. Virginis in pedibus
prostrati voce benigna,
Suscipe, qui portant,
te clamant, virgo beata.

3. Dum mare transissent
cum corpore virginis almae
Virgines et Bassa,
puppis fuit illa repleta
Corporis illati
simul et portantes odore
Mirifico, Siculas
deponunt corpus ad oras.

V. Angelus apparens
Domini cum vestibus albis
Custodiebat eas,
locus ille repletus odore.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virginum ille chorus
divina laude sonorus,
Virgo, te sumpsit,
qui regnat ad alta polorum.

2. Angelicis turbis
sacra virgo consociata,
Gloria caelestis
retinet te dedita festis.

3. Ipsa tuis meritis
nunc fulges ad aethera sursum,
Poenarum mundo
faciendo tradita cursum.

Responsoria.

1. Pergere tentantes
ductae per litora nocte
Angelicis turbis
concomitantibus ipsis
Virgines ad locum
venerunt nomine Graecum,
Corpus conclusum
portantes virginis almae.

V. Sana fit illa patri,
fuerat quae daemone plena,
Filia, laetantur
genitor simul atque videntes.

2. Virgineum corpus
portabant virgines almae
Tres simul inde secum,
monachorum vestis adornat
Ipsas et passum
tunc Christum magnificabant
Pergentes simul,
qui regnat trinus et unus.

V. Et quasi laetantes
portabant litore corpus
Virginis et summo
dicendo gloria Christo.

3. Gloria sit Christo et
decus utriusque perennis,
Virginis infirmos
precibus qui curat honeste
Devotisque simul
praestat salubria quaeque,
Unde Deo vero
clamemus voce serena,

V. Ut cunctum populum
salvet nunc virgo beata,
Agrippina, Dei
martyr, cunctis veneranda.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo decora nimis,
Agrippina, et morte beata,
Funde preces Christo
virginibus associata.

2. Salvetur cunctus
populus cum agmine junctus,
Devotus Christo,
mundo dum vivit in isto.

3. Vulneribus tuis,
quae virgo passa fuisti,
Agrippina pia,
deleas tu crimina nostra.

Responsoria.

1. Virginis ad corpus
veniebant virgines almae

Paulaque cum Bassa,
monachus simul Agatonita,
Psallentes[que simul]
clamabant gloria Christo.
Tollentes ipsum
referunt cum laude triumphum.

V. Adfuit hic monacho
lux aetheris, ignea lampas,
Territus ac Paramon
cecidit stupefactus ad ima.

2. Gaude tamen, gaude,
martyr veneranda per orbem.
Quae meritis fulges
quasi sidus ad alta polorum,
Agrippina pia,
devota mente fidelis
Gaude simul populo,
qui eam reverenter adoras.

V. Virginis ad laudem
cum digno carmine laxis
Vocibus atque tubis
cantum depromite vestrum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Virginis accessit
delatio corporis almi,
Sana puella manet
turpi vexata tremore.

2. Multi vexati
veniebant daemone viri
Martyris ad corpus,
tunc sanos restituebat.

3. Corporis intactae
sacrati virginis almae
Non modici tandem
meruerunt ferre salutem.

4. Sit benedicta dies,
qua talis virgo beata
Virtutibus multis
splendet ad aethera sursum.

5. Laudibus innumeris
laudetur virgo beata,
Quae in caelis fulget
tanta virtute levata.

Ad Benedictus.

A. Agrippina, Dei
virgo, locet aethre suorum
Mentes servorum
molemque premat vitiorum,
Ut demptis vitiis
benigne Deum benedicant.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 10 misertus. — In 1. Noct. **R** 3, 7 Miro Siculas. — In 2. Noct. **A** 2, 3 dicata. — **A** 3, 1 Ipsis tuis. — **R** 1, 4 comitantibus. — **R** 2, 2 virginis. — **R** 2, 5 Ipsas sed. — **R** 2, 10 portabatur. — In 3. Noct. **R** 1, 4 Agatonitis. — **R** 2, 10 lapsis. — In 2. Vesp. nichts.

64. De sancto Annone.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gemma fulgens praesulum,
Veronae proles inclita,
Sancte pater Anno,
Sis semper memor exsulum,
Nos ad virtutes incita,
Serva nos a damno.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad Annonis modulet
Laudes chorus laetius,
Alleluja jubilet
Christo noster coetus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Secus decursus stat aquarum
Plantatus dextra Dei,
Excursus Anno tenebrarum
Hostis devitat rei.

2. Hic praeceptum Domini
Mundo praedicavit,
Dum salutes homini
Semper propinavit.

3. Annonem sanctum caelitus
Ovans suscepit Deus,
Annus hunc fovet editus
A Christo jubilaeus.

Responsoria.

1. Egentem urbem
nectare fluoris
Anno, fidelis
Christi dispensator,
Prece felici
precibus dulcoris
Rigari poscit,
almus gubernator;
V. Dum martyres hic revocat,
Salutem cunctis evocat
Veronae recreator.

2. Ecce, sacerdos magnus
A Deo praedotatus,
Qui vixit sicut agnus,
Totus lenis et gratus;
V. Curavit Anno gentem,
Doctrinam affluentem
Fudit bonis ornatus.

3. Anno praesul mirificus
Hortatus per sororem,
Terrae pater munificus
Orans tulit ardorem,
Nam rex infudit caelicus
Desideratum rorem;
V. Alter Elias precibus
Implorans praestat civibus
Hunc pluviae liquorem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Annonem rex caelestis,
Imbre fota parturivit,
En, fruges tellus maestis.

2. Laetentur et exsultent
Sperantes in te, Christe,
Concentibus indultent,
Nil sentit Anno triste.

3. Coronatus gloria
Simul et honore,
Anno laetus jubilat
Coram redemptore.

Responsoria.

1. Urbem Veronam siccitas
Exhaurit miseranda,
Fruges et sata dissipat
Sterilitas nefanda,
Hanc praesulis eliminat
Sagacitas laudanda.
V. Relatu doctus caelico
Firmum vexit et Rusticum
Ductu praesul angelico,
Sitis stat detestanda.

2. Arentis terrae faciem,
Squalentis solis maciem,
Quam juste misit Deus,
Anno fugat sanctissimus,
Arcet plagam justissimus,
Purgatur Amorraeus;
V. Siccam tulit salsuginem,
Mortis amaritudinem
Sanator Elisaeus.

3. Quaerit per indagines
Flagrans desiderio
Pontifex beatus,
Ut Veronam martyres
Revehantur serio
Jam post incolatus,
V. Tergesti ductos oppido
Firmum simul cum Rustico
Ad urbis curat status.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi tabernaculum
Habitans securus,
Anno, sis umbraculum
Nobis profuturus.

2. Cordis desiderium,
Vitae refrigerium
Deus hunc impendit,
Providens pauperibus
Penitus operibus
Sua dum expendit.

3. Anno Christi sic accepit
Benedictionem,
Quod perenniter suscepit
Caeli mansionem.

Responsoria.

1. Euge, serve bone,
Pontifex Veronae
Pervigil, fidelis,
Anno, pie pater,
Esto nobis frater
Sedulus in caelis.
V. Christo regi duplicis
Redditor talenti,
Hostis nos multiplicis
Exime cautelis.

2. Anno spernens cuncta vana
Pro aeternis dat mundana
Et pro granis palcam,
Corpus terit, ut mens crescat,
Servum premit, ne tumescat,
Cordis purgat aream;
V. Comparat caelica,
Despicit terrea
Sumens virtutis galeam.

3. O pastor apostolice,
Anno, praesul catholice,
Doctor veritatis,
Ora Christum propitius
Pro famulis, ut citius
Solvat a peccatis.
V. In caeli situs gaudio,
Perenni fultus bravio
Stola claritatis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Anno, pater patriae,
Veronae stemmate claro
Cretus, nos meritis
barathro tueatur amaro.

2. Calles mundi per labores
Impollutus adiit
Anno, saecli post fluores
Caelum scandens subiit.

3. Decoravit nobilis
nobiles parentes,
Cum sorore virgine
Christo curvat gentes.

4. Huic soror sanctissima
Maria Consolatrix,
Virgo Christi dignissima,
Fuit cooperatrix.

5. Hanc amavit, quod servavit
virginitatis florem,
Sic uterque Christo per se
mirum fragrat odorem.

Ad Benedictus.

A. Urbs Verona, gratulare,
Terrestris paradisus,
In te talis fulget clare
Uterque sexus visus,
Caelo vernant nunc praeclare
Anno sororque, risus
Juges tenent, ipsos care
Roget in Christo fisus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Liberet a damno
nos almus episcopus Anno,
Det fruges morum,
deposcat regna polorum.

Antiph. ms. Veronense saec. 15. Cod. Cathedr. Veronen. 3.

65. De sancto Ansano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ansanus Romae
Tranquillini genitus,
Insignis prole,
mente lucet caelitus.

2. Flagravit martyr
hic servire Domino
Teneris annis,
dum viveret saeculo.

3. Inter scholares
artium nutritus
Christi salvantis
clam tenebat ritus.

4. Quamvis materna
mens et genitoris
Obstabat, vias
ibat redemptoris.

5. Beatus iste
spiritu virtutis
Desiderabat
lavacrum salutis.

Ad Magnificat.

A. Sub mandatis angeli
cum sacerdos petit
Fores sanctuarii,
mirus odor stetit,
Spiritalis Maxima
mater mire datur
Et fons aquae limpidae,
puer ut tergatur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi nobiscum,
Senis advocatum
Ansanum danti,
surgite cantatum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ansanus catholicus
anno decimo nono
Martyrii fervidus
fuit non corde prono.

2. Imperantes respuens
cucurrit ad matrinam,
Cum qua simul sineret
hanc vitam peregrinam.

3. Relinquamus daemonum
profana, fatur sanctus,
Sit in Christo Domino
jucundus nobis cantus.

Responsoria.

1. Ansanus cum Maxima
mane facto vadunt,
Tyrannorum caedibus
se pro Christo tradunt,
Fidem quia fervidam
non de mente radunt;
V. Obviant et homini
lumine privato,
Quem mox laetum faciunt
visu restaurato.

2. Vir iniquus intuens
caecum luminari,
Sanctos de miraculo
vadit criminari,
Hos profanos recitans
Christum venerari;
V. Trucidare perfidos
vir crudelis quaerit,
Si non lex nuperrime
lata cito perit.

3. Irritati perfidi
tunc imperatores
Praesentari cohibent
Dei zelatores,
Reos vos ut faciant,
Domini cultores.
V. Et vos fantur colere
Christum crucifixum,
Sempiterne vivere
profitentes ipsum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ansanus cum Maxima,
Domini fideles,
Unde sitis, postulant
tyranni crudeles.

2. Respondistis humiles:
ingenuis nati
Sumus ex parentibus,
hac in urbe sati.

3. Ante vos inducitur,
ut colatis eum,
Quem Judaeus perfidus
damnat quasi reum.

Responsoria.

1. Nostros deos colite,
quo sitis victuri
Et eos propitios
vobis habituri;
Ferunt: non se neque vos
hi sunt protecturi;
V. Noster Christus Dominus
mundi gubernator,
Pro quo nosmet tradimus,
adest liberator.

2. Nostra vox instrepuit
auribus aeterni,
Ipse det ut epulas
gaudii superni
Nosque trahat famulos
et se sinat cerni;
V. In quo finis omnium,
regnat absque fine,
Afferat antidotum
summae medicinae.

3. Crucifixum spernite
Jovem venerando,
Ipsi vota reddite
simul adorando,
Menti poenas horridas
et carni levando;
V. Si caelestem principem
nosse quaerebatis,
Scite nil, quod colitis,
fore, qui erratis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cuncta fecit Juppiter,
ferunt imperantes;
Absit, ajunt, providi
sint haec judicantes.

2. Constant quaeque condita
verbo Dei patris
Ac idolis hominem
devium sub atris.

3. Pugnant contra miseri
dicta prophetarum,
Viris nam malevolis
scire non est clarum.

Responsoria.

1. Non vos huc adduximus
loqui de prophetis,
Sed monemus illico
diis immoletis,
Quodsi contempseritis,
necem sentietis;
V. Reddunt: viam sequimur
Dei veritatis,
Cujus non peribimus
haerendo mandatis.

2. Spiritalis filius
cum dilecta matre,
Carcer neque vincula,
inquit, fiet acre,
Nam potare calicem
quaerimus pro patre;
V. Carceramur acriter
jussu tyrannorum,
Ubi bona poscimus
regis angelorum.

3. Tu probasti, Domine,
corda nostra, clamant,
Igne hos examinas,
qui te semper amant,
At si sit iniquitas,
ille dat, quae sanant.

V. Odor statim spargitur,
et vox clara sonat:
Omnia, quae poscimus,
Christus nobis donat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Noctis haurit precibus
providus Ansanus,
Quae narrat apostolus
raptus adhuc sanus.

2. Christo grates referunt
martyris de dono
Et se poenas properant
ferre nutu bono.

3. His finitis dicere
psallere festinant,
Et dum psalmi canticum
pleant, non declinant.

4. Exaudi nos, concinunt,
pater, noster autor,
Sis protector famulis,
vere justis fautor.

5. Sopor Dei proximos
coepit occupare,
Ac caelestis nuntius
eos confortare.

Ad Benedictus.

A. Istos mane milites
aulae triumphalis
Offerunt satellites
principibus malis,
Et quia non trepidant
commendare Christum,
Caesa fuste Maxima
mundum finit istum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad civitatem
balneum Regense
Cum refugisses,
spiritus accensae
Sub visione
Dominus te vocat
Et te columnam
templo suo locat.

Antiph. ms. Senense saec. 15. Cod. Capit. Senen. M. — In 1. Noct. R 1, 4 qui se Christo. — In 2. Noct. R 1, 6 hi sunt habituri. — R 3, 9 Scire nil. — R 3, 10 qui veratis. — In 3. Noct. R 1, 5 Lücke von einer Silbe; si ergänzt. — R 2, 5 portare calicem. — R 3, 3 Igne nos. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 2 Regensem. — Ibid. 8 in templo. — Die drei zum Officium gehörigen Hymnen siehe Anal. XXII, p. 36 sq.

66. De sancto Aspren.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Tecum, Aspren, principium
Summae dignationis
Contulit Petrus, radium
Nostrae conversionis.

2. Opera magna Domini
Populum redimentis
Primo panduntur homini
Religiosae mentis.

3. Exortum lumen radiat
In Aspren praedicante,
Tenebras ut abiciat,
Quae deprimebant ante.

4. De terra sanum erigit
Oppressum vi languoris,
Quem mox instructum eligit
Ad apicem honoris.

5. Christi misericordia
Per Simonem delata

Per sancti Aspren primordia
Nobis est confirmata.

Ad Matutinum.

A. Magnificatur inclitus
Petri discipulatu,
Exsultat Aspren spiritus
Charismatum ornatu.
Cujus refulsit primitus
Haec aula praesulatu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Plaudat ecclesia
Laude multiplici,
Agens sollemnia
Sacro pontifici.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In lege Christi Domini
Fixit voluntatem
Virtutum cernens homini
Datam potestatem.

2. Praedicans hic
praeceptum Domini,
Mentem parat
superno lumini,
Gentem subdit
divino numini.

3. Exaltat Dei filius,
Gloria sanctorum,
Caput Aspren sublimius
In arce piorum.

Responsoria.

1. Majestatis
summae consilium
In salutem
dans mundo filium
Servum parat,
per cujus studium
Invitemur
ad vitae fluvium;

V. Aspren cunctis
praegustat plenius,
Ut in cives
refundat melius.

2. Evangelizans gratiam,
Qua fundavit ecclesiam
Princeps apostolorum,
Primum Aspren irradiat
Quo mente dona capiat
Caelestium bonorum.

V. Devotus audientiam
Praebens ad sapientiam
Se transfert angelorum.

3. Verbum vitae
dum sibi mittitur,
Christi fidem
pronus amplectitur.
Fonte vitae
unctus abstergitur,
Vetustatis
noxa repellitur;

V. Nam solutus
languoris vinculo
Sospes haurit
de vitae poculo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem
Aspren suppliciter
Exaudivit
Christus fideliter,
Ipsum fovens
in bono jugiter.

2. Mane primum claruit
Sole radiante,
Cum hic Christum induit
Petro praedicante.

3. O quam est admirabile,
Quam est glorificatum
Christi nomen amabile
Per Aspren praedicatum.

Responsoria.

1. Expurgato nequitiae
Fermento jam primitiae
Christo sanctificantur,

Cujus in mentis acie
Dona caelestis gratiae
Primitus revelantur;
V. O felix nostra civitas,
Cui per hunc virtus, veritas
Et lux irradiantur.

2. Intonante
Petri praeconio
Plebs auditum
dat evangelio,
Cujus voce
Aspren in solio
Sublimatur
et sacerdotio.
V. Hic pastoris
implet officium,
In quo fides
sumpsit initium.

3. Verbo vitae miraculis
Novam plantat ecclesiam
Concurrentibus populis
Ad Christi reverentiam,
Qui rejectis piaculis
Sancti quaerunt prudentiam.
V. Sic plebs cuncta
cito convertitur,
Sic per fidem
Christum amplectitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Habitabit hic inclitus
In caeli tabernaculo,
Per quem in nostro primitus
Salus est facta populo.

2. In benedictionibus
Caelitus est praeventus,
Per quem in nobis omnibus
Dominus est inventus.

3. Mundo corde culpae sorde
Vindicans innocentiam,
Scandit caelum, transit velum
Cernit Christi praesentiam.

Responsoria.

1. Gaudet Petrus
tanto discipulo,
Per quem fructus
redundat populo
Hujus urbis
hoc in saeculo
Reserato
jam mentis oculo.
V. Felix vitis,
de cujus surculo
Tantum germen
prodit diluculo.

2. Signis novis
fit admirabilis,
Cujus prece
conceptum sterilis,
Membra manci,
gressum inhabilis,
Visum caeci
sumunt in populis.
V. Sana reddit
membra languentium,
Sic accendit
corda credentium.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. O quam sunt credibilia
Per Aspren praedicata
De Christo testimonia
Miraculis probata.

2. Intrate portas Domini
Jam, Neapolitani,
Ejus offerte numini
Libamen cordis sani.

3. Os iniqua lŏquentium
Per Aspren est obstructum,
Excluso ritu gentium
Verbi producit fructum.

4. Quoniam cantat alacriter
Devota plebs continuo,
Laetatur Aspren jugiter
In caelesti convivio.

5. Cuncta creata laudibus
Divinis vacent ocius,
Dum Aspren in caelestibus
Collocatur felicius.

Ad Benedictus.

A. Benedictum
Christi consilium
Aspren vocat
ad sacerdotium,
Sibi fundens
linguae praeconium,
Vim signorum
et mirabilium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O stella perlucida
Nobis matutina,
Plebem, quam praefulgida
Lactasti doctrina,
Tua prece fervida
Serves a ruina,
Ut Deo sit placida
Sine culpae spina,
Et post luce splendida
Fruatur divina.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — In 1. Noct. R 3, 2 sibi promittitur. — In 3. Noct. R 1, 6 fehlt eine Silbe. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 9 Et postea. — Die beiden zum Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XXII, Nr. 68 sq.

67. De sancto Calogero.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Caloyrus praeelectus
A Deoque jam dilectus,
Bene doctus literarum
Atque structus divinarum.

2. Puer bonus se ornavit
Virtuteque decoravit,
Mundus nunquam violavit
Nec vitium eum foedavit.

3. Jejuniisque deditus,
Orationi traditus,
Bis ternis est hebdomada
Pane contentus et aqua.

4. Christi semper contemplando
Passionem et plorando
Jesum ardet is amando,
Cui se vovit monachando.

5. Justusque Dominus
Dilexit aequitatem,
Caloyrus — — —
Odit iniquitatem.

R. Surrexit papa obviam
Praesentiens legatum
Caloyrum Siciliam
Venturum caelo datum,
Ut frangeret nequitiam,
Qua caelum est stupratum.

V. Mortem quaerit spontaneam,
Ut pandat Christi gloriam
Valde gratam.

Ad Magnificat.

A. O pie pater Caloyre,
Qui claros in superbia
Ejectos jam de gloria
Meruisti devincere,
Tolle pacis obstaculum,
Para nobis gaudium,
Ut mereamur pergere,
Ad vitae solatium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo, regi confessorum,
Plebs concinat fidelium,
Almi senis meritorum
In te laudis praeconium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caeli dono decoratur
Caloyrus ab infantia,
Die ac nocte meditatur
In fidei notitia.

2. Praecepta Dei praedicans
Hic missus apostolicus,
Miraculis coruscans,
Egenorum medicus.

3. Voce clamans conjuravit
Vir senex egregius,
Adversantes effugavit
Ipsos ligando fortius.

Responsoria.

1. Summus pontifex Caloyro
Dat clavis potestatem,
Hic Christi sanctus famulus
Eligitur prae aliis,
Ut premat feritatem,
V. Ut Siculorum populis
A daemonum fallaciis
Capiat libertatem.

2. Novum sidus emicuit,
Amore summo fervidum,
Speculum sanctitatis,
Miris diversis claruit
Lumen vitae splendidum
Monstrans viam salutis;
V. Languentibus hic profuit
Medicamen dans validum
Vir magnae claritatis.

3. Gaude tu, mater Graecia,
Lustrata tanto lumine
Pudentis almi nati,
Dei repleti gratia,
Cujus potenti nomine
Daemones sunt fugati;
V. Exsultet nunc Sicilia,
In hujus patris numine
Siculi sunt salvati.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In pace cum Christo manens,
Sublimatus praemio,
Hic vana mundi repellens
Christi adhaesit vestigio.

2. Precare nunc, Caloyre,
Quem corde dilexisti,
Ut mereamur pergere
Ad vitam, quam petisti.

3. Caloyrus jam meruit
Dei montem ascendere,
Qui daemones non metuit
Signo crucis devincere.

Responsoria.

1. Caloyrus obsequio
Parat Dei se totum,
Corpus artat jejunio
Expellens hostis motum
Renuntiatque proprio
Emittens caste votum.
V. Intrat nemus cum gaudio,
Vescitur herbis prandio
Renuens vini potum.

2. Siac dum ingreditur
Senex [iste] servulus,
Jesu cito creditur,
Quem hic praedicabat,
Crucis hoc signaculo
Sanat Dei famulus
Multos in hoc saeculo,
Daemon quos gravabat;
V. In fide perficitur
Totus Siac populus,
Menteque suscipitur
Crux, hic quam docebat.

3. Infans senescit moribus
Transcendens vi[am veri],
A laqueis hostilibus
Ut possit se tueri,
Instat et semper precibus
Vitam quaerens mereri;
V. Carnis dimissis patribus,
Qui aperit pulsantibus,
Exquirit inhaerere.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Laetentur in te sperantes,
Christe, et memoria
Caloyrum venerantes
Fac participes gloria.

2. Nomen Christi mirabile
Senis procedens ore
Destruendo terribilem
Inimicum cum ultore.

3. Ingressus sine macula
In hoc viator saeculo,
Nunc fulget quasi facula
In summo tabernaculo.

Responsoria.

1. Crucis Christi signaculo
Daemones conjuravit
Solitudinis loculo
Ac ipsos relegavit,
Ab omni periculo
Populum liberavit,
V. In sancto habitaculo
Dominique oraculo
Ipsum confirmavit.

2. Locum istum ululantes
Daemones dimiserunt,
Vocem magnam illi dantes
A monte recesserunt,
Populique gratulantes
Dominum laudaverunt,
V. Ad quem ipsi convertentes
Basilicam construentes
Ibique adoraverunt.

3. Felix mons atque patria
Hoc ornata sidere,
Cujus tot ob prodigia
— — perlustratur
Grotta tota Sicilia
Senex fecit conscendere,
Infirmis sint remedia,
Qui sudando sanantur.
V. Fugavit ac daemonia
Ipsa, cujus per opera
Patria plena gratia,
Mons sic sanctificatur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Caloyrus mirificus,
Dono Dei magnificus
Ex opere monstratur,
Dum cunctos sanat languidos,
Faciens corde solidos,
Et fides ampliatur.

2. Mox ad montem ut applicuit,
Caelesti dono praeditus
Velut sol perlustravit,
De caelo quae jam corruit,
Catervam Satanae penitus
Signo crucis fugavit.

3. Te rex sitivit luminum
Hic infra vitae terminum,
Cujus obtentu petimus,
Quem miserantem novimus,
Nunc glorians in pace
Ut audias nos de luce.

4. Terra et pontus, aethera
Sedentem in patris dextera
Exaltant omni laude,
Forti cujus potentia
Nos hic perunctus gloria
Protexit Satan fraude.

5. Senes cum junioribus
Laudent Dominum vocibus
In excelsis,
Cujus senex virtutibus
Fit aegris medicamen
Fulgens in adversis.

Ad Benedictus.

A. Floruit sicut lilium
Almus confessor inclitus
Moribus et doctrina,
Nam hic ante septennium
Dei virtute praeditus
Vixit sub disciplina.
Postponens omne praemium
Corruptionis penitus,
Solum quaerens divina.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Manus aegris Caloyrus
imponens [imperavit]
Daemonibus jam oppressis,
jactans illos curavit
Ab omnibus languoribus
Ipsosque liberavit
Priscisque sanitatibus
Cunctos instauravit.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 Lies: Ac instructus? — **A** 2, 4 Lies hunc foedavit? — **A** 4, 1 Lies Justus quoque oder Justus quia? — **A** 4, 3 fehlen drei Silben; ergänze magnanimus? — Ad Magn. **A**, 8 Ad aeternae vitae. — Ad Matut. Inv. 4 In te jedenfalls verschrieben; lies cantet? — In 1. Noct. **R** 1, 3 sancti. — **R** 1, 7 Et ut. — **R** 2, 5 Fehlt eine Silbe. — **R** 3, 9 Quo Siculi. — In 2. Noct. **R** 1, 2 Paret Dei sed. — **R** 2, 8 proficitur. — **R** 2, 12 haec. — In 3. Noct. **A** 1, 4 in gloria. — **A** 2, 3 Secus procedens ore. — **R** 1, 2 conjurantur. — **R** 1, 3 loco. — **R** 1, 4 Atque. — **R** 3, 4 fehlen drei Silben. — **R** 3, 5 Grutta. — **R** 3, 7 Ut infirmis. — In Laud. **A** 4, 4 praeunctus. — **A** 4, 5 praetexit. — **A** 5, 2 fehlen entweder zwei Silben, oder es ist 5, 6 Fulgens zu tilgen. In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 1 in aegris. — Ibid. 2 imposuit. — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. XXII, 68 sq.

68. De sancto Donato.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Agens diem festum Deo
Felix gaude Civitas,
Et pro martyrum trophaeo
Pange laudes debitas.

2. In quo primum fert vexillum
Donatus, sequitur illum
Venusti germanitas.

3. Silvanus et Hermogenes
sic mente counita,
Sic triumpharunt pariter
cum Romulo levita.

4. Victoriani praesidis
hos pavor nullus movet,
Quos unus tenet spiritus
et vera fides fovet.

5. Haec est vera fraternitas,
Quam tyranni protervitas
Violare nequivit,
Sed magis stabilivit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Rex sublimis adoretur,
Qui creavit omnia,
Exsultando veneretur
Martyrum constantia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum vitae seminat
intrepide Donatus,
Legem Dei nuntians
est capite truncatus.

2. Sic triumphat jam Venustus,
Frater ejus, et fit justus
Verum Deum praedicans.

3. Romulus atque Silvanus
ea morte plectuntur
Ac invocantes Dominum
caelestibus junguntur.

Responsoria.

1. Nobilis Austri civitas
Devotas tenens semitas
Martyres suos laudet,
Quam horum prece feritas
Hostis atque perversitas
Offendere non audet;

V. Civalitana polis
de fratrum germine gaudet.

2. Hi sunt, quorum in sanguine
Agni stolae lavantur,
Qui in sanctorum agmine
Feliciter laetantur
Magnoque consolamine
Gaudentes coronantur.
V. Caelicolis juncti
cum Christo rege beantur.
3. In manu Dei vindicis
Sunt animae sanctorum,
Quas non flectunt carnificis
Genera tormentorum,
Sorti dantur justorum;
V. Percussi gladio
conscendunt regna polorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hermogenis pia prece
Daemon fugit et a nece
Pellitur puellulae.
2. Solum Deum colere
Idolaque spernere,
Volunt voto pari
Sancti coronari.
3. Martyres in Dei monte
Satiati vitae fonte
Habitant cum gloria.

Responsoria.

1. In unum habitare
Christumque praedicare
His exstitit jucundum
Et sic vincentes mundum
Sunt passi non inviti
Deoque sunt uniti,
V. Idola temnentes
gladiali fine potiti.
2. Morte procul remota
Justitiam non pavescunt,
Dempta peccati nota
Mundi mala compescunt,
Quorum sacrata vota
Nequaquam evanescunt.
V. Purgatis animis
felici pace quiescunt.
3. Ex mundanis opprobriis
Sancti nunc abstracti,
Et qui tormentis variis,
Hic fuerant confracti
Amoenis gaudent atriis
Divino zelo tacti;
V. Hinc in deriso
sunt hic spectacula facti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Notas fecit Dominus
sanctis vias vitae,
Quos replet laetitia
laudis infinitae.
2. Haec est generatio,
Quae Deum quaesivit,
Quae carnis supplicio
Caelum introivit.
3. Martyres gloriantes
Et in Deo laetantes
Pro nobis Christum orent
Et veniam implorent.

Responsoria.

1. Palmas ferunt martyrii
Cum triumphi vexillis
His, qui salutem impetrant,
provectis et pusillis,
Qui nobis locum praeparent
in sedibus tranquillis;
V. Sic lux caelestis,
sic gratia fulget in illis.
2. O martyrum victoria,
Vincens Victorianum,
O qui caelesti gloria
Gaudetis, date manum
Adjutricem pro patria,
Hinc pellentes profanum:
V. Ad statum sanum
perducite mente vesanum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus fortitudinem
justorum probavit,
Quibus summae gloriae
sedes praeparavit.

2. Per hos invictos in agone
Concede nobis, Jesu bone,
Tibi laete servire
Et caelos introire.

3. Carne flagellati,
Ad Christum sitientes,
Martyres beati,
Nostras purgate mentes.

4. Benedicant Dominum
Omnes recti corde,
Qui per preces martyrum
Nos mundet a sorde.

5. Jam exsultans plebs fidelis
Laudet Dominum de caelis
Pro triumpho martyrum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificantes Dominum
Hodie collaetemur
Et martyrum suffragium
Devote deprecemur,
Ut eorum auxilio
Non pro culpis damnemur,
Sed in caelesti solio
Cum superis laetemur.

Brev. ms. Civitatense saec. 15. Cod. Marcian. L I 84. — In 1. Vesp. ad Magn. Prosa. — In 2. Noct. R 2, 7 animis. — In 3. Noct. R 1 prosaisch. — In Laud. ad Bened. A prosaisch. — Hiezu der Hymnus: Laetare, felix Civitas (Anal. XXII, 89).

69. De sancto Donato.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Extollatur
in laudum culmine
Locus dictus
a sancti nomine,
Quem Donati
sacravit sanctitas,
Cujus praesens
adest sollemnitas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum vitae donatorem
Veneremur juxta morem,
Qui Donatum confessorem
Caeli vexit ad decorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aurelianensis
urbis de civibus
Donatus ortus est
piis parentibus,
Quorum praesidiis
et diligentia
Sacra nutritus est
in pueritia.

2. Attendentes
parentes pueri,
Ipsum Deo
devotum fieri,
Literarum
tradunt doctoribus
Imbuendum
sacris apicibus.

3. Instructus igitur
artium studiis
Carnem continuit
a carnis vitiis,
Et dum Domino se
totum exhibuit,
Ad cleri titulum
provehi meruit.

Responsoria.

1. Orthodoxae
Donatus fidei
Normam servans
meruit provehi
Sublimatus
ad sacerdotium,
In spe fovens
operae pretium,
V. Satiandus
de mensa fertili
Mundum spernit
cum flore sterili.

2. Limes artus
et collis arduus
Et draconis
terror praecipuus
Nequit sancti
mentem retrahere,
Ad manendum
mentem retrahere;
V. Draco jussus
fugit a patria,
Fugam cujus
novit Durentia.

3. In novellae
vitis propagine
Botrus praegnans
miro genimine
Vinum fudit
in abundantia,
Ut clarescant
Dei magnalia;
V. Recens potus
fecundi calicis
Causam praebet
credendi rusticis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qualis in opere,
qualis in precibus
Praevius exstitit,
sumptis ordinibus
Quales fuerint
singultus intimi,
Succincto carmine
non valet exprimi.

2. In diaconii
mox arce positus,
Carnem ad opera
convertit spiritus,
Exercens animo,
quod ad rem pertinet,
Quem non ad levia
vagari sustinet.

3. Crescit aetas,
crescit religio,
Consecratur
in sacerdotio,
Confecturus
secundum ordinem
Dominicum
corpus et sanguinem.

Responsoria.

1. Uvarum decipit
agrestem species
Et vexat avidum
ventris ingluvies,
Sed botri miserum
gustus exasperat,
Donec vir Domini
clamantem liberat;
V. Non valuit devium
vomere aut deglutire racemum.

2. Egregio
ditatus socio
Florentini
gaudet solatio,
Quem divina
perfecit gratia
Literali
doctum scientia;
V. O felicis
virum memoriae,
Quem spiritus
replet scientiae.

3. Refragata
lucta Leviathae
Montis iter
mirando schemate

Daemon planat,
quod erat nimium,
Confessoris
agens imperium;
V. Hostis nequam
dum saxa bajulat,
Laborando
gemit et ululat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virum Dei
fama prosequitur
Et per vulgi
voces attollitur,
Cujus ne levitas
possit officere,
Natale cogitur
solum relinquere.

2. Ne laedatur
rumoris famine,
Sanctus abit
conscio nemine
Et latenter
relicta Francia
Sancti petit
Martini moenia.

3. Ibi noctis
agens vigilias
Sancti sumit
datas reliquias,
Quo profectus
laetatus comite
Complet iter
accepto tramite.

Responsoria.

1. Importunus
furator oleris
Fascem fecit
non parvi ponderis,
Sed nec illinc
exire potuit
Nec ponendi
fascem fas habuit;
V. Solvitur exire,
sinitur correptus abire.

2. Vir invictae
misericordiae
Senatoris
medetur filiae,
Scriptum tenens
illud memoriae:
Fili, ne sis
memor injuriae.
V. In adstantis
conspectu populi
Caeli lumen
resumunt oculi.

3. Saevae matris
dira crudelitas
Nato negat
res cunis debitas,
Sed infanti
sufficientia
Cerva dedit
lactis edulia;
V. Praetermissa
naturae regula
Mater negat,
dat cerva pabula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Proficiscens
vir de Turonica
Luras adit
ora Sisterica,
Inter rupes
sub alis montium
Sanctus parat
sibi tugurium.

2. Fit ab ipso
pauper ecclesia
Rebus quidem,
sed dives gratia,
In qua sacras
condit reliquias,
Viae suae
duces et praevias.

3. Dum vitae semina
spargeret accolis,

Et illi crederent
relictis idolis,
Ad Celsum judicem
paganum trahitur
Et duro verbere
Donatus teritur.

4. Nil formidans
carnis injurias
Ictus perfert
et contumelias.
Tandem redit
sanctus ad propria
Benedicens
Dei magnalia.

5. Judex persequitur,
Donatus latitat
Et in Anorelae
latebris habitat,
Hic usque permanens
ad mortis terminum
Laudat in canticis
de caelis Dominum.

Ad Benedictus.

A. Eductus igitur
carnis ergastulo
Donatus clauditur
ibidem tumulo,
Cujus exsequias
insignis Marius
Complevit lacrimis
orans propensius.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O donator, in Donato
Nobis culpas condonato
Et, ut tibi placeamus,
Pacem dona, quam rogamus.

Brev. ms. S. Laurentii Ulciensis saec. 15. Cod. Taurinen. Reg. 11. — Ad Matut. Invit. 4 vexit et decorem. — In 1. Noct. **A** 1, 4 ex piis. — **R** 2, 8 Dies mit 2, 6 gleichlautende mentem retrahere ist in der Hs. spätere Korrektur über einem ausradierten Texte. — In 2. Noct. **A** 2, 2 arte positus. — **R** 2, 7 ad fehlt. — **R** 2, 2 dictatus. — **R** 3, 2 levitate. — In 3. Noct. **A** 2, 6 sq. Martini petit. — **A** 3, 3 sumi. — **A** 3, 5 praefectus. — **R** 1, 3 Facem. — **R** 2, 1 in vite. — **R** 2, 4 videtur. — In Laud. ad Ben. **A**, 7 Complet.

70. De sancto Donato.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Splendor stellae, clarae lucis
Rutilat serenitas,
Cum Donati, nostri ducis,
Agitur sollemnitas.

2. Fulgens vitae sanctitate
Claret et natalibus,
Lucens vera castitate
Nitet mirabilibus.

3. Hunc baptismi chrismate
Consecrat Pigmenius,
Legis quoque dogmate
Docet ipsum plenius.

4. Quaerens justum Julianus
Compulit Aretium,
Tenens hunc Hilarianus,
Suscipit martyrium.

5. Martyr inclite Donate,
Miseris refugium,
Nobis dona tibi datae
Gratiae solatia.

Ad Magnificat.

A. Fonte aquae tabidum,
Labe mortis sordidum
Sanaturus vadit,
Draco mox egreditur,
Et asellus nectitur,
Eum et invadit,
Crucis tamen opere
Et flagelli verbere
Caesus morte cadit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus
Psalmis jubilantes
Et Donatum honoremus
Laudibus laetantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Peccatorum cathedra
Sanctus hic non sedit,
Tollitur ad aethera
Mundo dum recedit.
2. Fremuerunt populi
Convenerunt gentes,
Convertuntur aemuli,
Collustrantur mentes.
3. Cum precatur, exaudisti
Servum tuum, Domine,
A timore protexisti
Caesum tuo nomine.

Responsoria.

1. Nobili prosapia
Dei dono gratus
Urbe Nicomedia
Oritur Donatus,
Moritur in Tuscia
Caelo coronatus;
V. Pellitur parentibus
Haerens Christi legibus
Deo consecratus.
2. Luce carens corporali
Sed et lumine mentali
Idolis intendens,
Dum Seranno credidit,
Idola mox prodidit
Monitis attendens;
V. Sacro fonte baptizatur,
Luce claro perlustratur
Christo regi credens.
3. Juvenis Asterius
Dum vexatur acrius
Daemone maligno,
Cogit Christi nomine
Almae crucis lumine
Coruscante signo;
V. Statim daemon pellitur,
Aeger dum contingitur
Digito benigno.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Sanctum et mirificavit,
Furens populus adivit,
Christo dum sacrificavit.
2. Verba sancti percipe,
Christe, supplicantis,
Integrari praecipe
Fractum os orantis.
3. Nomen tuum, Domine,
Cunctis est mirabile,
Fertur bene cardine
Calicis notabile.

Responsoria.

1. Ignis ardor cruciat,
Qui de cruce radiat,
Daemonem furentem,
Dum puellam liberat
Sanctus, unde venerat
Cogit renitentem;
V. Interventum protulit,
Dum exire compulit
Transitum petentem.
2. Crucis Christi clarum signum
Per Donatum laude dignum
Ornat urbis moenia,
Imae plebis et primatum
Sacri fontis candidatum
Sumunt plura milia;
V. Imperator, imperatrix,
Horum plebes imitatrix
Stupent mirabilia.
3. Adorare numina,
Ponere libamina
Sanctus dedignatur,

Tunditur lapidibus
Impiorum manibus,
Carcere locatur;
V. Sacro caeso vertice
Coram Christo judice
Caelo collocatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic in Domino confidit,
Gentes dum insaniunt,
Doli fraudes dum elidit
Deo se subjiciunt.
2. Habitabit, Domine,
In monte sancto tuo
Puritatis lumine
Nitens Deo suo.
3. In virtute tua, Christe,
Sanctum coronasti,
Dum glorificat te iste,
Ipsum sublimasti.

Responsoria.

1. Clara turba testium
Pro Christo certantium
Cum Donato sternitur,
Quidam caeso capite,
Fixi plures stipite,
Hic truncatus caeditur;
V. Sancti oratorium
Horum coemeterium
Fossa petra cernitur.
2. Odor fragrat incensorum,
Fit concursus populorum,
Sanctus dum transfertur,
Promuntur oracula,
Sequuntur miracula,
Canticis defertur;
V. Gloriosae virginis
Matris Dei germinis
Atriis infertur.
3. Divinum mysterium
Conficit Donatus,
Vitae participium
Didicit beatus,
Calicis excidium
Cernit anxiatus;
V. Precis sumens instrumenta
Jungit calicis fragmenta
Cunctis honoratus.
4. Turbata provincia,
Absumpta pecunia
Consocia moritur,
Dum viro supplicia
Parantur immania,
Donatus consulitur;
V. Procedit ad tumulum,
Per vocis oraculum
Thesaurus ostenditur.
5. Sequitur Antidia,
Pii regis filia,
Sanctum Christi famulum,
Aulam spernens regiam,
Sequens pudicitiam
Vitae servat speculum;
V. Sanctis facta socia
Ornant mirabilia
Ejus clarum tumulum.
6. Quasi stellae lucidae
Gemmae quoque fulgidae
Martyris sacrati
Ad honoris cumulum
Ornant sancti tumulum
Undique locati;
V. Tenent caput splendidum
Super pectus nitidum
Brachia beati.
7. Ante sancti tumulum
Clarum lucis vasculum
Solo dum colliditur,
Lampas luce fulgida
Oleoque turgida
Integra colligitur;
V. Lumen Dei caelicum
Vas collustrans sphaericum
Saepius adspicitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christus Dominus regnavit
Nitens fortitudine

Et Donatum coronavit
Roborans certamine.

2. Fide vacuos parentes,
Quos Donatus instruit,
Christi laude persistentes
Julianus obruit.

3. Pars dum quaedam calicis
Daemone furatur,
Nulla tamen laticis
Fusio probatur.

4. Pactum gentes faciunt
Pluviae dilatae,
Copiam mox fugiunt
Aquae postulatae.

5. Fontis poculum sanati
Dum formidant sumere,
Novi potum petra nati
Praecipit accipere.

Ad Benedictus.

A. Reprobatur instrumentum,
Dum vetatur monumentum
Homini exstincto,
Sorte mortis revocatus
Damnat falsum vera fatus
Sermone distincto,
Mandat sanctus obdormire
Et ad requiem transire
Ire jam praecincto.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. De quartana dire tactus
Tumba dum prosternitur,
Stat sacerdos sanus factus,
Festum dum peragitur.

2. Dum matrona nobilis
Genu cruciatur,
Tumbae venerabilis
Tactu mox sanatur.

3. Mulier dum labitur,
Creditur defuncta,
Sana mox erigitur
Grata vice functa.

4. Membra fert arentia,
Tumbam dum complectitur,
Mulier Florentia
Liberata cernitur.

5. O Donate, pastor gregis,
Da vitae solatium
Et videre vultum regis,
Beatorum praemium.

Ad Magnificat.

A. Christi martyr, tu Donatus,
Plebis doctor et beatus
Castitatis lilio;
Sanctitatis implens statum,
Trinum meruit ornatum
In caelesti praemio,
Lacte fluxit pietatis,
Donet ergo claritatis
Nos frui palatio.

Cod. Vallicellan. G. 76. saec. 17. (Abschrift, um das Officium, das natürlich viel älter ist, der Ritencongregation zu unterbreiten.) — In 1. Noct. **A** 2, 4 Factum vos orantis. — **R** 2, 6 Sumat. — **R** 2, 8 Horum piles. — In 3. Noct. **R** 2, 1 flagrat. — **R** 4, 1 Turbate. — **R** 4, 2 Absumit. — 5, 1 Sonst Anthilia; cfr. Acta SS. Apr. III, 775. — **R** 5, 8 Ornat.

71. In Translatione ss. Eleutherii, Pontiani et Anastasii.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exsultantes revolvendo
sanctorum magnifica,
Nunc cantemus voce cordis
canticorum cantica,
Ut haec Christo modulata
grata sint organica.

2. Voce pura concrepantes
martyrum prodigia
Imitemur, dum hic sumus,
eorum vestigia,
Ut post vitae nobis cursum
caeli dentur praemia.

3. Ad conventum in sanctorum
properemus laudibus,
Qui cum Christo sunt in caelo,
hic florent virtutibus,
Quorum semper defendamur
ac regamur precibus.

4. Festum instans celebrantes
laetemur in Domino,
Qui praesentes baptizavit
sanguinis martyrio
Et clementer liberavit
mortis a dominio.

5. Clerus psallat, Troja plaudat
plectro atque cithara,
Musicorum ars cantorum
voces levet ad aethera.
Chorus laetus, miris fretus,
Deum laudet in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Invitantes plebem Christi
in sanctorum laudibus
Exsultemus et psallamus
veri cordis vocibus,
Ut superna mereamur
simul horum precibus.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Recolatur mente pia
sanctorum provectio,
Ut ab hoste nos defendat
eorum protectio
Et excuset ante Deum,
quos accusat actio.

2. Angelorum rex sanctorum,
semper tibi gloria,
Qui nos tanta sublimasti
annua memoria,
Da pugnanti cum dracone,
fungatur victoria.

3. Gaudeamus exsultantes
cum tota ecclesia,
Illustrata tantis signis
gaudeat Apulia
Et devote corde puro
celebret haec gaudia.

4. Veri Christi sacerdotes,
Deum benedicite
Et ad festa recurrentes
orando respicite,
Ut purgetur ab his caro,
Quae fecit illicite.

5. Laudent Deum in excelsis
pueri et virgines,
Laudent senes, laudent omnes
viduae et virgines,
Pulsans psallat chorus omnis
tympanis et cymbalis.

Ad Benedictus.

A. Praesul Christi Eleutheri,
cum tuis sodalibus
Oves tibi consignatas
tuis rege precibus,
Ne vagantes per mundana
lupi dentur morsibus,
Sed exora intercessor
pro tuis fidelibus.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — In I. Vesp. **A** 5, 1 Coetus psallat. — **A** 5, 4 leves. — Invit. 3 psallemus. — In Laud. **A** 2, 6 fugatur; lies fungatur oder fruatur. — **A** 3, 6 celebrat. — Alle übrigen Teile des Officiums sind prosaisch; den Hymnus siehe Anal. XXII, 90.

72. De sancto Evasio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Angelici
secreti conscius
Romam venit
sanctus Evasius,
Hic assumpto
pastoris baculo
Praesul datur
Astensi populo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Evasius
aetate tenera
Cordis votum
vexit ad supera,
Disciplina
virtutum celebris
Mundum sprevit
plenum illecebris.

2. Sub modio
lumen non latuit,
Sed lucerna
lucens enituit,
Intonando
tubam propheticam
Multos traxit
ad fidem deicam.

3. Caritatis
spargendo semina
Peccatorum
vellebat germina,
Justitiae
secutus tramitem
Praedicabat
virtutum fomitem.

Responsoria.

1. Cum floreret
sanctus miraculis
Facti fama
crevit in populis,
Nam a septem
virgo daemonibus
Liberatur
ipsius precibus.

V. *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit.*

2. Eugenius
percussor nomine
Longa jacens
in aegritudine,
Baptizanti
credens dum resipit,
Sanitatem
membrorum recipit.

V. *In nomine patris et filii et spiritus sancti.*

3. Per Romanae
sedis pontificem
Praesulatus
conscendit apicem,
Hunc Astensis
elegit civitas,
In quo vernant
fides, spes, caritas;

V. *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Indefessus
in cura pauperum
Pium lapsis
praebebat humerum,
Apostoli
commendans opera
Aliorum
portabat onera.

2. Jam calcata
caro, qua tegitur,
Spiritui
servire cogitur,
Nil in mundo
mundanum cogitans,
In supernis
mortalis habitans.

3. Sua cunctis
novit tribuere
Cunctos formans
caelesti munere,
Cunctis erat
factus mirabilis,
Parvis magnus
et magnis humilis.

Responsoria.

1. Praesulatus
insignis infula
Per annorum
multa curricula
Ab Ariis
et duce Caunio
Pulsus urbe
datur exsilio.

V. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

2. Artificis
cujusdam filia,
Morbo diu
languens et anxia,
Idolorum
contempto scelere
Baptizata
curatur prospere.

V. *Salus enim justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis.*

3. Deus summi
largitor praemii,
Terminator
hujus exsilii,
Dignatus est
percussum gladio
Pio pium
ditare gaudio.

V. *Multae tribulationes justorum, et de his omnibus liberavit eos Dominus.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad majora
vocatur caelitus
Angelico
nutu commonitus,
Beneventi
relinquens patriam
Romam petit,
urbem egregiam.

2. Tunc Natalis,
insignis presbyter,
Et Praejectus
levita pariter
Sequuntur tam
vita quam gressibus,
Insistentes
orationibus.

3. Civitatis
Astensis nuntii
Venienti
venerunt obvii,
Eligentes
laeti de munere,
Quem Deus
dignatus est mittere.

Responsoria.

1. Actubali
tyranni feritas
Virum necat,
quem firmat sanctitas,
Sed tyrannus,
dum lumen perdidit,
Resipiscens
in Deum credidit.

V. *Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

2. Malianus,
confessor inclitus,
Et Praejectus,
virtute praeditus,
Consequentes
mercedem bravii
Mortis fiunt
et vitae socii.

V. *Ecce, quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum.*

3. Sacro tellus
educta tumulo
Lumen caeco
restaurat oculo,
Surdus audit,
et mutus loquitur,
Salus redit,
morbus repellitur.

V. *A daemoniis quoque possessi cladem pestiferae laesionis per beatum Evasium evaserunt.*

Aliud Responsorium.

1. Florente ferula
mirandum patuit,
Quod novus Aaron
virgam exercuit,
Virentem repperit
Natalis visio,
Quam casu liquerat
sancti dormitio.

V. *Ecce, non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.*

2. Ecce, furunt Ariani,
Morti dantur Christiani,
Urbis solum dissipatur,
Pars adversa dominatur.

3. Instinctu Satanae
conantur Arii
Sancti comburere
corpus Evasii,
Sanctum contingere
corpus non poterant,
Quod ut comburerent,
male quaesierant.

4. Rex Luitprandus
metu concutitur,
Sed cunctanti
metus adimitur,
Ut in somnis
dixit Evasius,
Prosternitur
cum suis Caunius.

5. Superatur dux nefandus,
Gratulatur rex Luitprandus,
In excelsis laudans Deum,
Qui victorem fecit eum.

Ad Benedictus.

A. Rex Luitprandus
devicto Caunio
Sancto grates
egit Evasio,
Augens templum,
augens et munera,
Per quem sibi
cessit res prospera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Arianus
populus pestifer
Et Caunius,
ipsorum signifer,
Civitatem
delere Sedulae
Cum populo
conantur sedule.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Natalis igitur
confessor inclitus
Mundana sarcina
calcata penitus,
Dum vitae pabulum
conferret populo,
Diem novissimum
clausit in saeculo.

Ex mss. libris choralibus ecclesiae Casalensis in Johannis Andreae Irici, patricii Tridinensis libro, cui titulus: De sancto Evasio, Astensium primo episcopo et martyre, Casalensis urbis patrono, dissertatio historico-critica. Mediolani 1748, p. 220 ff. — Das Invitatorium fehlt. — In 1. Noct. A 3, 3 Justi consecutus. — R 2, 2 praecessor. — Hiezu finden sich l. c. zwei Hymnen, der erste ad Vesp. et Noct.: Martyris nostri celebranda gesta, der andere ad Laudes: Dat Sedulensis civitas; beide sind indes jüngere, humanistische Producte.

73. De sancta Firmina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Firmina virgo,
virtutis speculum,
Transit felix
ad caeli solium,
Cujus prece
coetus fidelium
Summi regis
intret in gaudium.

2. Opus Firmina
fecit mirificum,
Ad lucem de tenebris
revocans impium,
Olympiadem
convertens ad Dominum.

3. Manus, quam levat impius,
Stat immobilis, afflictus
Clamans caelitus
Liberatur virginis precibus
Et sic pro fide moritur.

4. O quam magnum miraculum,
Flatu confringens idolum,
In lutumque convertitur,
Sic errorum fraus vincitur.

5. Post tot magna miracula
Tantaque dira martyria
Crinibus virgo suspenditur,
Rogus adhibitur
Et sic felix caelum ingreditur.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Roma,
ditata gloria,
Tot sanctorum
agens sollemnia,
Gaude tota
de rosa rubea,
Qua ditatur
felix Amelia,
Quam tu profers,
vivit in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem gloriae
omnes adoremus,
In honorem virginis
ipsi jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praefecti genere
rosa progreditur,
Cujus odor
per mundum spargitur.

2. Mundum fugit
spernens illicita,
Deum pulsat
prece mirifica.

3. Haec constanter
tyrannum superat,
Dum ferventer
fidem annuntiat.

Responsoria.

1. Mundum calcat pedibus
Romam derelinquens,
Deserta loca transmeat
Obsequiis insistens,
V. Mentis servans munditiam,
Carnis virginitatem.

Deo servire studuit
Per morum honestatem.

2. Virgo pugil Christi,
virtutum forma fuisti,
Dum pro fide Christi
coronari meruisti,

V. Fulgida stella maris,
nos protege, nos tuearis.

3. Dum Firmina gressum figit,
In Christo stat firmiter,
Fidem tenet nec mollitur
Resistens viriliter,
Judex furit nec timetur,
Dum spernit sublimiter;

V. Haec blandimenta respuens
Judicem despexit,
In Christo sponso glorians,
Quem multum dilexit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum injuste
lacertus tenditur,
Riget statim,
nequaquam flectitur.

2. Orat firma
Firmina dulciter,
Relaxatur
lacertus jugiter.

3. Stupet judex,
statim convertitur,
Fidem tenens
pro fide moritur.

Responsoria.

1. Nobilis est genere
praefectorum alumna,
Gentem devicit perfidam
quae nimis furibundam
Coronam lucrans gloriae
pretiose jucundam;

V. Haec convertit praesidem
Secumque traxit judicem
Ad gloriam caelorum.

2. Virgo flagellatur,
suspenditur et cruciatur,
Christo juvatur
nec flagellis superatur;

V. Stat constanter pugil fortis,
Fidem tenet hora mortis,
Dum pro Christo patitur.

3. Dum orantis
devota carmina
Caeli petunt
alta sublimia,
Mox redduntur
stupida brachia
Jam fideli;

V. Afflictus verbere
Promittit credere,
Redditur sanitas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum imago devastatur,
Virtus Christi demonstratur
Flatu sanctae virginis.

2. Stupent omnes et mirantur,
Laudes Christo decantantur
Immenso prodigio.

3. Cum Firmina verberatur,
Amor Christi inflammatur,
Nec terretur verbere.

Responsoria.

1. Verbum Christi
dum palam promitur,
Multitudo
magna convertitur,
Judex furit,
minas connectitur
Nec timetur.

V. Vis flagelli
amore vincitur,
Dum in Christo
Firmina figitur.

2. Deos exprobrat,
statua frangitur,

Dum Firminae
flatu contingitur.
Stupent omnes,
fides extollitur,
Sic error vincitur.

V. Dum Firmina
fortis in agmine
Verba profert
virtutis nimiae.

3. O quam magna
virtus ostenditur,
Dum Firmina
carne suspenditur,
Stat invicta,
sic tamen moritur.

V. Virgo sancta,
commenda Domino,
Qui te laudant
devoto cantico.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Qua rosa delicata
Offertur regi gloriae
Deliciis ornata.

2. Haec corona duplici
In caelo coronatur
Et virtute multiplici
In terris comprobatur.

3. Nobilis es genere,
Firmina, virgo Christi,
Non superaris verbere,
Inimicum vicisti.

4. Carnem afflixit jugiter
Jejuniis vacando,
Fidem defendit fortiter
Pro Christo moriendo.

5. Castitatis lilium
Suspenditur per crines,
Glorias eximium
Tendens in sublimes.

Ad Benedictus.

A. Ave, virgo speciosa,
Gemmae jubar, florens rosa,
Stella splendens virtuosa,
Nos conserva jugiter.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O speculum munditiae,
summi vas honoris,
Virginitatis lilium
mirifici candoris,
Translata es cum gloria
in supernis choris.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. 10000. — In 1. Vesp. **A** 3, 1 levat ipsius. — **A** 3, 2 Stant. — **A** 4, 4 fehlt eine Silbe; fraus ergänzt. — In 2. Noct. **R** 2, 3 A Christo. — In 3. Noct. **R** 2, 8 Firma; nur dies. — In Laud. **A** 1, 2 delectabilis. — Die beiden zum Officium gehörigen Hymnen cfr. Anal. XXII, 102 sq.

74. In Translatione ss. Fortunati, Caji et Anthes.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Urbs Salerni gaudeat,
Plaudat plebs devota,
In virtute floreat
Hac in vita tota.

2. Es depositaria
Facta thesaurorum,
Cella pigmentaria
Sacrorum odorum.

3. In te trium martyrum
Gaza triplicata,
Nobile triclinium,
Exstitit translata.

4. Vilis prius tumulus
Corpora tegebat,

Quae nobilis loculus
Praevisus manebat.

5. Ad hoc multiplicia
Cives induxerunt
Martyrum suffragia,
Quare transtulerunt.

R. O stupor et gaudium,
Odor tantus prodiit,
Qui corda fidelium
Intrinsecus feriit
Et corda debilium
Sospitati tribuit,

V. Ut probatica piscina
Factus cunctis medicina
Languentibus adfuit.

Ad Magnificat.

A. O quantus clamor populi,
Quanta cleri laetitia,
Gaudent senes et parvuli,
Ferunt laudum praeconia
Mira de sacro tumuli
Prodeunte fragrantia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt sollemnia
Translationis,
Mens det insignia
Devotionis.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Hi, qui dono gratiae
Nobis illuxerunt,
Sunt, qui pestilentiae
Sede non sederunt.

2. Vere Dei filius
Nos magnificavit,
Hos nobis propitius
Cum mirificavit.

3. Contra viros sanguinum
Hi sunt nobis dati
Et in arma daemonum
Milites probati.

Responsoria.

1. Fulget Salerni civitas
Tribus lustrata radiis,
Quam immortalis pietas
Dignificavit variis
Magnisque prodigiis;

V. Recte non es minima
Inter mundi lumina
Tot circumfulta gaudiis.

2. In odoris
mira fragrantia,
Quam ostendit
Christi clementia,
Dum sepulchri
franguntur tegmina,
Catervatim
ruebant agmina.

V. O mira suavitas,
Datur aegris sanitas
Per haec tria lumina.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
In quo Salerni civibus
Luxit Christus, rex gloriae,
Tribus datis martyribus.

2. Gemma triplex abscondita
Despecto latens loculo,
Jam est Salerni condita
Multiplici miraculo.

3. Sacrorum glebas corporum
Mirus odor monstravit,
Quas praecedentum temporum
Decursus occultavit.

4. Haec superant fragrantiam
Odoris unguentorum
Nec minorem frequentiam
Reddunt prodigiorum.

5. In passione socios
Capit loci unitas,
Quos fide non varios
Junxit Christi caritas.

Ad Benedictus.

A. Praeclara luminaria,
Christi veri pugiles,
Translati Dei gratia
Sitis urbis vigiles,
Sitque vestri praesentia
Cunctos firmans debiles.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosi milites,
Urbem defendatis,
Verae vitis palmites,
Vinum tribuatis,
Quod gustatis divites
Omnibus beatis.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salernitan. s. n. A. — Propr. Salernitanum imp. Neapoli 1594. B. — In 1. Vesp. A 1, 2 Plebs devota plaudeat B. — A 5, 3 Magnum suffragia A. — R fehlt B. — Ad Magn. A, 5 De mira sacri tumuli A. — R 1, 2 illustrata AB. — R 1, 5 Magnum prodigiis. — R 2, 5 sq. Dum sepultorum frangit AB. — In Laud. A 4, 4 Nec minus AB. — Die Hymnen cfr. Anal. XXII, 105 sq.

75. De sancto Galgano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetetur plebs fidelium,
Ad sanctorum consortium
Galganus scandit inclitus
Omni virtute praeditus.

2. Exortus in provincia
Castro Cluslino Tusciae,
Proavorum prosapia
Spectabilis progenie.

3. In annis puerilibus
Satis effrenis moribus
Instruitur angelica
Visione mirifica.

4. Princeps caelestis patriae,
Michael visu adfuit,
Sumat novae militiae,
Signa Galganum monuit.

Ad Magnificat.

A. Magnificat prae ceteris
Virtutibus innumeris
Galganum sanctum deitas,
Per gratiam praeveniens,
In eadem stabiliens,
Coronans per gloriam;
Per quem nobis veniam
Praestet beata trinitas.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudemus aeternum,
Qui sancto Galgano regnum
Dedit in caelis supernum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus evangelicam
Legem meditatur,
Quae per doctrinam caelicam
Sibi demonstratur.

2. Quare mundialia
Vana cuncta sprevit,
Qui sola caelestia
Quaerere decrevit.

3. Cum invocarem Dominum,
Ait sanctus, justitiae,
Vitare turbam hominum
Decet vanae militiae.

4. Verba mea, Domine,
Percipe precantis,
Viam tuo lumine
Dirigens errantis.

5. Domine, mirabilem
Tenens principatum,
Da, vincam terribilem
Daemonis conatum.

6. In Domino fiduciam
Totam hic jactavit,
Qui carnis immunditiam
Vere declinavit.

Responsoria.

1. Aperit matri filius
Secreta visionis,
Quae reseravit nuntius
Caelestis regionis,
Quae mente volvens tacite
Mater respondit concite:
Immensum tibi gaudium
Figurat hoc praesagium.
V. Christus Dei filius
Galganum specialius
Suum vocat per nuntium.

2. Archangelus apparuit
Iteratoque monuit
Galganum, sequatur,
Ad flumen magnum veniunt,
Molendinum conspiciunt,
Quod ibi rotabatur;
V. Decursus praesentium
Mundanorum fragilium
Illo figurabatur.

3. Transacto ponte fluvii
Pratum florum reperiunt
Odoris mirifici,
Ascendunt montem Sepii,
Domum ibi conspiciunt
Coetus apostolici;
V. Erat domus haec rotunda,
Ubi turba stat jucunda
Senatus magnifici.

4. Librum jubetur tollere,
Versiculum hunc legere:
Literas qui ignoravi,
In potentias intravi
Divini memor nominis;
V. Imaginem speciosam,
Quam agnovit gloriosam,
Vidit Dei hominis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, sine macula
Ingreditur possessor
In tua tabernacula
Tuus hic confessor.

2. Domine, laetabitur
In virtute tua
Sanctus, qui servabitur
In puritate sua.

3. Domini est gratia
Regnum praeparatum,
Qui servat innocentia
Cor immaculatum.

4. Exaudi orationem
Meam, Deus, qua deprecor,
Spatae fac sanationem,
Qua confracta tribulor.

5. Te decet hymnus hodie
Galgani vocem audiens,
Rex aeternae gloriae,
Fractum ensem reficiens.

6. Bonum tibi confiteri
Creatori omnium,
Cui semper misereri
Fuit et est proprium.

Responsoria.

1. Dum ad castrum Civitellae
Pergit equus, stans in via
Prope castrum Lugrianum
Contradicit suo velle,
Motus orat voce pia:
Deus, dirige Galganum.
V. Primum Adam qui plasmasti,
Mihi quoque demonstrasti
Spernere hunc mundum
vanum.

2. Prece fletu terminata
Equus motu proprio
Pergit condenso nemore
Sistens monte Sepio,
Ubi manet fixa spata,
Manet omni tempore.

V. Vera crux ense signatur,
Quae per sanctum honoratur,
Mortificato corpore.

3. Herbis famem refocillans,
Aqua sitim, non vacillans
Perseverat fortiter,
Satan saevit acriter
In Galganum exsiliens;

V. Daemon terrere cupiens
Orantem venit jaciens
Trabem ignis, post fugiens.

4. Fama cupiens latere
Sanctis micans virtutibus
Diffunditur in Thuscia,
Mulieres mox venere
De Aretii partibus
Cum maxima fiducia;

V. Manu contractam puellam
Ad ipsius ductam cellam
Sanat Dei gratia.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Beatus solitariae
Vitae Galganus studuit,
Non thesauris pecuniae
Spem suam unquam posuit.

Responsoria.

1. Apostolorum limina,
Qui sunt mundi lumina,
Visit pro indulgentia,
Dum fit absens, aliquorum
Corda fremunt malignorum
Pro pessima invidia;

V. Hos ad locum accedentes,
Ensem fractum relinquentes,
Dei ferit sententia.

2. Cum sic Romae perseverat,
Hoc per visum asserebat
Sibi caelestis nuntius;
Dolens cogitur redire,
Ubi meretur audire:
Ne adeas ulterius.

V. Pars fracta dum reponitur
Spatae fractae reficitur
Ensis, auditque citius.

3. Construxit cellulam
Galganus parvulam
De lignis, humilem,
Rotundam, similem
Ejus, quae nunc cernitur.

V. In montis culmine
Caelesti numine
Talis ostenditur.

4. Sacris dum vacat studiis,
Continuis vigiliis
Luce missa caelitus
Vox clamat divinitus:
Satis est, quod laborasti,
Mete nunc, quod seminasti.

V. Corpus inane linquitur,
Anima caelo rapitur,
Galgano dum sic dicitur.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Laudes reddit sanus factus
Puer parvulus, contractus
Manibus atque pedibus,
Sancti Galgani precibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui reparas in homine
Angelicum excidium,
Galganum vana spernere,
Te solum Deum quaerere
Tuorum docens praemium.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Reddens vitae puerum
Demersum in fluvio
Solatur patrem miserum
Suo patrocinio.

Ad Tertiam.

A. Clausus arto carcere
Fugit ab ergastulo,
Sancti Dei munere
Liber a periculo.

Ad Sextam.

A. Religatum in catenis
Visu sanctus eripuit,
Liberum a diris poenis
Suis eum restituit.

Ad Nonam.

A. Quasi omnis gratiae
Dono invocatus
Cuidam custodiam
Reserat beatus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sancti mirabilia
Canamus multiplicia,
Privatum cunctis sensibus
Suis reddit visibus.

2. Visitans sancti limina
Contracta manu femina
Cum sanitatis gratia
Laeta redit ad propria.

3. Vexatam a daemonio
Mulierem septennio
Latam in oratorio
Suo curat suffragio.

4. Leprosus sui similem
Cerae ferens imaginem
Curatus agit gratias
Sancto Galgano nimias.

Ad Magnificat.

A. Magnificat miraculis
Galganum coram oculis
Dominus cernentium,
Capitis servans decorem
Devotorum ad honorem
Sibi famulantium,
Per ipsum languentibus
Cunctis se petentibus
Dans salutis gaudium.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Casanaten. A IV 16 (123). — In 2. Noct. **R** 4, 1 latere cupiens. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 7 languentium. — Die vier zugehörigen Hymnen Anal. XXII, 109 sq.

76. De sancto Geminiano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, felix Italia,
Christi novis oraculis,
Sacra fulgent solemnia
Geminiani praesulis.

2. Ex Mutinensi gremio
Carnis foedus hunc genuit,
Cujus vitae perfectio
Praesulatum promeruit.

3. Praecinctus continentia
Lumbis mansit in saeculo,
Exempla radiantia
Salutis praebens populo.

4. Sibi talenta credita
Duplicata restituit
Et ratione posita
Scandere caelum meruit.

5. Hujus, o Christe, precibus
Nos duc ad vitae lumina,
Quem hac luce degentibus
Caeli sumpserunt agmina.

Ad Magnificat.

A. O gemma fulgens praesulum,
Fons vivus sanctitatis,
Geminiane, speculum
Divinae caritatis,
Duc te colentem populum
Ad regnum claritatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem caelestis curiae
Collaudent omnes populi,
Qui dat coronam gloriae
Geminiano praesuli.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praesulatus postquam datur
Geminianus nomini,
Jam in lege meditatur
Nocte dieque Domini.

2. Sion monte constitutus
Dei praeceptum praedicat,
Satan fugans ope tutus
Crucisque signis emicat.

3. Mox Augusti Joviani,
Quo sic vexatur filia,
Quibus erat Deus sani
Cordis salus et gloria.

Responsoria.

1. Luce solis occidentis
Oriens splendescit,
Dum in praesulis absentis
Daemon sic expressit:
Omnis actus erit vanus
Ne de sui servire,
V. Ni praesens Geminianus
Me cogat exire.

2. Jovianus regionem
Nominati nesciens,
Per mundum legationem
Quaeri mittit inquiens,
Tandem hujus mansionem,
Quae gaudet reperiens.
V. Sed Augusti laesionem
Natae praesul audiens,
Spondet sequi visionem
Mox iter arripiens.

3. Ululatus et ploratus
Vox in Rama personuit,
Mutinensis plebs immensis
Gemitibus tunc affluit,
Cum ad mare properare
Praesul iter arripuit;
V. Sed deflentes consolatur
Benedicens et hortatur,
Nam redire statuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocaret Dominum
Procellis in discriminum
Daemonio commotis,
Mox mare fit pacificum,
Portum capit salvificum
Classis optatis votis.

2. Suo conspectu Dominus
Direxit viam protinus
Beati confessoris,
Ut mox intrat Bizantium,
Aulae confertur gaudium
Ingens imperatoris.

3. Honore, laude, gloria,
Felici Dei gratia
Hic praesul coronatur,
Puella jam saevissima
Fit mox mansuetissima,
Dum sancto praesentatur.

Responsoria.

1. Ut praesentatur
Beato praesuli
Furens puella,
Daemon fugatur,
Tristis periculi
Cedit procella.
Sic operatur
Crucis signaculi
Salutis stella;
V. Patri sunt gaudia,
Matri solatia,
Plebi tripudia,
Hosti flagella.

2. Coetus currit languentium
Ad patrem pietatis,
Qui dat cunctis solatium
Quaesitae sospitatis,

Ritum exstirpans gentium
Dat fidem trinitatis
Doctrina veritatis;
V. Ad unum sic Bizantium
Ovile ducit ovium
Pastor fidelitatis.

3. Praesul dehinc post discessit
Rediens ad propria,
Maris fluctus mansuescit,
Grata parans invia,
Qui fert sacra, quae porrexit
Augustus, exennia;
V. Mutinensis hilarescit
Jubilisque plebs florescit
De patris praesentia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tandem transit gens Hunnorum
Montes Appannoniae,
Cujus votum labiorum
Non fraudat rex gloriae.

2. Hac quassatur Germanorum
Et Gallorum regio,
Desolatur Italorum
Gens potens in proelio.

3. Mutinam mox invadentes
Cedunt salvis omnibus,
Quo nobiscum omnes gentes
Plaudant Deo manibus.

Responsoria.

1. Harum Attila gentium
Rex videns in excidium
Obsessae civitatis,
Geminiano praesuli
Fatur: flagellum saeculi
Sum nuto deitatis;
Flagellum ne respueris,
Cujus te servum asseris
Sermone veritatis.
V. Mox jussu praesulis
Apertis foribus
Intrat exercitus,
Qui salvis singulis
Rebus ac gentibus
Tendunt ad exitus.

2. Carnis foedus dum jam tendit
Ad ejus primordia,
Vere Christus huic descendit
Voce ferens propria:
Serve meus, et praetendit:
Veni, tolle praemia;
V. Christi praesul sic exspirat
Septus caeli curia,
Cursu vitae non delirat
Scandens ad caelestia.

3. Granum fert dum moritur
Copiam frumenti,
Alabastrum frangitur,
Fragrat vis unguenti,
Sospitas dum traditur
Omni patienti,
Ubi corpus clauditur
Arca monumenti.
Caelestis militia,
Decor firmamenti,
Surgit ad tripudia
Praesuli scandenti,
Laureato gloria
Nunquam decidenti.
Patri laus, clementia
Sit omnipotenti,
Virtus et victoria
Nato resurgenti,
Ab utroque gloria
Flamini procedenti;
V. Praesul Christi dum vocatur
Ad regna caelestia,
Voce melos modulatur
Omnis caeli curia,
Paradisus gloriatur
Vitae reddens praemia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnans filius virginis,
Splendor paterni luminis,
Induit se decorem,

Geminiani praesulis
Ornans diem miraculis
Per laticum liquorem.

2. Quod Deus ipse Dominus
Sit, plebs cognovit protinus,
Dum festo Mutinensis
Exsistens in basilica,
Quam mox invadit latica
Procella tam immensis.

3. Confiteantur populi
Tibi, Deus, dans praesuli
Signorum claritatem,
Dum aquae fluxibilitas
Stat ut muri stabilitas
Non intrans civitatem.

4. Benedicite, flumina,
Deum, caelique numina,
Qui dat vobis virtutem,
Ut non possitis fluere,
Sed quisque vos assumere
Possit ad servitutem.

5. In sanctis ejus Dominum
Coetus laudet fidelium,
Qui prece confessoris
Vertit metum discriminum
Aquarum inundantium
In jubilum amoris.

Ad Benedictus.

A. Stella fulget in nebula,
Dum fugit Ungarorum
Gens furens visa cellula,
Flos in qua confessorum
Geminianus parvula
Lux humatur qui morum,
Sic mox illaesa singula
Liquit gens perfidorum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Huic proli, dux alme poli,
succurre precanti,
Optatum praebere statum
dignare vaganti.

2. Pace frui nos urbe tui
fac Geminiani,
Maeroris stet quaeque foris
discordia vani.

3. Mordaces prosternae faces
omnes vitiorum,
Lustrari virtute pari
da corda virorum.

4. Qui coram te, Christe, moram
trahit, ille beatus,
Praesul, ibi sit cura tibi
nostri famulatus.

5. Felices ut in orbe vices
sine lite sequamur,
Cui grato mox fine dato
super astra feramur.

Ad Magnificat.

A. Ave, sidus, nauta fidus,
Navis, portus laetitiae,
Per hoc magnum saecli stag-
num
A pirata nequitiae
Nos tuere, consors verae,
Geminiane, gloriae.
Postque mortem duc ad sortem
Regni caelestis curiae.

Brev. ms. Mutinense anni 1476. Cod. Capit. Mutinen. O I N 1. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 4 Divinae calamitatis. — In 1. Noct. A 1, 2 Geminiani numini. — A 3, 1 Jobiani. — R 1, 6 verderbt; lies: Non desinam saevire? — R 1, 7 Nisi. — R 2, 1 Jobiani. — In 2. Noct. R 2, 5 Ritum stirpans. — R 1, 5 Facere flagellum. — R 3, 16 Sit fehlt. — In 3. Noct. R 1, 2 lies nitens in? — In Laud. A 1, 1 virginis filius. — Hiezu drei Hymnen; cfr. Anal. XXII, 112 sq.

77. De s. Guidone Aquensi.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sanctus Guido,
decus Aquensium,
Transit felix
ad caeli solium,
Cujus prece
coetus fidelium
Summi regis
intret in gaudium.

R. Regnum mundi supergressus
Et ejus ornatum,
Regnum caeli jam ingressus
Sibi praeparatum,
Nostros ad se regat gressus
Post hunc incolatum;
V. Peregre Jacob egressus
Patris ad mandatum
Vidit Deum, sic professus
Vitae caelibatum.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
gesta clarissima
Sancti Guidonis
divino cultui
Devotum hodie
praesens collegium,
Cujus sancta
conscendit anima
Sub fine felici
regni perpetui
Cum sanctis patriae
sublime solium.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Amas Christum, Guido,
Quem colis tota mente,
Mundum istum horrens,
Labe carens, Deo trahente,
Forma gregis, moribus
Et virtutum actibus
Fulges;
Quem honestavit castitas,
Illuminavit veritas
Et inflammavit caritas;
V. Annulo sacro signatus est
Et virtute fidei firmatus est.

2. Sancte Guido pretiose,
praesul beatissime,
Qui virtute caritatis
circumfultus undique,
Proprium ab inimicis
protexisti populum,
Funde preces pro devoto
tibi nunc collegio,
V. Ut tuo propitiatus
interventu Dominus
Nos purgatos a peccatis
jungat caeli civibus.

3. Cum esset in accubitu
Mellifluae dulcedinis,
Arcens potenti spiritu
Pestem carnis et sanguinis,
Bonorum septus ambitu
Sceptrum tenet regiminis;
V. Pastorali functus officio
Singulari fulsit praeconio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem sempiternum pronis
mentibus adoremus,
Qui aeterna sanctum Guidonem
coronavit gloria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum flore mundum despicis
Cito ruiturum,
Fructum vitae colligis
Semper permansurum.

2. Circa dona caelestia
Occupatus assidue,
Mellifluis saporibus
Est refectus hodie.

3. Post carnis exitia
Ad caeli palatia
Liber a miseria
Transivit cum gloria.

Responsoria.

1. Fulgentes radii
meritorum praesulis almi
Mundum laetificant,
dant gaudia, tristia curant,
Caelica nunc supra
cui plaudant agmina laeta,
V. Felix angelica
dotatur sorte beata.

2. Lux caecorum, vox mutorum,
Salus infirmantium,
Vas virtutum, decus morum,
Defensor humilium,
Per te nobis rex caelorum
Det caeleste praemium,
V. Ut te duce vera luce
Perfruamur saecula,
Coronari et locari
Possimus cum gloria.

3. Templum fecit templi cultor
Honoris eximii,
Quo completo fine laeto
Cursum hujus saeculi
Consummavit et intravit
In gaudia Domini,
V. Verus bonus summi regis
Pastor et patronus gregis
Cum laude multiplici.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praesul almus hodie
Decorem indutus
Caelesti dulcedine
Laetatur imbutus.

2. Omnis terra jubilet,
Laeta laudes intonet
Et nobiscum concrepet
Dicens: Alleluja.

3. Ad te de luce, Dominus,
Guido vigilavit,
Deserta mundi fugiens
te solum amavit.

4. Caelum, terra, maria
Deum venerantes
Benedicunt per saecula
Hosanna clamantes.

5. Plebs laudat angelica
In festo Guidonis
Unum in essentia,
Trinum in personis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui nos visitavit
Providens hominibus
Pastorem donavit,
Qui lupos ab ovibus
Potenter fugavit,
Nos clamoris vocibus,
Ut cum caeli civibus
Simus in caelestibus,
Sedule vocavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Inclita sanctissimi
Guidonis sollemnia
Suscipiat alacriter
Pia mater ecclesia;
Ave, decus Aquensium.
Ave, corona praesulum,
Obtine nobis gaudia,
Quae possides in gloria.

Ex Legendario ms. Aquensi saec. 14. J. B. Moriondus, Monumenta Aquensia. Taurini 1790 p. 104 sqq. — Die ganze erste und die halbe zweite Nocturn sind prosaisch abgefafst; mit den Responsorien der letztern kehrt das Officium zum gebundenen Stil zurück. — In 1. Vesp. Sup. Ps. A, 5 preces. — In 3. Noct. A 2, 1 fehlen zwei Silben; dona ergänzt. — Die drei Hymnen des Officiums Anal. XXII, 119 sqq.

78. De sancto Herculano.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Perusina
laetare civitas,
Diem festum
colens in gaudio,
Quem sacravit
Syra societas
Herculani
sacro martyrio.
Omnis culpae
cesset occasio,
Regnet in te
fides, spes, caritas,
Norma vitae,
morum frugalitas,
Divinorum
pia devotio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo, vero salvatori,
Psallat plausus hujus chori,
Qui per poenas Herculanum
Caeli vexit ad arcanum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum teneret
orbis imperium
Justinianus,
cultor fidelium,
Herculanus
relinquens Syriam
Dei ductu
venit in Tusciam.

2. Fratrum coetus
una cum patruo
Curam dantes
amori mutuo
Praedicabant
in Romae finibus
Christi fidem
turbis gentilibus.

3. Hic attingens
oras Perusii
Spe divini
fultus auxilii
Fortes monens,
ne fides excidat,
Et infirmos
doctrina solidat.

Responsoria.

1. Debacchante
congressu Totilae,
Dum septennis
esset obsidio,
Ruit urbis
munimen debile,
Captivatum
famis naufragio;
Herculanus
regis imperio
Ferro collum
supponit humile;
V. Fit conclusorum
caedes non pauca virorum.

2. Inexpleta
regis malitia
Velli jubet
a tergo trophium,
Herculanus
Christi fit hostia,

Vitae sumens
hac morte bravium,
Cujus caput,
corpus et corium
Lictor extra
projecit moenia.
V. Gaudia mansura
dedit illi passio dura.

3. Venerandas
tollunt reliquias
Quidam sancto
faventes praesuli,
Locis suis
aptant minutias
Festivantes
ad locum tumuli,
Cum quo membra
defuncti parvuli
Collocantes
agunt exsequias;
V. Qui vitium nescit,
tutus post fata quiescit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Herculanus
dum docet populum,
Sacrae fundens
scripturae poculum,
In pastorem
urbis eligitur,
Cunctis placens
cunctis praeficitur.

2. Tanti munus
adeptus apicis
Digne gessit
opus pontificis,
Clerum docens
normam theoricam,
Plebem vocans
ad vitam practicam.

3. Viduarum
consultor utilis,
Pupillorum
tutor laudabilis,
Suas large
dispergens copias
Egenorum
pellit inedias.

Responsoria.

1. Restitutis
in urbe civibus
Summo sanctum
requirunt studio,
Sed non parent
in ejus carnibus
Cicatrices
aut ulla laesio,
Fit membrorum
sana conjunctio,
Puer tantum
scatebat vermibus.
V. Noscitur ex isto
defunctus vivere Christo.

2. Palestini
montis vocabulum
Tenet sacer
locus calvariae,
Hic secundo
sumpserunt tumulum
Tansportatae
sanctae reliquiae,
Hunc divinae
majestas gratiae
Cephae Petro
sacravit loculum;
V. Adfuit hic genti
defensio multa petenti.

3. Rogerius,
antistes nobilis,
Herculanum
ubi restituit.
Aram struens
caementi stabilis,
In qua sacrum
corpus accubuit,
Et super hanc
fundare studuit

Aram Deo
formae laudabilis;
V. Dat bona non parce
martyr, qui praesidet arcae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Macerata
carne jejuniis
Insistebat
crebris vigiliis
Et multorum
studens profectui
Subigebat
corpus spiritui.

2. Fana frangens
purgat dioecesin,
Detestandam
suggillans haeresin,
Fert in castra
ritus catholicos,
Vanos probans
errores ethnicos.

3. Declaratur
in sancto veritas,
Qua loquente
nitescit falsitas,
Tota passim
laetatur regio
Sancti viri
parens arbitrio.

Responsoria.

1. In mamilla
torquetur femina,
Dolos hostis
experta callidi,
Calet humor,
sed medicamina
Nihil prosunt
fomenti frigidi,
Donec manus
medentis providi
De supernis
confert juvamina;
V. Gratia lenivit,
quod homo lenire nequivit.

2. Aeger quidam
siccatis genibus
Laborabat
nervorum vitio,
Sese ferens
subnixis manibus
Sacrae domus
haesit in ostio;
Ibi pii
patris subsidio
Convalescit
receptis viribus;
V. Exsiliens igitur
laetus virtute potitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnat cum Domino
martyr eximius,
Virtutum balteo
praecinctus fortius,
Tradens martyrio
corpus passibile,
Jam victor exprobat
lictores Totilae.

2. Optata caelitus
fretus victoria
Datori jubilat
jugi laetitia,
Secure subiens
portas refugii
Cacumen possidet
vitalis gaudii.

3. Vigilanter
currens ad lauream
Ensi molem
supponit carneam,
Felix martyrium
praecedit lacrima,
Per quam pinguedine
repletur anima.

4. Trinus unus
incommutabilis
Est per saecla
Deus laudabilis,
Qui probatum
per patientiam
Herculanum
traxit ad gloriam.

5. Collaudetur
internus arbiter
Reddens cuique
digna fideliter,
Regens, domans
vinculis ferreis
Et tyrannos
catenis igneis.

Ad Benedictus.

A. Praedicanda
Christi benignitas
Justum duxit
ad regna caelica,
Vices illi
rependens meritas
Et augmentans
manu mirifica;
Ubi phalanx
gaudens angelica,
Ubi pollet
sanctorum claritas,
Ubi regnat
perfecta veritas,
Trinus Deus
majestas unica.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O tuorum
custos fidelium,
Herculane,
pastor et domine,
Da virtutem,
succide vitium,
Serva tuos
ab omni crimine,
Ut subtracto
carnis spiramine
Transeamus
ad vitae gaudium,
Contemplantes
patrem et filium
Conregnantem
cum sacro flamine.

Antiph. ms. Perusinum saec. 15. Cod. Capit. Perusini 39. — In 2. Noct. R 3, 8 occubuit. — In Laud. Ad Bened. A, 7 sq. augmentas manus. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 9 fehlt eine Silbe; ut ergänzt. — Hymnen Anal. XXII, 121 sq.

79. De sancto Januario.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Januarius inclitam
Vitam gerens, dum semitam
Christi regis prosequitur,
Urbis tunc Beneventanae
Sancte multum et humane
Dignus praesul eligitur.

2. Pollens claris miraculis
Cunctis donabat populis
Fidem veram servantibus
Debilibus remedia
Infectisque praesidia
Sibi coram adstantibus.

3. Constanter Christum praedicans
Et ore nunquam denegans
Portatur coram praeside,
Blande eum adhortatur,
Sed audire dedignatur
Sectae conjungi perfidae.

4. Praeses contemptus cogitat
Et poenas omnes indagat
Tandemque almum praesulem

Crudeli ferae subicit
Et sanum stare conspicit
A dira morte exsulem.

5. Laudes mente humili
Agit divino numini
Degens in flamma ignium,
Qua protexit incolumem
Ejusque nomen celebre
Fecit creator omnium.

Ad Magnificat.

A. Exsulta, plebs fidelium,
Pete patris auxilium,
Ut semper magis floreat
Nec casum malum horreat
Urbs Neapolitana,
Sed spiritu proficiat
Et mortis actum nesciat;
Vitet taetrum exsilium
Dei videndo filium
Ecclesia Romana.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regis sanctorum Domini
Adoremus imperium,
In flamma ignis clibani
Servantis Januarium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus martyr Dominum
Corde semper oravit,
Praesens spernendo saeculum
Tyrannum superavit.

2. Quare miser non cogitas,
Thimotheo dicebat,
Ut vites poenas debitas,
Et fidem suadebat.

3. Domine, oro inspice
Hoc durum tormentum,
Animam tu recipe
Et corpus elementum.

Responsoria.

1. Januarius Dominum
Mente constanti confitens
Triumphavit perenniter,
Factorem esse omnium,
Tyrannum nunquam reverens,
Coronatur sollemniter;
V. Mortem subit intrepidus
Confessor Christi providus,
Polum intrat celeriter.

2. Deductus coram praeside
Suis ministris imperat,
Ut fornacem accendant,
Ad ignem gentis perfidae
Mente libenti properat,
Ut sic omnes perpendant,
V. Quod in flamma jam jactato
Angelis in se beato
Pariter Deum commendant.

3. Sanctus feris exponitur,
Ut Christum ore deneget
Coram adspectu populi,
In nullo prorsus laeditur,
Fidem perfecte retinet,
Grates superno praesuli
V. Dignas devote obtulit,
Ob hoc, quod sibi contulit
Bona futuri saeculi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem, summe Deus,
Exaudisti me clementer,
Factus es protector meus,
Poenas sustuli potenter.

2. Verba protuli dulcoris,
Ut fidelis Christianus,
Sed in poculum doloris
In me vertit vir profanus.

3. Admirandum nomen tuum
In conspectu populorum,
Meum cor servavi purum
Comes factus beatorum.

Responsoria.

1. Vesuvius mons nimium
Igne concrematur,
Timens, ne in devium
Flamma protendatur,
Exorat Januarium,
Ut cito exstinguatur,
V. Plebs vicina civium,
Oppressa mole cinerum
Dira molestatur.

2. Fulgens habitu splendido
Nocte apparuisti,
Florentinum in lectulo
Manu apprehendisti,
Signans, quod in avido
Honore provexisti,
V. Orationi dedito
Inducto nutu caelico
Clemens annuisti.

3. Defunctum natum anxie
Mater deploravit,
In praesulis effigie
Mox ut mensuravit,
Pater misericordiae
Eum suscitavit,
V. Subveniret miseriae
Ejus afflictae viduae,
Dolens exoravit.

Responsoria.

1. Exstinctus erat clericus
Sopori mortis deditus,
Adsistit chorus cleri,
Suscitavit clementius,
Crescens et Innocentius
Testes sunt hujus rei;
V. Adveniens ut medicus
Palpavit Januarius
Virtute summi Dei.

2. Insignis vir Gregorius
Confectus jam doloribus
Praeerat Capuanae
Urbi tribunus, dominus
Sepulcbrum cum militibus
Petebat non inane;
V. Sanatum Januarius
Reddit palam in gentibus
Languentem inhumane.

3. Orientales populi
Currentes mente humili
Oppressi praegravantur,
Virtute Januarii
Suo succurri vulneri
Devote precabantur,
V. Sed et caecorum lumini,
Membrorum loco debili
Remedia donantur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Spondens tua bonitate
Viro probo canopaeum,
Sibi dedi indilate
Post abscissum caput meum.

2. Ductus es in altum locum,
Ubi vitam finivisti,
Neque digitum amotum
Deperire permisisti.

3. In virtute exsultabo
Praedicando verbum Dei,
Hymnum laudis post cantabo
Consolamen cordis mei.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Martyr Deo deditus
In fine sui exitus
Fidem nunquam negavit,
Testans, quod in perpetuum
Christus, creator omnium,
Ut dominus regnavit.

2. Sanctos sibi consocios
Velut filios proprios
Amplectens caritate,
Eis pie suadebat:
Hortans etiam docebat:
Deo semper jubilate.

3. In fornace dum jactatur,
Sanctus statim liberatur,
Stupet nimis Thimotheus,
Non oblitus cogitare,
Ore etiam clamare:
Sancte Deus, Deus meus.

4. Verba sancti pontificis
Lingua pravi carnificis
Dicit delira somnia,
Clamat dum non per alium,
Seni dedit orarium:
Benedicite, omnia.

5. Signum fecit Danielis
Praesul magnus et fidelis
Coram adspectu omnium,
Mites ferae cucurrerunt,
Pedes ejus dum linxerunt,
Omnes, laudate Dominum.

Ad Benedictus.

A. Laetare, pastor optime,
Et nos a malo redime
Omnesque actus mentium
Conserva hic sistentium
In caritate nimia,
Ut pace bona gaudeant,
Rancorem pravum odiant
Christoque laudes dicere
Et postea conspicere
Possint superna limina.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, defensor patriae,
Gaudens triumpho gloriae,
Nitens ut gemma praesulum,
Almum concede exitum,
Januari sanctissime,
Ut in supremo culmine
Vero possimus lumine
Nostrum perenne praemium,
Deum auctorem omnium,
Contemplari clarissime.

Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5. add. saec. 15. A. — Offic. ms. S. Januarii saec. 16. Cod. Neapolitan. VI E 18. B. — Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. C. — In 1. Noct. **R** 2, 9 commendent C. — In 2. Noct. **A** 2, 3 in fehlt C. — **R** 1, 1 Vesuvii C, Vesubeus B, Wesuveus A. — **R** 2 und 3 sind in BC Reimprosa, wahrscheinlich aus einem älteren Officium entlehnt. Sie stören auch den Faden, da die **RR** der 2. und 3. Nocturn Wunder behandeln. — In 3. Noct. **R** 1 Prosa in BC; beide Hss. haben in dieser Noct. 6 Antiphonen, nämlich noch **R** 2 und 3 der 2. Noct. — **R** 3, 6 Eorum succurri AC, Et eorum B. — In Laud. **A** 1, 6 fehlt eine Silbe; ut ergänzt. — **A** 4, 3 delirans omnia C, deliras omnia B. — Hymnen cfr. Anal. XXII, 135 sq.

80. De sancto Januario.

„Aliud officium".

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. De torrente in via bibit
Caput exaltans proprium,
Dum furens lictor hoc praecidit
Per passionis gladium.

2. Memoriam cum gaudio
Nobis Christus amabilis
Fecit, in Januario
Inventus admirabilis.

3. Potens in terra cernitur,
Sicut ait psalmista,
Pro Christo dum efficitur
Martyr et agonista.

4. Laudate Christum Dominum,
O pueri cum senibus,
Laudate Januarium
In vespertinis laudibus.

5. Laudate regem omnium,
Omnes gentes et populi,
Invocantes praesidium
Athletae Januarii.

Ad Magnificat.

A. Magnifica, Neapolis,
Christum in Januario,
Quae corpus tanti praesulis
Tuo servas armario,
Coronatur martyrio,
Novis fulgens miraculis
Veneratur a populis,
Caeli translatus gaudio
Ipse nos Dei filio
Votis commendet sedulis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgentem cum victoria
Laudemus Dei filium,
Qui cum triumphi gloria
Coronat Januarium.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Tamquam lignum complantatum
Secus aquas decurrentes
Fructum dedit Deo gratum
Convertendo caecas mentes.
2. Rex et martyr sum a Deo
Super Sion constitutus,
A quo in agone meo
Nunquam fui destitutus.
3. Adversantem sancto tuo
Caecitate percussisti,
Ursos a furore suo
Velut agnos effecisti.

Responsoria.

1. Ante tribunal praesidis
Nolam deductus pontifex
Fide nunquam turbatur,
Mandat ministris perfidis
Furens vesanus carnifex,
Quod fornax succendatur;
V. Igne manens ut in rore
Sacro Christum laudat ore
Confessor invictissimus.
2. Danieli fit similis,
Dum pro zelo justitiae
Pastor ursis exponitur,
Probatur admirabilis
Virtus suae constantiae,
Cum a feris non laeditur;
V. Intrat, adstat intrepidus
Athleta fide fervidus,
Scuto protectus fidei.
3. Certamen init ultimum
Crucem in fronte perferens
Summi regis vexillifer,
In Christo firmat animum
Lictori caput offerens,
Coronandus perenniter.
V. Carnis spernit interitum,
Deo commendans spiritum
Athleta constantissimus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Parata Januario
Sedes est in excelso,
Mortem pro Dei filio
Incunctanter amplexo.
2. Jubilate Deo, populi,
In exsultationibus,
Jubilate tanto praesuli
In matutinis laudibus.
3. Sitivit mens et anima
Ad Deum vivum jugiter,
Caro tulit certamina
Afflicta multipliciter.
4. In fornace laudat Deum
More trium puerorum,
Ardor non contingit eum,
Turbae stupent populorum.
5. Christum Dominum de caelis
Mente laudemus humili,
Qui virtutem Danielis
Dat inter ursos praesuli.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
pater cum filio,
Benedictus
sit sanctus spiritus,
Benedictus
martyr in proelio,
In quo factus
est victor inclitus;
Vicit carnem,
vicit diabolum,
Vicit dura
tormenta praesidis,
Praeses spernens
pro Christo saeculum
Coronatur
gemmis praefulgidis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnam fecit potentiam
Deus in Januario,
Timothei dementiam
Forti disperdens brachio,
Superbientem deicit
Cruciandum in inferis,
Sanctum ad caelos provehit
Coronandum in superis.

Propr. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — Die zugehörigen drei Hymnen Anal. XXII, 137 sq.

81. De sancto Imerio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Psallat hac sincerius
Die plebs fidelis,
Qua pater Imerius
Natus est in caelis.
2. Dum esset in corpore,
Christum est secutus,
In primaevo tempore
Sacris institutus.
3. Quamquam tractus gesserit
Praesulatus curam,
Nunquam tamen deserit
Mentem Deo puram.
4. Mundum a contagio
Mundi se servavit
Et caeli collegio
Sese coaptavit.
5. Carnis clausus carcere
Dissolvi cupivit
Et cum Christo vivere,
Cum quo modo vivit.

Ad Magnificat.

Magnificat Imerium
Lux verae sapientiae,
Decor virtutum omnium,
Thesaurus Christi gratiae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inclitus Imerius
Parvulus aetate
Vir erat jam validus
Mentis probitate.
2. Natus ex Abruzzia
Fuit hic beatus,
Puritatis gratia
Digne sic vocatus.
3. Christi famulatui
Totus inhaerebat
Et doctrinae cultui
Vigil intendebat.

Responsoria.

1. Superno docta lumine
Cremona dirigatur,
Cordis absque velamine
Christo confiteatur,
Per quem tanto munimine
Protectus roboratur.

V. Almi patris Imerii,
Confessoris egregii,
Dum honore dicatur.

2. Ab aetatis
primae cunabulis
Literarum
imbutus studiis,
Dat se sacris
totum oraculis,
Voluptatis
liber a vitiis,

V. Mundi pompas
vitans attentius
Homo Dei
sanctus Imerius.

3. Beatus vir Imerius,
Serviret ut liberius
Deo majori vita,
Maris in quadam insula
Per annorum curricula
Vixit anachorita,

V. Ubi cordis in gaudio
Angelico tripudio
Proficiebat ita.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Imerius rem nomini,
Quod purus explanatur,
Jungens antistes Domini
Pure conversabatur.

2. Quidquid habere potuit
Humanae facultatis,
Pauperibus distribuit
Amator paupertatis.

3. In praedicandi gratia
Vir sanctus eminebat,
Quem virtus et scientia
Perfectum exhibebat.

Responsoria.

1. Utebatur
agresti pabulo
Vir futurus
pastor in populo,
Crucifixus
impuro saeculo
Cohaereret
ut Christo sedulo.

V. Caelesti curiae
jungi promeruit,
Qui carnis gloriae
florem exaruit.

2. Ingressus urbem Meliam,
Suo pastore viduam,
Dum precibus instatur,
Plebi per Dei gratiam
Dignus ad sacram infulam
Vir sanctus revelatur;

V. Sic in domo deifica,
Cunctis ut sit lucifica
Lucerna, sublimatur.

3. Transit tandem
pastor ad pascua
Carnis morte
caeli conspicua.
Jesu pie,
nos per Imerium
In caeleste
duc refectorium;

V. Te cupivit,
dilexit, docuit,
Prosit nobis,
ut tibi placuit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Condolebat pater
Pressis pauperie
Sicut pia mater
Nati miseriae.

2. Revelatur sancto
Divino spiritu
Hora, qua de mundo
Migravit obitu.

3. Circa congregatis
Pastorem ovibus
Caeli cum beatis
Triumphat civibus.

Responsoria.

1. O rem dignam, quam fecisti
Sacris, Imeri, laudibus,

Dum Cremonae tribuisti
Te protectorem civibus,
Nobis ergo, praesul Christi,
Tuis succurre precibus;

V. Tu qui mundo claruisti
Doctrinis et virtutibus,
Adsis, pater, choro isti,
Totis clamant viribus.

2. Felix Brixia,
Quae natum genuit,
Plus tamen Melia,
Quae patrem habuit,
Ad haec per omnia
Cremona floruit,
Quae sanctum tenuit;

V. Imeri caelice,
Christo nos socia,
Per quem magnifice
Splendet ecclesia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudis Deo sonorius
Plena vox offeratur,
Per quem praesul Imerius
In caelo coronatur.

2. Hic sermone mellifluus
Totum, quod praedicabat,
Primum in se vir strenuus
Exemplo demonstrabat.

3. Almum quisquis hunc adiit
Adversis occupatus,
Ovans adversa rediit
Ad sua consolatus.

4. Divinus per Imerium
Cultus erigebatur,
Et daemonis imperium
Omnino fugabatur.

5. Collaudet omnis spiritus
Hac die sacra Deum,
Qua confessor hic inclitus
Assumptus est ad eum.

Ad Benedictus.

A. Salve, decus
omnis ecclesiae,
Cremonensis
clara lux patriae,
O confessor
Imeri, gratiae
Intercessor
nobis et veniae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pastor egregie,
Lucerna decora,
Speculum munditiae,
Vox Christi sonora,
Verae poenitentiae
Spatium implora,
Roganti familiae
Mortis adstans hora.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 165. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Primerio tempore. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Parvus aetate. — In 3. Noct. **R** 1, 9 fehlen zwei Silben; pater ergänzt. — In Laud. ad Ben. **A**, 1 Salva. — Ibid. 8 sis nobis et.

82. De s. Leone Catanensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Completis sacris
discessit praesul ab ara
Atque magum retinens
subito conjecit in ignem.

2. Firmatus fidei
scuto simulacra deorum
Vertit et in minimas
confregit singula partes.

3. Jam magicos ritus
Siculis Leo praesul ab oris

Expulit et Christi
docuit celebrare triumphos.

4. Urbs praeclara suo
Catanensis rite Leoni
Plaudat, ut afflictis
habeat munimina rebus.

5. Clara igitur geminis
nunc urbs fulcitur alumnis,
Inde colens Agathes,
illinc sacra festa Leonis.

Ad Magnificat.

A. Hodie beatus Leo
Post labores et pressuras,
Post mundanae vitae curas
Caelesti sedet solio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Praesulis alma patris
celebremus festa Leonis,
Qui magicas penitus
delevit providus artes.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Lactemur omnes in hac die,
Qua beatus praesul Leo
Contemplatur mentis acie
Junctus trino et uni Deo.

2. Post mundanae vitae curas
Caeli potitur gaudio,
Post labores et pressuras
Veri solis calet radio.

3. Consolator miserorum,
Gregis pastor providus
Levat onere laborum
Cunctos mente fervidus.

4. Migrans ex mundo naufrago
Transivit ad caelestia,
Brevi clausus sarcophago
Reliquit mundi tristia.

5. Nunc in aeternum vivit
Consors caelorum civibus,
Quae nec unquam auris audivit,
Bona tenet cum patribus.

Ad Benedictus.

A. Inclite perpetuis
praesul celebrande triumphis,
Nos miseros precibus
commenda rite tonanti,
Ut tandem aethereas
valeamus scandere sedes.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — Die übrigen Teile des Officiums sind prosaisch. — In 1. Vesp. A 4, 2 vite. — A 5, 3 Inde colun (sic). — Siehe die Hymnen Anal. XXII, 160 sq.

83. De s. Marco de Bivino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Caelestis nunc ecclesia
Nova sumat tripudia,
Gaudens de Marco filio
In caeli nato gremio.

2. Qui praeclarus ut lucerna
Regna tenet sempiterna,
Sanctis angelis conjunctus
Gratulatur Deo functus.

3. O confessor Christi Marce,
Gaudens decus jam in arce,
Audi preces clericorum
Tibi, pater, devotorum.

4. Adesto tuis famulis,
Quibus mens exstat humilis,
Ipsis acquire praemia
Pro laudibus sublimia.

5. Concurrunt juncti singuli,
Magni simul et parvuli,

Corde devoto supplices,
Suos flexuri poplites,
Tuas prompti reliquias
Honorare sanctissimas.

Ad Magnificat.

A. Gaude, decus confessorum
Pie pater clericorum,
Cujus merita fulserunt
Mundum decorantia,
Dirige nunc iter morum
Ad fastigia caelorum,
Qui firmati constiterunt
Stabili potentia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Eja, pervigiles
Domino jubilate, fideles,
Laudes pentarcho
devoti solvite Marco.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Ecana civitate
Fuerat Constantius,
Cujus plenus sanctitate
Marcus erat filius.

2. Qui dedicatus studio,
Praemunitus ingenio,
Quidquid aure capiebat,
Corde memor retinebat.

3. Et ut terra fructifera
Centena profert germina,
Sic hic in patientia
Doctrinae captat praemia.

Responsoria.

1. Hic crescebat in timore
Dei semper et amore,
Fama suae bonitatis
Cunctis erat nota satis,
V. Proferens idoneum
De Marco testimonium

2. Orbatus patre Constantio
Et Christi fixus servitio
Egenis manu libera
Sua spargebat munera,
V. Usuram sibi
putans pro munere reddi.

3. Cum puellis habitabat
Carnis mundus macula,
Sanctae menti serviebat
Caro sancta famula
Nec rebellis calcitrabat,
Quam jejunans macerat;
V. Territa flagello
non vult subesse duello.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quem antistes asserebat
Aptum vitae praemio,
Hic indignum se dicebat
Tanto presbyterio.

2. Ornatus sacerdotio
Ab aris abstinuit,
Hujus sancti devotio
Dabat, quo pauper eguit.

3. Excitantur contra sanctum
Duo bilingues clerici,
Diffamantes virum tantum
Epistolis maledici.

Responsoria.

1. Vocatus a pontifice
Accessit confidenter,
Auditu laudis caelicae
Tunc claruit patenter
Non foedatus puellarum
Tactu sibi conjunctarum.
V. Hora matutina
Praesensit cantica divina.

2. Dum cum aemulis pergebat
Ad Johannem praesulem,
Sitis arida tenebat
Pravum Aristotelem,
Damula sitim tollebat,
Lac dum ubere fluebat;
V. Bibit Aristoteles,
Vires redduntur fertiles.

Brev. ms. Trojanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — Das Weitere ist leider weggerissen; die Hymnen Anal. XXII, 179 sq.

84. De sancto Martiano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ex quo venit Syracusas
praesul Martianus.
Cessit loco vitiorum
conventus insanus,
Cessit idolorum cultus,
cessit honor vanus,
Signo crucis propulsatur
spiritus profanus.

Ad Magnificat.

A. Gloriosi Martiani
redeunt sollemnia,
Psallat chorus, sonet hymnus,
concrepet melodia,
Ad triumphum tanti patris
confluat ecclesia,
Laudes promat et erumpat
in festiva gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Deo patri
spiritus concordia,
Qui in terris Martianum
praesulari gratia
Et in caelis consecravit
immortali gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Urbs laetare Syracusa
laudibus uberrima,
Praesulatu Martiani
facta celeberrima.

2. Plaude manu, psalle voce
Hujus in praeconia,
Verbo cujus te adornant
fidei mysteria.

3. Fonte sacro te permundat,
tabes cedit squalida,
Nam squalorem in decorem
stola mutat candida.

Responsoria.

1. Martianus de patre Deum,
de lumine lumen
Testatur Christum,
detestans futile numen,
V. Pellit lux tenebras,
idola vera fides.

2. Martianus fudit
liquidum de pectore flumen,
Scripturas reserans
evangeliique volumen,
V. Pascit caelesti
nectare pastor oves.

3. Praesulis officio
vigil insudat, simulacra
Vana jecit signis,
confirmat dogmata sacra;
V. Hortari ratio,
cogere signa solent.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Jam erumpit lux accensa
Igne sancti spiritus,
Jam elucet flammae globus
Supra montem positus.

2. Claret cunctis vir caelestis
Soli Deo deditus,
Non lucere nescit dies
nulla nube obsitus.

3. Eroganda quae suscepit,
verbi Dei semina
Late spargit, sparsa rigant
paradisi flumina.

Responsoria.

1. Stabat imago nitens
cultu celeberrima plebi,
Urbis relligio
praesignis, nomine Phoebi,
V. Corruit in praeceps
praesulis illa prece.

2. Monstra, dira lues,
signum letale liquescit,
Hostili casu
victoris gloria crescit,
V. Virtutis carpit
praemia livor edax.

3. Pontifices clamant,
plebs debacchatur inanis,
Ira crudescit
furiis agitata profanis,
V. Immeritum damnat
noxia turba caput.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad usuram dum commissa
traditur pecunia,
Duplicata reportantur
talenti commercia.

2. Miles Christi quibus certat,
arma sunt siderea,
Scutum fides, mucro verbum,
salus est pro galea.

3. Pugnam agit, palmam sperat,
numerat stipendia,
Post laborem quae meretur
fidei victoria.

Responsoria.

1. Stat praesul virtute potens,
sermone modestus,
Excipit incursus
et plebis sustinet aestus,
V. Nescit in adversis
cedere vera fides.

2. Additis poenis
in portum praecipitatur,
Desuper immittunt
ignem, sed retrogradatur,
V. Victorisque vices,
qui redit, ignis agit.

3. Permanet invictus
populum vincendo malignum,
Pro gladio gestans
crucifixi nobile signum,
V. Gestit praeco crucis
pro cruce ferre crucem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum aeternae viam vitae
docet vir eximius,
Credunt viri consulares
Leucus et Gordius.

2. Signo crucis curat aegros,
effugat daemonia,
Et imago salvatoris
salutis dat remedia.

3. Friget error, fervet fides,
silet idolatria,
In Dianae formam structa
corruit Artemia.

4. Benedicant patrem rerum
caelum, terrae, maria,
In quo vicit Martianus
aquas et incendia.

5. Laus jucunda salvatori
resonet per saecula,
Per quem florent Martiani
praesulis miracula.

Ad Benedictus.

A. Admiranda Martiani
praefulgens magnalia.
Cujus lingua ros caelestis.
fons conditus gratia,
Cujus pectus vas virtutis,
plenum sapientia;
Tanto patri commendetur
praesens haec familia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praesul ave Martiane,
praesulare speculum,
Ave, pater, forma morum,
virtutis signaculum,
Confer opem, spem largire,
pietatis oculum
In nos verte, nos conserva,
hunc tuere populum.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Ventiis 1527. — In 1. Noct. R 3, 2 pervigil. — In 3. Noct. R 2, 4 retrograditur. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 7 converte.

85. In Translatione s. Matthaei.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Matthaeus voce Domini
Lucrum spernens thelonei,
Indis verbo et opere,
Salerni fulsit corpore.
2. Indis ablatus caelitus,
Lucanis degens finibus,
Quandam monebat vetulam,
Quam gravis sopor presserat:
3. Hortare, mater, filium,
Totis accingi nisibus,
Fragmenta nostri corporis
Tectis requirat loculis.
4. Mercibus ante reus
Christo clamante Matthaeus,
His recubo terris,
spinis contectus et herbis.
5. Verba tunc matris
monachus benigne
Captat et ferrum
manibus retentans
Ad locum pergit
sibi destinatum,
Vellere sentes.

Ad Magnificat.

A. Displicitis Indis,
contemptis inde Britannis,
Nunc rutilat nobis
illorum ductus ab oris.

Ad Processionem.

Antiphona.

Noster in aeternum,
Matthaee, tuere Salernum,
Ac stabuli famulos
protege sede tuos;
Te dederas nobis
variis translatus ab oris,
Semper ut hic habites,
nos tibi fac habiles.

Ad Vigilias.

Antiphonae.

1. Comperto sacro
fragmine corporis
Cunctanti matri
nuntiat impiger,
Tollat nunc, mater,
pectore quod pio
Mandaras nato
quaerere concite.
2. Fama benigne redolens
Salerni complet moenia,
Cives ocius advolant,
Sanctas vehunt reliquias.
3. Vino redundans vasculum
Prius ostensum aridum
Evangelistae merito
Haustum cunctis exhibuit.

Responsoria.

1. Alma dies mundum
bis senis purpurat horis,
Per quas eicitur
noctis caligo profunda,
V. Alma dies Deus est,
fulget Matthaeus in horis.

2. Te geminatus apex
praebet, Matthaee, colendum,
Nobis invicti
per quem patet actio Christi;
V. Egregius tutor,
tua festa colentibus adsis.

Brev. ms. Salernitanum saec. 15. Cod. Capit. Salern. s. n. A. — Brev. Salernitanum imp. Neapoli 1542. B. — Propr. Salernitanum. imp. Neapoli 1594. C. — Vor der Ant. ad processionem: „Oratione finita descendat archiepiscopus cum episcopis et abbatibus et clericis processionaliter in cryptam beati Matthaei cantando hanc Antiphonam.“ A. — Vor der Vigil: „In sero autem cantandae sunt Vigiliae in quibus non est dicendum Invitatorium, sed primo pronuntianda est Antiphona.“ — Zur Matutin wiederholt sich die erste Ant. und beide Resp.; das übrige ist prosaisch. — Verfasser dieses Officiums dürfte wohl Alphanus von Salerno sein, in dessen Zeit die Translation fällt und dessen Schreibart das Officium verrät.

86. De ss. Maximo, Juliano, Felicitate et Innocentio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Alme pater confessorum,
In caterva fultus morum,
Praesul digne Patavorum,
Advocatus tu es quorum,
O beate Maxime.

2. Incliti sunt bellatores
Sancti Dei innocentes,
Stolas suas abluentes
In sanguine sunt sequentes,
Agnum sine macula.

3. Egregie ensis lator,
Christi miles, propagator
Veritatis, conservator
Nostrae pugnae, tu pugnator
Pro nobis, Juliane.

4. Clara velut Felicitas
Solis jubar et claritas,
Beata cujus bonitas,
Nos fovet sua sanctitas,
Pro clero et interpellet.

R. O pia clementia
nostri redemptoris,
Sic nos beatificas
munere decoris,
V. O celsa benignitas,
caritas amoris.

Ad Magnificat.

A. Clara dies laetitiae,
Qua digna fit inventio
Omnium sanctorum,
Eorum prece sedula
Nos duc ad caeli gaudia,
Jesu, laus angelorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regnorum
Deo jubilemus,
Qui sanctorum suorum
nos laetificat
inventione sollemni.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi cum mulieribus
non sunt coinquinati,
Caelo gaudent angelis
Dei sociati.

2. Sociatus sanctis Dei
Maximus beatus
Vita fruitur aeterna
Caelis collocatus.

3. Collocatur Julianus
atrio sanctorum,
Spreto mundo digne vivit
vita beatorum.

4. Beatorum coetu gaudet
beata Felicitas,
Cujus placuit aeterno
sponso digna caritas.

5. Caritate decorati
Deo plaudunt coronati
Corona munditiae.

6. Corona justitiae,
venustate morum
Adstat regi gloriae
coetus hic sanctorum.

Responsoria.

1. Dulcis memoria
Digne recolitur,
Dum innocentia
Nobis proponitur
A patre luminum.
V. Claret praeconium;
Dum innocentium
Adest inventio.

2. Forma justitiae,
Dilecte Domini,
Pastor egregie
Gregis dominici,
Spem dona veniae
V. Nobis supplicibus,
Te venerantibus,
Beate Maxime.

3. Veri solis justitiae
Splendor illuxit hodie,
Coruscans luce gratiae
Julianus,
V. Fulget in caelis gloriae,
Splendet in terrae limite
Vita clarus.

4. Gemma pudicitiae,
Gleba cujus hodie
Mundo revelatur,
Prece tua protege.
V. Beata Felicitas,
Quos delicti gravitas
Gravat nec levatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exsultent hodie
fideles populi,
Nam fit inventio
sanctorum Domini.

2. Sanctorum Domini
refulget gloria,
Quorum applausibus
plaudit ecclesia.

3. Plaudit ecclesia
digno praeconio,
Dum claret hodie
felix inventio.

4. Felix inventio
digne recolitur,
Dum sanctis Domini
laus vera canitur.

5. Laus vera canitur
in terra hodie,
Quibus et praemium
donatur gloriae.

6. Donatur gloriae
caelestis praemium,
His sanctis hodie
pacis in gaudium.

Responsoria.

1. Digna laudatio
fit innocentium,
Quorum laus inclita
laus fuit mentium,
V. Tolle, Jesu, cor morientium
Pro te, rex gentium.

2. Praesul hic est Maximus
laude celsa dignus,
Pater hujus patriae,
mitis et benignus,
V. Nos per hunc suscipiat
celsi caeli sinus.

3. Sume preces, Juliane,
Civitatis Paduanae
Digne fusas hodie,
V. Gloriose mundi victor,
Preces nostras suscipe.

4. Tu decus es munditiae,
Gloriosa Felicitas,
Per te nostra parvitas
Sit accepta Deo,
V. In aeternum gloriaris,
Sponsa Christi singularis,
In excelso caelo.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. In terra Domini
tenent duplicia
Victis suppliciis
sumpta laetitia.

Responsoria.

1. O sacrum depositum
trium innocentum,
Quorum ad victoriam
fides est parentum,
Horum ferens spiritus
supra firmamentum,
V. Cohaeredes Jesu Christi
fiunt in exemplum.

2. O beata Felicitas,
Cujus sic generositas
Placet regi caelorum,
Decus insigne morum,
V. Cara placensque caritas
Sodalis angelorum.

3. Ave, sidus aureum,
Juliane sancte,
Jubar solis fulgidum,
te patrocinante
Nostra sit societas
cum summo regnante,
V. Mundi spreto tramite
Domino donante.

4. Felix mater ecclesia,
Quam Maximi clementia
Maxime decorat,
Cujus grata devotio,
Caelos scandens oratio
Pro nobis exorat,
V. O praecelsum depositum,
Quod supplex haec ecclesia
Tripudians honorat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus innumeris
veneratur ecclesia
Diem Sanctorum Domini
devota cum laetitia.

2. Luce splendifica
splendent in aethere
Quondam inglorii
divino munere.

3. Sicut aurum approbati
Spretis mundi dapibus
Caelis gaudent collocati
Juncti caeli civibus.

4. Preces effundite,
dilecti Domino,
Pro cuncto supplici
nostro collegio.

5. Beati sancti Domini,
Qui spreto mundi gaudio
Divino plaudunt nomini.

Ad Benedictus.

A. O mira benignitas
Domini caelorum,
Qui nos sic laetificat
gaudiis sanctorum
Et illos glorificat
vita beatorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O caelum continens
rex potentissime.
Qui terram ponderas,
sanctorum agmine
Tu nobis conferas
te frui munere,
Quod sanctis tribuis
benignus hodie.

Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 441. A. — Propr. ms. S. Justinae saec. 15/16. Cod. Univ. Patav. 702. B. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 704. C. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. D. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 Meritis conservator B. — **A** 4, 4 tua sanctitas A. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Hi sunt qui cum B. — **R** 4, 3 Jam in mundo B. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 7 sanctis contulis B. — Hiezu der Hymnus Aurea luce rutilat (Anal. XXII, 290 sq.).

87. De sancto Octaviano.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quam magna procul
sequitur te pax fugientem,
Octaviane pater.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Octavianum hodie
Dominum qui ducit in astra,
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Senos una ratis
sanctos ad litora vexit.
2. Ex Afris totidem
fulserunt sidera nobis.
3. Cunctantur metuuntque viri
surgente procella.

Responsoria.

1. Venisti patriae
longe de finibus exsul
Naufragus ac pauper
litora nostra petens;
V. Nihil timet qui reicit
Se in eum, qui salvum facit
A tempestate spiritum.
2. O populum felicem
te primum excipientem,
Incolumis nam te
praesule semper erit.
V. Non arma, non equi dabunt
Securitatem gentibus,
Sed recta credentis fides
Piaeque justorum preces.
3. Non tua Diogenis
paupertas ambitiosa,
Octaviane, Deo
vivis, at ille sibi.
V. Quam stultus est contentus is,
Qui laude mundi penditur,
Ait Joannes gentibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te tandem incolumem
nobis tulit alta potestas.
2. Octaviane, procul
reliquis deserta petisti.
3. Laetus in angusto
Domino comitante latebas.

Responsoria.

1. Avia quod peteres
mundi desertor iniqui,
Jugens te Christi
sollicitavit amor;

V. Quam dulce, conscientiae
Nullis premi jam morsibus,
Felix ubique gentium
Is esse vel miser potest.

2. En, tibi seposito
potiora charismata magnis
Croesi divitiis
caelitus obveniunt;

V. Perfecta cordis gaudia
Non census ullus aut honos
Nec ulla vis humana dat,
Sed sola Christi caritas.

3. Te, pater, in nemore horrenti
spes alta beatum,
Denique jam similem
fecerat usque Deo;

V. Spes una, quae fidelium
Mentes Deum timentium
Facit beatos illico,
Nihil timentes amplius.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nobilis hic cunctos
superas athleta labores;
2. Et famis et somni
ratio te nulla subivit.
3. Sub dio durantem
haud frigus terruit ingens.

Responsoria.

1. Gaude igitur summo
nimium dilecte parenti,
Qui te humilem caeli
sidera ad alta tulit;

V. O quis Deo par alter est,
Qui pauperes humo erigens
In sede celsa collocat
Fastigiumque despicit.

2. Da tua sectari
nobis vestigia sancta,
Qui tua nunc colimus
sacra, verende pater;

V. Hymnis solemus annuis
Laudare sanctos debitis,
Ut nos ab omni liberent
Metu futuri saeculi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Octaviane, decus
nostrum, pater optime, salve.
2. Quondam Gilimeris
fugis impia facta tyranni.
3. Prae magnis opibus
tristis tibi silva refulsit.
4. Ulmi contentus
tantum recubare sub umbra.
5. Christi nunc mensis
felix conviva recumbis.

Ad Benedictus.

A. Pater benigne, poscimus,
Tuis bonus felixque sis.

Officia Propria imp. s. l. 1519. — In 1. Noct. R 3, 5 Lies vielleicht: et contemtus.

88. In Nativitate s. Patriciae.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virgo parens Patricia,
Parentum clara gloria
Contrivit supercilium
Aetate vitans scelera
Carnis juventae tenera
Primo dierum omnium.
2. Innuba sponsi saeculi
Jura fugit cubiculi
Exspectans a te praemium,

Quam tibi praeparaveras,
. . . . . .
Scrutator alme cordium.

3. Spernens parentes, patriam,
Caelestem petens gloriam
Claustra conservat corporis
Intacta sponso judici,
Ut mereatur effici
Domus pudici pectoris.

4. Eja, parens Patricia,
Te precamur prece pia,
Prosternata superbia
Hostis antiqui zabuli
Post pugnam nequam saeculi
Da gaudiorum praemia.

R. Ope subvenit celeri
Supplicanti juvenculae
Medelam ferens vulneri,
Suae dicentis famulae,
Visu docens per somnium,
Quod delibescat oleo
Per vices sibi brachium,
Quod vase pendet vitreo,
V. Quod luminis officio
Dat tumbae ministerium
Cunctisque beneficio
Cedit ad morbi taedium.

Ad Magnificat.

O Virgo prudentissima,
Consurgens ad rus gloriae
De valle mundi pessima
Per desertum miseriae,
Sortem sortita virginum
Scandens tribunal dexterae,
Ut potiamur requie
Vergente mundi vespere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem sponsum virginum,
Qui sursum agnus mittitur.
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O dux, auriga pauperum,
Hospes nostrorum munerum,
Laudes tibi canentibus,
Quae tibi surgunt psallere,
Noctis quieto tempore,
Da dexteram surgentibus.

2. In prophetiae spiritu
Locellus signans ambitu
Virgo repleta gratia
Praeelegit sibi tumulum,
Demonstrat hoc miraculum
Novum genus potentiae.

3. Per anfractus Babilonis
Ne fraudemur caeli donis,
Ne Satan et nos atterat,
Hostis humani generis,
Totius auctor sceleris,
Haec lux serenum conferat.

4. O flos misericordiae,
O plena vena veniae,
Irriga nostrum aridum
Cor rore tuae gloriae,
Ut verax igne gratiae,
Jecurque sana morbidum.

5. In paupertatis spiritu
Sub monialis habitu
Cum lacrimis et fletibus
Parat puram sponso mentem,
Castos actus prosequentem,
Firmans locum caelestibus.

6. Clemens nostra salva mentes,
[Nostri cordis] purga sentes
Nobis parcendo, Domine,
Exorante Patricia
Supplicamus parce pia
Te nunc, Deus piissime.

Responsoria.

1. In agro mundi floruit
De spinis rosa primula,
Novellum sidus claruit
Nostrae doctrinae regula,
Quae claritate generis
Claras sprevit divitias,
Pro spe beati muneris
Carnis trivit delicias;
V. Pro terrenis caelestia
Mundi declinans lurida
Vult Patricia gaudia,
Mercatrix facta provida.

2. Sponsum horrens patricium
Conservat pudicitiam,
Carnis vitat connubium
Abhorrens immunditiam,
Sponso sponsata virginum,
Ut mereatur adici
Choro sanctorum agminum
Haec prece rogat supplici;
V. Ut ad salutis terminum
Ducatur, rogat famula
Regem sanctorum Dominum,
Absque peccati macula.

3. In Parthenope tumulum
Sibi prophetat advena,
Verbo monstrans miraculum,
Quo quiescit indigena,
Nam edocente spiritu
Quod virgo prophetaverat,
Vitae sortitur exitu
In loco, quem signaverat,
V. Signo signans sepulturam
Parietis in angulo,
In qua dixit se futuram,
Locum designans modulo.

4. De sicco cujus corpore
Vir Romanus intrepidus
Dentem traxit cum robore,
Manavit sanguis limpidus,
Quod vidit ut vir nobilis,
Cadit ad terram propere
Ut lapis insensibilis
Suo punitus scelere;
V. Integritati pristinae
Vir semivivus redditur,
Pro contrectata virgine
Dolores mortis patitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dormitantes in hoc mundo
Vitiorum in profundo,
In hujus salis gurgite
Ne quassemur a ruina
Vitiorum in sentina,
Tu, Christe, somnum discute.

2. Ex illustri prosapia,
Quam decoravit gratia,
Ornavit hanc monilibus
Non solum sponsam Dominus,
Ut manifestum vidimus,
Sed signis et virtutibus.

3. Ne tepescat laus in ore,
Ne fraudetur spes honore,
Nos tuo lactes ubere,
Nam laetaris et ditaris
. . . . . .
Tu septiformis munere.

4. Placa sponsum sponsa parens,
Nostrae noctis stella clarens,
Ne nobis detur terminus
Damnatorum suppliciis,
Ipsum namque spurcitiis
Nostris malis offendimus.

5. Decertantes in agone
Ne perdamus jus coronae,
Victricem diem colimus,
Hostis quo victo robore
Sancto vestitur podere,
Mentes manusque tollimus.

6. Melos canat in hac die
Nostrae chorus Patriciae
Voce promendo sapida,

Ad quod mundo toto corde
Sine labe, sine sorde
Ut mens resurgat torpida.

Responsoria.

1. Eja, gemma, jubar clarum,
In hujus mundi devio
Sis nostrarum dux viarum
Et in maris naufragio
Portus salutis naufragis,
Ne prosternat nos procella
Summis alterna pelagis,
Placa mare, maris stella;
V. Naufragantes in hoc mundo
Te deprecamur, hagia,
Nos educas de profundo,
O virgo plena gratia.

2. Ad cujus patrocinia
Pulsatae piis precibus
Nequam cedunt daemonia,
Vexatis a spiritibus
Immundis reddens gaudia
Et afflictis parentibus,
De natis dans solatia
Suppliciter orantibus.
V. Haec ad parentum gemitum
Salutis opem contulit,
Exire namque spiritum
Ipsorum natis compulit.

3. Non exsolventes debitum
Maternum . . . . . .
. . . . . .
Quos mater maledixerat,
Quos ductos poenitentia
Sanat virgo miraculo
Solum sola clementia
Morbo curato tumulo.
V. Qui repetentes propria
Claro depromunt carmine
. . . . . .
De Patricia virgine.

4. Dum psallit chorus canticum,
Clarum effudit oleum,
Quod, est dictu mirificum,
Durum saxum marmoreum
Eduxit instar rivuli,
Cum clarus liquor funditur
Secus structuram tumuli,
Cum sacer hymnus canitur;
V. Chorus sanctarum virginum
Melos decantat dulciter,
Collaudans Christum Dominum
In Patricia jugiter.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

1. Sidus clarens Patricia,
Nos illustres in hac via
Et da quieta tempora
Terraque plena crimine
Orbata sancto lumine
Illumina nunc pectora.

2. Ergo laudes jam promamus
Et promentes nos dicamus
Laudum Christi magnalia:
De Patricia virgine
Cordis et oris carmine
Sit trinitati gloria.

3. Tu certantes ut athleta
Caeli ducas dux ad laeta
Nos ducendo securius,
Ne perdamur in profundo
Vitiorum in hoc mundo,
Hostem repellas longius.

Responsoria.

1. Muto surdo juvenculo
Virgo pia comparuit
Medelam ferens sedulo,
Supplicanti quam praebuit
Claris fulgens monilibus,
Ut in pictura viderat,
Sic redimita vestibus,
Ad quam preces effuderat;
V. Et quam sponsi servat zelus,
De caelorum virtutibus
Hanc comitatur angelus
Coronam ferens manibus.

2. Linguae resolvit vinculum
Auditus dans officium,
Virgo tollens ossiculum
Puero dans remedium
In aure, manu, digitis
Cruore fracto foetido
Velo palato conditis
Dat sanitatem concito.

V. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

3. Hanc tauri reddunt tumulo
Sine ductoris regula,
Et confluente populo
Ad stupenda miracula
Laetitiae mirifica
Promunt canentes famuli
Laudum psallentes cantica
Pro virtute miraculi.

V. Sit tibi, Christe, gloria,
O Jesu, dulcis Domine,
Cujus claret Patricia
. . . . . .

4. Jam de vita desperatos
Virgo traxit de carcere
Et a vinclis mancipatos
. . . . . misere,
Quorum percusso latere
Relegata miseria
Suo ducatu prospere
Ipsos ducens ad propria.

V. Horrendi claustra carceris
Virgo clemens aperuit
Opem ferendo miseris,
Quibus se ducem statuit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Lux illuxit hodie,
Quae reduxit gloriae
Tuum, parens, praeconium,
De quo laudem subicimus,
De quo hymnos praecinimus,
Tu esto nostrum gaudium.

2. O decus sponse virginum,
Nostrorum rumpas criminum
Vincula desque perfrui
Nostrae patronae gaudiis,
Caelestibus deliciis,
Da supplicanti coetui.

3. Caelos ascendit hodie
Se regi jungens gloriae,
Quo felix haec de corpore
Vultu nitentis sideris
Summa quaesivit aetheris
Anni recurso tempore.

4. En, accedit lux jocosa,
Nox ascendit tenebrosa,
Feramus laudes numini
Et ad instar nostrae ducis
Induamur arma lucis,
Cedant tenebrae lumini.

5. Et psallamus nisu toto
Ore, corde, voce, voto
Jam properante lumine,
Qui vincis in martyribus
Parcendo confessoribus,
Gloria tibi, Domine.

Ad Benedictus.

A. O virgo viri nescia,
Virga virens virtutibus,
Quam decoravit gratia
Nobilibus parentibus,
In caelesti rosario
Tu rosa rubens primula,
Juncta sanctorum gaudio,
Electa Christi famula,
Nos obsequentes protege
Ab omni carnis scelere,

Ne plebs gravata crimine
Vitae sit exsul munere.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat

A. O sidus indeficiens,
O stella clara radiis,
De prudentibus sapiens,
Virgo dives stipendiis
Caelestibus, irradia
Nos tuo claro sidere,
Post mundi hujus devia
Largire clarum vespere.

Offic. ms. S. Patriciae saec. 15. ex. Cod. Neapolitan. VI F 10. — In 1. Vesp. **A** 1, 4 Carnis vitans. — **A** 1, 5 Aetate juventutis.. — **A** 2, 3 Exspectans ante. — **A** 3, 1 parentes Patriciam. — **A** 3, 5 mereamur. — **A** 3, 6 pudici fehlt. — **R**, 4 Jam dicentis. — Ibid. 6 lies delibuat? — Ibid. 8 vitreo pendet. — Ad Magn. **A**, 1 O fehlt. — Ibid. 2 ad hos gloriae. — Nach dieser Antiphon ad Magn. folgt in der Hs. das Invit.: Agnum sponsum virginum, venite, adoremus. Dann:

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te vocantes nos accende,
Nos certantes tu defende,
Nostrorum custos agminum,
Ut mereamur gaudia,
Qui pascis inter lilia
Septus choreis virginum.
2. Jesu dulcis, Jesu bone,
Ne perdamus jus coronae,
Dona nobis, quod poscimus,
Nam te rogat Patricia,
Quod potiamur gloria,
Hinc te precantes quaesumus.
3. Alma parens, nos emenda,
Emendatos tu commenda
Nos Christo tuis precibus
Ne damnemur cum impiis
In aeternis suppliciis,
Laxa malum, quod fecimus.

Responsoria.

1. Virgo pia
et flos placabilis,
Patricia,
mitis, affabilis,
Esto memor nostri,
dulcis, amabilis.
V. Ne damnemur
Inferni morte,
Sed laetemur
In caeli sorte.

2. Multitudo languentium
In Christo confitentium
Veniebat ad tumulum
Beatae Patriciae,
V. Audiendo miraculum,
Contra virtutes daemonum
Quod fiebat.

Hiebei sind folgende Irrtümer der Hs. verbessert worden: **A** 2, 3 quod possumus. — **A** 3, 4 damnemur ejus piis. — **R** 1, 4 und 5 sind umgestellt: dabei ist ein Überschufs von zwei Silben vorhanden; vielleicht könnte dulcis getilgt werden. — **R** 1, 8 Infirma morte. — Hierauf, beziehungsweise nach der dritten Lectio bricht alles ab und fährt die Hs. weiter mit dem Invit.: Regem sponsum virginum etc. wie oben im Texte des monastischen Officiums. Dafs es sich trotz dieser unerklärlichen Unterbrechung um ein u. z. um ein monastisches Officium handelt, beweist der Umstand, dafs sämtliche Antiphonen des Ganzen in bekannte Hymnenverse auslaufen, sowie der andere, dafs die 1. Vesper mit nur vier Antiphonen monastisch ist. Dagegen ist die vorstehende Nocturn mit nur drei Psalmen und drei Lektionen nicht monastisch. — In 1. Noct. **A** 3, 2 fraudentur. — **A** 4, 5 Lies ferax? — **A** 4, 6 fehlen zwei Silben; sana ergänzt. — A 6, 2 fehlen vier Silben; nostri cordis ergänzt. — **R** 1, 6 Clares sprevit delicias. — **R** 1, 10 declinant. — **R** 3, 6 docentem. — **R** 3, 7 fehlen zwei Silben; virgo ergänzt. — **R** 3, 9 signas. — In 2. Noct. **A** 2, 1 illustris. — **A** 5, 5 pondere. — **A** 6, 3 promendos lapida. — **A** 6, 4 quid. — **A** 6, 6 Ut fehlt. — **R** 1, 2 sq. deviosis. — **R** 1, 3 fehlt eine Silbe; dux ergänzt. — **R** 1, 4 mari naufragium. —

R 1, 5 Portum. — **R** 1, 8 fehlen zwei Silben; mare ergänzt. — R 3, 10 deprimunt; carmine ergänzt. — **R** 4, 2 fudit. — In 3. Noct. Die drei **AA** ad Cantica jedenfalls ad libitum. — **A** 1, 1 clarens bonitatis Patricia. — **A** 2, 1 fehlt eine Silbe, jam ergänzt. — **A** 2, 2 permentes. — **A** 2, 5 Corde; fehlen drei Silben, et oris ergänzt. — **R** 1, 8 quam fehlt. — R 2, 3 ostiunculum. — **R** 3, 1 redunt. — **R** 3, 11 in Patricia. — **R** 4, 3 vinculis. — In Laud. **A** 1, 5 fehlen zwei Silben; de quo ergänzt. — **A** 2, 2 Nostrorum vincula criminum. — **A** 2, 3 Rumpas desque. — **A** 4, 2 Nos ascendit. — **A** 5, 1 psallemus visu. — **A** 5, 3 Jam purpuram et lumine. — Die Hymnen cfr. Anal. XXII, 213 ff.

89. De sancta Paula.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Per Paulae, Christe, merita
Da fidem, doce placita
Nos agere ferventer,
Sacro nos reple flamine,
Quo Paula cum conamine
Te tenuit ardenter,
Ob Paulam mundi tenebras
Peccatorumque latebras
Vitemus confidenter.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Paulae gaudentes gloriae
Spernamus mundi fraudes,
Pro Paula demus hodie
Caelorum regi laudes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirabilis haec femina
Magnorum stirpe nata,
Mira virtutum semina
Dat saeclis Christo data.

2. Praeclaro Romae filias
Fert Paula juncta viro,
Res, domum et familias
Modo gubernans miro.

3. Innocens Paula manibus
Cibat, vestit egenos,
Infirmos fovet sinibus,
Actus spernit obscenos.

Responsoria.

1. Flagrans in Paula caritas
Fervorem dat immensum,
Defuncto viro vanitas
Nequaquam mutat sensum,
Sed caelibem mox deitas
Hanc facit per assensum.
V. Mundo, carne, diabolo
Calcatis fert Jeronymo
Suum Paula consensum.

2. Jeronymi per monita
Romam relinquens concita
Spernensque prolem, dedita
Plus ad opus dominicum,
Sola cum Eustochio
Fervoris prae incendio
Paula pergit navigio
Vicum Bethlehemiticum.
V. Non amor, transitoria
Delectant, sed pro gloria
Cupit iter salvificum.

3. Per loca sacra gradiens
Dat imbrem lacrimarum,
Miranda Dei sitiens
Mundum putat amarum,
Huic lumen indeficiens
Verum demonstrat clarum;
V. Jesum Paula praesepio
Cum partu puerperio
Videns constringit carum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ornata Dei gratia
Proles tunc parit Deo,
Quibus struit coenobia
Luxu calcato reo.

2. Edoctae per Jeronymum
Deo vivendi normam.
Mater et Eustochium
Sororibus dant formam.

3. Commune volens proprium
Plus Paula vitat morte
Sororum vult coenobium
Maris carere sorte.

Responsoria.

1. Corpus domando tenue
Reddit spirituale,
Vitam regendo strenue
Nil agit criminale,
Per hanc, Jesu, nos annue
Despicere mortale;
V. Nos Paulae magna merita
Gubernent atque placita
Donent post temporale.

2. Carnes, pisces, legumina,
Mel, vinum, cuncta sapida
Devitat velut crimina
Paula, virtutum speculum,
Psalmos legens et codices,
Preces fundens multiplices,
Sic suas docet complices
Bellare carne saeculum;
V. Collectis monialibus
Demonstrat et sodalibus
Hostis vitare spiculum.

3. Adversa patientiae
Munita vicit scuto
Mundique complacentiae
Laeta contemnit luto,
Se solum vult laetitiae
Loco locare tuto,
V. Transcendens sanctimoniam
Prosternit mundi gloriam
Stans vanis ore muto.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Paula nitens virginibus
Dat normam castitatis,
Orbem replet luminibus
Jam stella sanctitatis.

2. Vias cunctorum deviis
Paulae reprendit vita,
Vias demonstrant inviis
Paulae miranda dicta.

3. Ad sanctitatem allicit
Sceleribus deformes,
Paula sequentes efficit
In gloria conformes.

Responsoria.

1. Paula post iter nemoris
Castrum invenit gaudens,
Post febres hujus temporis
Salutem tenet plaudens,
En, habet portum aequoris
Diem extremum claudens;
V. Evasit nunc pericula
Dierumque curricula
Polorum regna scandens.

2. Felix, quam sinus caelicus,
Ordo canens angelicus,
Vultus quoque deificus
Beatam praebent nimium;
Felix, quae pro victoria
Contemnens transitoria
Potitur plena gloria,
Nec terror inest virium.
V. Obtento nunc denario
Stat Paula viridario
Contemplans more civium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Clare chordis et animo
Noster exsultans chorus
Ad laudes regi Domino
Pro Paula sit sonorus.

2. Dat Paula caelo rutilans
Deificos timores,
Qua mundus Deo jubilans
Feratur in amores.

3. Cor nostrum semper sitiat,
Quo Paula saturatur,
Mens ire non deficiat,
Quod certum amplexatur.

4. En, Paula, tibi vocibus
Hymnos cantamus laetos,
Ad te tu tandem dotibus
Nos extrahas perfectos.

5. Fontes, humus et aethera
Deum laudent et ignis,
Pro cujus Paula dextera
Laudanda claret signis.

Ad Benedictus.

A. Ave, Paula,
norma justitiae,
Vitae decus,
sidus prudentiae;
Salve, Paula,
lux poenitentiae,
Serva tuos
munere gratiae
Et post dono
supernae patriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Tibi laus, Deus, sollennis,
Nobis quoque lux perennis
Sit per Paulam in amoenis
Angelorum coetibus;
Quibus Paula vita nitet,
Pia prece malis vitet,
Amplis donis nos jam ditet
In supernis sedibus.

Brev. ms. Tarvisiense saec. 15. Cod. Capit. Tarvisien. I 16. A. — Offic. ms. saec. 16. Cod. Marcian. L III 136. B. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Dat sedis B. — **R** 2, 1 In Jeronymi B. — **R** 2, 11 Lies Capit? — **R** 3, 2 imber B. — In 2. Noct. **R** 1, 8 Gubernet B. — **R** 1, 9 Donet B. — **R** 3, 4 Lecta contemnit lucto B. — In 3. Noct. **A** 2, 3 invias B. — **A** 3, 1 Ad sanctitatis elicit B. — **R** 1, 6 extremis elaudens B. — In Laud. **A** 2, 3 jubilat B. — **A** 4, 3 doctibus B. — Die Hymnen vgl. Anal. XXII, 217.

90. De s. Petro Coelestino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Innovetur mens divini
Cultus ad encenia
Voce pangens Coelestini
Votiva solemnia.

2. Specialis Mantuanae
Polis instat gloria,
Ornat urbis quam Romanae
Praesulis memoria.

3. Cardinalis et levitae
Praeminens officio
Fulsit verbi, fulsit vitae
Celebris indicio.

4. Praesul summus visione
Caelesti ter monitus
Fidei legatione
Hunc insignit caelitus.

5. Fide fervens Christiana
Mittitur Aemiliam,
Quo faex cedat Arriana
Corrumpens Italiam.

Ad Magnificat.

A. Ave, decus
et gemma praesulum,
Coelestine,
virtutis speculum,
Tu caeleste
jam tabernaculum

Introgressus
solve piaculum
Tui gregis,
qui tibi tinnulum
Solvit, ecce,
melodis titulum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Deum trinum
Cordis, oris latria,
Praesulem qui Coelestinum
Coronat in patria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vacans legi divinorum
Coelestinus jugiter
Sprevit iter impiorum
Et doctrinam pariter.

2. Apprehendens disciplinam
Sacris datam literis
Montem Sion ad doctrinam
Lingua vocat operis.

3. Christum probans susceptorem
Et caput ecclesiae
Arrianae mox errorem
Confutat nequitiae.

Responsoria.

1. Vernans cultu pietatis
Exsultet Aemilia
Doctoremque veritatis
Laudet in ecclesia,
Coelestinum, pravitatis
Exstirpantem lolia;
V. In fervore caritatis
Praedicans utilia
Christianae suavitatis
Jugo vinxit milia.

2. Involuta vitiorum
Sorde dudum Flavia
Flagellaque meritorum
Causa ferens gravia
Seminanti seminorum
Supplex venit obvia,
V. Objurgata populorum
Severis ignavia
Coelestinus promissorum
Verba miscet suavia.

3. Coelestinus dum hortatur
Plebi salutaria,
Gens compuncta se testatur
Labe ream varia,
Prece fusa propulsatur
Pestis inguinaria;
V. Sic, sic poena compensatur
Culpae necessaria,
Dum peccator flagellatur
Clade multifaria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coelestinum invocantem
Exaudivit Dominus,
Dum in plebe debacchantem
Iram tulit eminus.

2. Scuto bonae voluntatis
Animando populum
Christianae pietatis
Fore suasit aemulum.

3. Laudet nomen plebs divinum
Celebri memoria,
Honore qui Coelestinum
Coronat et gloria.

Responsoria.

1. Insistenti disciplinae
Plebis vox ab aethere
Sonat dicens: Coelestine,
Commissum fac propere,
Ut grex alter a ruinae
Vocetur itinere.
V. Valedicens a doctrinae
Non cessabat opere
Plebsque ploraus hunc divinae
Commendabat dexterae.

2. Proficiscens constipatur
Agmine plangentium,
Dumque tristes consolatur,
Pervenit ad fluvium,
Quod nunc Senum nuncupatur
Propter senis lotium;
V. Ibi senex praesentatur
Curvus per decennium,
Unda mersus qui curatur
In conspectu omnium.
3. Augens lucra commissorum
Sator evangelii
Coelestinus se convertit
Ad Forum Cornelii,
Tabe sordens odiorum
Atque caede proelii,
V. Unitatem suadens morum
Pacis et solatii
Clausit vias peccatorum
Causasque dissidii.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Spe tendentes ad aeterna
Serva sine macula,
Coelestine, qui superna
Colis tabernacula.
2. Voluntate labiorum
Fretus verbo gratiae,
Finem desideriorum
Cernis regem gloriae.
3. Caritate conclavari
Fac nos Jesu nomini
Tu, qui gaudes collocari
Monte sancto Domini.

Responsoria.

1. Dum caelestis foeneratur
Plebi dogma seminis,
Trucidatus apportatur
A collega socius,
Cum quo tentus praesentatur
Auctor tanti criminis;
V. Facti causa ventilatur
Lege sub examinis,
Furor plebis excitatur
Ad vindictam sanguinis.

2. Coelestinus concionem
Advocans alloquitur:
Quid lucri per talionem
Defunctus assequitur?
Num per rei passionem
Vivus restituitur?
V. Juxta Christi rationem
Dimittens dimittitur,
Et, qui quaerit ultionem,
Reus constituitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Perlustrans Mediolanum
Doctrinis caelestibus
Pandit iter vitae planum
Propulsis haeresibus.

2. Eutychetis, Arriani,
Manichaei varia
Documenta probat vani
Cultus seminaria.

3. Reformato cleri statu
Ac plebis Aemiliae
Romam redit a bimatu
Florentis ecclesiae.

4. Verbo, vita, pietate
Virum agens caelicum
Invocata trinitate
Sanat paraliticum.

5. Petri sedes dum orbatur
Sancto Bonifacio,
Coelestinus sublimatur
Summo sacerdotio.

Ad Benedictus.

A. Benedicta sit divini
Nominis gloria,
Cujus dono Coelestini
Floret memoria,

Qui hac die pulsa tristi
Carnis molestia
Evocatus voce Christi
Scandit caelestia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnifica,
Mantua, Dominum,
Largitorem
salutis hominum.
Coelestini
qui glebam funeris
Tibi misit
in signum foederis,
Nam ereptum
raptorum manibus
Tuis dedit
condendum moenibus.

Per Octavam.

Ad Laudes.

A. Alme praesul Coelestine,
Civis caeli curiae,
Vita fruens absque fine
Jam expers miseriae,
Laudis tibi matutinae
Carmen hoc laetitiae
Persolventes fac divinae
Nos consortes gloriae.

In Vesperis.

A. Recensentes Coelestini
Titulos memoriae
Cultus vice vespertini
Melos demus gloriae,
Genti qui Aemilianae
Praedicans censorie
Pravitatis Arrianae
Tulit zyma scoriae.

Antiph. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Capit. Mantuan. J. A. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. B. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 10 tibi cumulum B. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Fugens lucrum B. — **R** 3, 10 discidii AB. — In 3. Noct. **R** 3 Reimprosa und de communi: Sancte Coelestine, Christi confessor dignissime, audi rogantes servulos etc. — Per Octavam **AA** fehlen B. — Die drei zum Officium gehörigen Hymnen cfr. Anal. XXII, 221 sq.

91. De sancta Petronilla.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Duce caelesti numine,
Patre favente principe
In Petronilla virgine
Est virtus patientiae,
Est ista perfectissima,
Propter quod et laetissima
Gloria tibi, Domine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nunc Petronillae virginis
Festum laete cantamus,
Cujus sacratis meritis
Et Deo jubilamus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est principis filia,
Quae est secuta agnum,
Prudentium primaria
Et habet nomen magnum.

2. Nomen sacratae virginis
Petri manus scripserunt,
Quod caeli cum reliquiis
Nobis enarraverunt.

3. A Deo benedicitur
Petronilla beata,
Quae innocenter graditur,
Semper est honorata.

Responsoria.

1. Stantes sancti discipuli
Actus Petri cernentes
Pro infirma dum quaeruli
Sunt atque murmurantes,
Petrus, cujus sunt oculi
Cuncta considerantes,
V. Sanavit hanc, discipuli
Effecti sunt laetissimi,
Ministrantem mirantes.

2. Petri nata sanctissima,
Pulchra et gratiosa,
Jacet oboedentia
Patris nunquam irosa,
Ex multa patientia
Semper est gaudiosa;
V. Post facta perfectissima
In corpore et anima
Redolet velut rosa.

3. Odore famae virginis
Jam cuncti recreantur
Eamque suis oculis
Videre delectantur,
Et laborantes variis
Languoribus sanantur,
V. Verbis suis sanctissimis
Et actis sacratissimis
Omnes plene curantur.

Responsoria.

1. Venit comes ad virginem,
Eam vult desponsare,
Sed post matrem mirabilem
Volens haec ambulare
Ipsum fallit odibilem
Et ponit se orare.
V. Interim ineffabilem
Deum atque amabilem
Studet ad se vocare.

2. Adjuvata a Domino,
A quo ipsa amatur,
A beato presbytero
Sancto communicatur,
Angelorum subsidio
In caelum sublevatur,
V. Ubi intrat cum gaudio
Et sedet in principio
Virginum et laetatur.

3. Laetatur caeli domina
Effecta Petronilla
Et est prima in gloria,
Post Felicula illa,
Quae fuit ejus socia
In lacrimarum villa;
V. Nunc in aeterna gloria
Angelorum laetitia
Exsultat haec et illa.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctae virginis specie
Deus est delectatus,
Quia est plenitudine
Plenus sui ornatus.

2. Adjuvata a Domino
Petronilla beata
A comite nefario
Exstitit liberata.

3. Exsultat sancta filia,
Quae a Deo amatur,
Propter ejus judicia,
In quibus delectatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantat Domino canticum
Petronilla beata,
Cujus nomen magnificum
Ipsa est venerata.

2. Laetamini in Domino
Cum sancta Petronilla,
Qui estis pleni gaudio
In requie nunc illa.

3. Cantate mirabilia
Nova, quae Deus fecit,
Una puella proelia
Vincens in throno sedit.

Responsoria.

1. Exsultat atque jubilat
Cum angelis beata,
In omni choro concinat
Haec a Deo amata,
Non est ultra, quod cupiat
Ita glorificata;
V. Cum apostolis habitat
Praecipue et rutilat
Beati Petri nata.

2. Nomen natae sollicite
Manus Petri scripserunt,
Dilectissimae filiae,
Sic literae dixerunt,
Haec aureae reliquiae
Petronillae fuerunt,
V. Ut manus apostolicae
Et terrae motus publice
Nobis propalaverunt.

3. O sancti Petri filia,
Petronilla beata,
Oramus, sis in gloria
Pro nobis advocata,
Quae ibi primiceria
Sedes glorificata;
V. Tu ibi, o sanctissima,
Magni principis filia,
A cunctis honorata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Post matrem Dei floruit
Virgo, quam Deus voluit
Secumque collocavit,
Ipsa est primiceria
Petronilla in gloria,
In qua Deus regnavit.

2. Nunc plene laudant Dominum
Puellae in consortium
Cum Petronilla stantes,
Dei enim sunt populus,
Et ipsorum est Dominus,
In quo sunt jubilantes.

3. Laetantur in quo audiunt
Et semper festum faciunt
Petronillam sequentes
Et abundant dulcedine
Semper in Dei facie
Virgines intendentes.

4. Nisi Deus tribueret
Atque dignos nos faceret
Meritis Petronillae,
Nunc in fornacis medio
Mundi hujus incendio
Adurerent favillae.

5. Lauda, devota anima,
Deum cum Petri filia
In mundo, in quo degis,
Laudate et cum angelis
Et sacratis presbyteris,
Justi omnes in caelis.

Ad Benedictus.

A. Novum sidus emicuit,
Cum Deus carnem induit,
Qui Petronillam voluit
In sponsam atque docuit
Eamque nobis posuit
In exemplum, ut decuit;
Petrus a petra meruit
Nomen, quo nata claruit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, virgo Petronilla,
Sponsa regis angelorum,
Tu es pulchra nata illa
Principis apostolorum,
Quae plus sapis quam Sibylla
Vincens proelia malorum,
Tu ergo nos duc ad illa,
Quae sunt pascua sanctorum.

Infra Octavam.

Commemoratio.

A. Virgo prima florida
Post virginem matrem,
Et quae gaudes gloria,
Magnum habens patrem,

Brev. ms. Romano-Franciscanum saec. 15. Cod. Neapolitan. I B 23. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 1 caelestis. — In 1. Noct. **A** 2, 2 manu. — **R** 1, 3 Pro infirmarum quaeruli. — **R** 3, 8 Et tactis. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Cantate. — In Laud. **A** 5, 1 animas. — Ad Bened. **A**, 3 Quae Petronilla. — Die Hymnen vgl. Anal. XXII, 227 sq.

92. De sancto Petronio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sacrae fidei confessio,
Pulchra et nitens religio,
Dum nocuit nemini,
Sed omnibus profecit,
Nam ut bene meminit,
In conspectu Domini
Petronium magnum fecit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem
Sanctorum decus omnium,
Qui dilexit nostrum gregem
Sanctum dando Petronium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Petronius
In lege voluntarius,
Quam perfecit per opera
Velut arbor fructifera.

2. Sublimis nobilitatis,
Sed majoris sanctitatis,
Hic ante Dominum adstans
Serviebat cum tremore,
Nunc nobis opem ferat.

3. Virgo exsistens corpore
Factus est Petronius
Templum sancti spiritus,
Integer mentis robore,
Praesul praestantissimus
Fit quia divinitus.

Responsoria.

1. Gaude, mater Graecia,
Sic honorificata,
Ovans tanta gratia,
In filio ditata,
Plaudat et Italia
Ab eo visitata,
Praesule Bononia
Laetetur coronata,
V. Cujus sanctimonia
Est late decorata.

2. Nobilis Petronius
Ex genealogia,
Domino devotius
Cum servit in hac via,
Praesul excellentius
In nostra hierarchia,
V. Laudemus ergo largius
Deum in psalmodia.

3. Sororem Petronii
Sub lege conjugii
Sibi copulavit
Sacri rex imperii,
Sociam palatii
Dono decoravit;
V. Hunc terreni gaudii
Spretorem amavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum suum Petronium
Christus mirificavit,
Vincentem mundi vitia
Bononia firmavit.

2. Precibus assiduis
Deo supplex adstabat
Et sacratis hostiis
Populo complacebat,

Quem tantis pro instantiis
Aeternis providentiis
Jam Christus coronabat.

3. Ex ore Petronii
Doctrina eloquii
Christus suam laudem
Sic perficiebat,
Dum haeresum fraudem
Verbis evangelii
Hujus odor lilii
Rite destruebat.

Responsoria.

1. Haeresum versutia
His actis inolevit,
Plurima nequitia
In vera nunc desaevit,
Quorum sic fallacia
Regis providentia
Divinitus praevenit,
V. Dum hunc plenum gratia,
Clarum eloquentia,
Reducentem devia
Ob tam dira noxia
Mittere decrevit.

2. Petrus caeli claviger
Apparens Coelestino,
Pastorem oraculo
Admonuit divino,
Ut sanctum Petronium,
Meritis eximium,
Dando pontificium
Bononiam legaret,
V. Ut exstirparet noxia
Tradendoque salubria
Ecclesiam firmaret
Nec aliud temptaret.

3. Dum celebrat concilium
sacrum Coelestinus,
Bononiensis populus
adiit hunc festinus,
Supplicans suppliciter
de patre provideri
Et a diris hostibus
se orphanum tueri.
V. Plorat coram praesule
populus oppressus,
Promens, quam regis rabie
exstitit depressus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic sanctus sine macula
Se servans in justitia
In vera tabernacula
Post hujus vitae tristia
Assumptus est in patria.

2. Terrenorum gloriam
Dum sprevit hic Petronius,
Mentis sanctimoniam
Adeptus excellentius
Gloriae magnae praemia,
Magni decoris dulcia,
Ditatur abundantius.

3. Creatoris benedictio
Beato venit Petronio,
Nam pater erat pauperum,
Largus ut lumen siderum,
Quem magnitudo operum
Civem monstravit superum.

Responsoria.

1. Coelestinus pontifex
Concilio narravit,
Quod sibi apostolus
Petrus revelavit,
Quod audiens consilium
Prorupit in tripudium,
Christum magnificavit.
V. *Confitemini Domino et invocate nomen ejus, narrate omnia mirabilia ejus.*

2. Beatus Petronius
se indignum credens,
Provolutus pedibus
Coelestini gemens:
Ut injuncta valeam
onera portare,
Inquit, pater optime,
meritis praeclare,

Omnium factorem
Pro me deprecare.
V. Fili, surge, opere
Dei voluntatem
Comple, legem Christi,
sinceram caritatem
Effugatis vitiis
plantes et sanctitatem.

3. Sacris sumptis monitis
sanctus consecratur,
Civitas Bononia
gaudio laetatur,
Tanti patris gloria
laeta coronatur,
In collapsis omnibus
plene reparatur;
V. Floribus Hierusalem
Honorificatur,
Justorum patrociniis
Propulsatis noxiis
Sanctitati datur.

4. Te coronat, vir propheta,
Secretorum conscius,
Cleri decus et athleta,
Veritatis nuntius,
Qui ministrat tibi laeta
Munera sublimius,
Tuae sortis clausus meta
Te beat, Petronius.
V. Gratiarum donis freta
Prae tuis consortibus
Te, Bononia, de caelis
Lux lustrat virtutibus.

5. Carnis spicam
contemptus area
Domans sanctus
in virga ferrea,
Ut granum purum
excussa palea,
Sic summi regis
intrat in horrea.
V. Vivo pani morte junctus
Vita vivit vita functus.

6. De sacro ministerio
Petronius hic satiat
Turbam Christi famelicam,
In via ne deficiat,
Iter pandit ad gloriam
Et vitae viam ampliat.
V. Pro spreta mundi tunica
Est indutus gloria,
Cui Christus, spes unica,
Dat ineffabilia
Se et sua gaudia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus Petronius
Pro nobis intercedat,
Quo beato praevio
Vero dato praemio
Omnis pestis cedat.

2. Hic creaturis imperat,
Qui nutui subjecerat
Se totum creatoris,
Quidquid laesit adversitas,
In aegro sanat sanctitas
Hujus pii pastoris.

3. Hic carnis supercilium
Legi subjecit spiritus,
Mundum vicit et vitium
Se victo victor inclitus.

4. Sacerdotes Dei,
Deum benedicite
In collato nobis
glorioso comite,
Cum creaturis omnibus
voce, manu plaudite,
Ei ut jungamini,
jam moribus satagite.

5. Hic divinis laudibus
Ardenter insistebat
Et de collatis omnibus
Gratias agebat,
Verbis atque moribus
Deum benedicebat,
Sacrae vitae passibus
Velut ostensis dapibus
Plebem inducebat.

Ad Benedictus.

A. Beatus Petronius,
Pontifex eximius,
Dum talenta credita
Domino prudenter
duplicavit,
Aureolae et aureae
Coronae ab ipso dona
reportavit.
A vitae miseriis
Hodie eductus
In mansuris gaudiis
Plene est indutus,
Ubi clamat cum electis
Christi gloria refectis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sacerdos Dei, beate Petroni,
Pro nobis in ara caelesti
Christo redemptori,
Cui preces quotidie
Fundis, funde libamina,
Precum ut tuis adjuti
Gloriosis meritis,
Post depositum carnis onus
Denario aeterni praemii
Muneremur tecum.

Offic. ms. Bononiensia saec. 15. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 892. A. — Officium proprium divi Petronii, patroni ac protectoris almae urbis Bononiae . . . ut continetur in bulla concessionis de anno 1514, imp. Bononiae 1563. B. — Ad Matut. Inv. 2 decus fehlt A. — In 1. Noct. **A** 3, 5 Praesul excellentius A. — **R** 2, 4 Conservit B. — **R** 2, 5 Praesul eximius AB. — **R** 3, 2 Sub fehlt AB. — **R** 3, 5 Socii B. — In 2. Noct. **A** 1, 4 In Bononia. — **R** 1, 2 Bis actis A. — **R** 1, 7 pervenit AB. — **R** 2, 3 Apostolicum oraculo A. — In 3. Noct. **A** 2, 7 Ditantur A. — **R** 2, 9 Onverum factorem A. — **A** 3, 7 Et in. — **R** 6, 5 Intus pandit A. — Die Hymnen des Officiums cfr. Anal. XXII, 228 sqq.

93. De sancto Potito.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O stella Christi fulgida,
Potite, martyr inclite,
Obscura culpae nubila
A mente nostra discute.

2. Tu clarus inter martyres
Fulges ut inter sidera
Sol, ac ut inter candida
Ligustra candent lilia.

3. Luces ut ardens lampada
Humana lustrans pectora,
Ut sal per orbem spargeris
Humana siccans vulnera.

4. Post clara mortis funera
Illustris inter angelos
Tanto refulges lumine,
Quanto per orbem nomine.

R. Gratae, mi dulcis
puer, aure dextra
Quas tibi laudes
recinunt sacratae
Virgines sanctae ac
modulus pudico
Pectore promptos,

V. Hic tibi pro thure
et olente nardo,
Pro thymi fasce
et calatho rosarum
Donantur, gemmas
et odora, quaeso,
Balsama sume.

Ad Magnificat.

A. O felix pugilis gloria martyris,
Qui caeli proprio sanguine
januam

Effregit per iter mox crucis asperum
Scandendo super aethera.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, regem regum, adoremus Dominum, qui beatum Potitum martyrii decoravit gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Jesu, decora caelitum
Corolla, Iesu, martyrum
Spes, cerne nos, dum militis
Tui canamus proelium.
2. Cur, Antonine, perfuris,
O Caesar, angue dirior,
Leone saevo saevior,
Cur bile turges vitrea?
3. Non sculpta adorat marmora
Nec ligna credit numina,
Aurum Potitus despicit
Nec thura libat Belius.
4. Dura contemnit verbera
Taetrumque spernit carcerem,
Nec voce blanda flectitur
Minas nec horret efferas.
5. Flagella sicut lilia
Sumit et illa dedicat
Deo flagranti pectore
Sicut rosarum flosculos.
6. Olor nec albus gestiens
Aquas subintrat vitreas,
Olivum ut intrans bulliens
Amore Iesu parvulus.

Responsoria.

1. Ut puer primum dubiae dolosum
Attigit vitae bivium, relicta
Mox via lata studuit per artam
Scandere callem.

V. Totus in sacris vigilat, caduci
Nil cupit, divum veneratur aedes,
Percolit summa pietate trinum
Numen et unum.

2. Sic jugo Christi puerile collum
Subdit aestivam aratri . . .
Ut decet sulcat bonitatis arvum
Vomere pacis;

V. Cordis ex agro tribulos revellit,
Semen irrorat lacrimis in alta
Mente jactatum . . . . . .
Tempore fruges.

3. Non minus caelum precibus fatigatur, quam pro cultu lacrimis nigrentem
Abluit noctem, Satanam repellit
Dulcibus odis;

V. Diva scrutatus monumenta vatum
Sacra degustat rudimenta Iesu,
Tum Liam stringens fruitur Rachele
More Jacobi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Phoenix ut inter cinnama
Exusta fit vivacior,
Sic hic lebete fervido
Mersus resurgit fortior.
2. Potitus instar angeli
Factus fide fortissimus,
Numen Minervae despicit
Jovique thura denegat.
3. Cunctis est aequa regula,
Dulcore firmat debiles,
Virtute fortes roborat
Utrosque amore confovet.
4. O miles, o fortissime
Athleta Iesu, sanguinem
Dum corpus unda profluit,
Ad astra mittis spiritum.

5. Sic torque victor aurea
Collum venustas saucium,
Sic morte vitam laureas
Vita triumphans perpeti.

6. O ter beate parvule,
Qui sufferendo laurea
Donaris, o quam strenue
Mortem triumphas mortuus.

Responsoria.

1. Ut suum nomen peperit, Potitus,
Martyr insignis, potiendo dulce
Caelitum nectar, peritura sprevit
Cuncta sub astris.
V. Sprevit aetatis roseum tenellae
Flosculum, sprevit titulos avorum
Muricem, fasces, galeam, curules,
Praedia, census.

2. Puer ad nudum properare Iesum
Pergit amplexa cruce, sic superne
Praevius ductor patriae fit alti
Praeco tonantis.
V. Grande virtutum jubar, aequa morum
Norma, doctrinae schola christianae,
Mitis exemplar pietatis, almae
Lux bonitatis.

3. Gratus hic mundo puer a tenellis
Unguibus, matris fuerat ab alvo
Gratior caelo, magis est in astris
Gratus utrique.
V. Hic feras passus, rabidos leones
Calcat immanes, dominatur ursis,
Sed prius vincens superat furentem
Frigidus iram.

4. Mortuus mundo, Satanae, parenti
Ac sibi, caelo, superis, tonanti
Vivit illustris Domini Potitus
Martyr in aevum.
V. Ergo si talis tibi vita fulsit
Saeculo, nobis super astra regnans
Impetra puer bona, pacis arrham,
Gaudia caeli.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O Potite sanctissime,
Agonista fortissime,
O flos jucunde gentium
Et speculum viventium,
Objurgator vanitatum
Et praedicator virtutum,
Ora pro nobis Dominum.

Responsoria.

1. Vernat ut candens rosa rore tacta,
Rore ceu vernat foliis apertum
Lilium, vernat veluti perfusus
Rore hyacinthus.
V. Lux patri factus meliora vivo
Pandit exemplo documenta, quodnam
Egerit primum, sociis agendum
Praecipit actu.

2. Unde pro Christi nece tu cruentam
Eligens mortem, velut agnus ensi
Colla flexisti, o pie martyr, o mi
Dive Potite.
V. O pia, o felix anima, o beate
Spiritus, terrae spolium caducae
Deserens carnis, superas ovando
Scandis in arces.

3. Non pius laedit liquor aut eburna
Membra tam candens oleum nec ignis
Quid pili tangit minimi, pudorem
Flamma veretur.

V. Martyr, a summo, precor, axe gratis
Gratiam per te nobis orbis auctor
Praestet ac sacris faveat puellis
Numine fausto.

4. Centuplum reddant oleae per arva
Semen, in fruges vireat Falernum,
Vineae fundant decuplum precante
Te, pie martyr.

V. Pane nos dulci refove, salubrem
Aerem cura, scelerum reatus
Qua vales purga prece, martyr, ante
Judicis iram.

In Laudibus.

Antiphonae.

Non sic, Potite, cinnama
Attrita spirant, moribus
Ut tu modestis florida
Aetate fragras saeculo.

Ad Benedictus.

A. Pro tuis regnum meritis latinum,
A fame, a bello tueare [nosque]
Quaeso, ut a peste, a tonitru, a corusco
Fulmine serves.

Officium S. Potiti martyris perpulchre ordinatum praesidio Marriae (!) S. Felicis Archiabatissa (!) eisdem (!) Monasterio (!) Neapoli apud Magistrum Matthiam Cancrum anno Dom. 1553. die 9. Aprilis.

In 1. Vesp. **A** 1, 4 discutite. — **A** 4, 1 claram. — **R**, 7 Dantur. — In 1. Noct. **A** 2, 4 Curbile turge. — **R** 2, 7 jactaturum. — **R** 3 prosaisch. — In 2. Noct. **A** 6, 3 o ergänzt. — **R** 1, 1 Ut sit nomen. — **R** 1, 7 Murue fasces galeam corulos. — **R** 3, 1 puer ergänzt. — **R** 4, 2 tonantis. — **R** 4, 7 puer ergänzt. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 5 O objurgator. — **R** 2, 4 Divi Potiti. — **R** 3, 5 sq. per te . . praestet orbis auctor ac sacris. — **R** 4, 5 Parce nos. — In Laud. **AA** 1, 2, 3, 5 sind dieselben wie in der ersten Vesper; nur die vierte ist neu. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch.

94. De sancto Proculo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Solvat clerus cum populo
Laudes pio pontifici,
Congratulentur Proculo
Cives laude multiplici,
Toto vitae curriculo
Pudico, justo, simplici,
Qui migravit a saeculo
Ornatus serto triplici.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsit Dei populus
Diem colens istum,
In quo praesul Proculus
Transiit ad Christum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Festo tanti praesulis
quisquis sit laetatus,
Qui fuit ab utero
Christo consecratus.

2. Mandata dominicae
legis adimplebat
Et cultum deicolae
gentis adaugebat.

3. Romanam provinciam
cum suis vallavit,
Praedicans miraculis
plebem illustravit.
4. Interannis Proculus
praeest vir beatus,
Sed tandem Bononiae
martyr consecratus.
5. Fulgebat miraculis
mortuus et vivus,
Nulli fuit displicens,
nemini nocivus.
6. Duxit daemoniacum
huic Herentianus
Natum, sancti precibus
qui statim fuit sanus.

Responsoria.

1. Gratulentur
senes et populi
In honore
beati Proculi,
Legis Dei
ferventis aemuli;
V. Festum sacrum
clerus et populi
Colant Christi
felicis famuli.
2. Pellit ab insano
Satan sacer Herentiano,
Fit prece curatus
sancti vir primo ligatus,
Christus honoratur,
dum Proculus haec operatur;
V. Caeca, quod implorat,
cernit, dum vir sacer orat.
3. Dum oraret
in imo carceris,
Liberator
venit de superis
Hunc dissolvens
cum sanctis ceteris;
V. Nocte venit
angelus luminis
Vinctis verba
dicens solaminis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quaedam ab infantia
scabris excaecata
Sancti fusis precibus
est illuminata.
2. Huic atque ceteris
angelus illuxit
Vinctis, quos a carcere
solvit et eduxit.
3. Morbo paralytico,
sanctus ut precatur,
Laborans decennio
quaedam liberatur.

Responsoria.

1. Hic surdos, mutos,
hic caecos curat et aegros
Et super afflictos
pastor pia viscera gessit,
V. Grandis erat meriti,
Domini lux inclita legis.
2. Quem accusat
detractor invidus,
Prope missus
excusat angelus,
Hinc placatur
motus Eugenius;
V. Mulgens cervam
potum sodalibus
Pius pater
dat sitientibus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Ore, corde te rogamus,
Cujus laudes decantamus,
Opem tuam sentiamus,
Pie pater Procule,
Dux et pastor, norma morum,
Pro collegio tuorum
Christum, regem saeculorum,
Interpella sedule.

Responsoria.

1. Justus ab injustis
dum persequitur, jubet illum
Apparens Christus:
tu Bononiam modo vade,
Cui fidei lumen
reserans vacuabitur error.

V. Inquit ei Dominus:
fili dilecte, recede
Bononiam tendens
reliquos ducasque fideles.

2. Pollicetur Theodonus
Se baptizari protinus,
Si posset sanctus Proculus
Manum curare filii;
Mox sanctus ut oraverat,
Manus curata fuerat,
Quae prius exaruerat,
Credit pater et alii.

V. *Cum adductus esset puer manum habens aridam ante virum Dei, oculos ad caelum elevans oravit pro eo.*

3. Dum cadit hic sanctus,
dolor est, afflictio, planctus,
Fiunt mira quidem,
de fluxu sanguinis idem
Quandam curavit,
caecum cruor illuminavit,

V. Mortuus allatus
infantulus est relevatus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Proculus praeconiis
extollatur dignis,
Divulgator fidei
prudens et insignis.

2. Hic lustrans provincias
verbum vitae sevit,
Per istum Bononiae
fides tandem crevit.

3. Huic quanto Totilas
rex magis minatur,
Tanto fides publica
magis solidatur.

4. Dum flagellis caeditur,
mitius oboedit,
Nec minis nec verberi,
sed nec morti cedit.

5. Pie pastor Procule,
sis memor tuorum,
Quibus reconcilia
regem saeculorum.

Ad Benedictus.

A. O qui primo nomen Christi
Praedicasti Bononiae,
Et urbem qui convertisti
Fundens fluenta gratiae,
Sis cohorti clemens isti
Et a regis justitiae
Fac nos dextris prece sisti
Summaque frui requie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pie pater pretiose,
Praedicator gratiose,
Virgo martyr gloriose,
Declarator legis Christi,
Urbem hanc, quam convertisti,
Defendas a casu tristi,
Cui pacem, dux, implora,
Tu proprius pastor ora,
Fugans hostem mortis hora.

Brev. ms. Coelestin. Bononien. saec. 15. Cod. Univers. Bonon. 2275. — In 1. Vesp. ad Magn. **A** 3, Congratulentur populo. — In 1. Noct. **A** 4, 2 vir ergänzt. — **R** 1 prosaisch. — **R** 2, 4 sancti nix. — In 2. Noct. **R** 1 und 4 prosaisch. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 5 Duc et pastor. — **R** 2, 8 Credidit. — **R** 4 keines. — In Laud. **A** 3, 3 publicans. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 8 Tu propitius. — Die Hymnen vgl. Anal. XXII, 224 sq.

95. De sancto S. Prosdocimo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Almi laudes confessoris,
Beati Prosdocimi.
Resonemus cunctis horis
Mente Deo proximi.

2. Tanta prole fecundata
Felix gaude Graecia.
Quam ad dona Deo data
Petri trahunt retia.

3. O solamen miserorum,
Beate Prosdocime,
Cunctas pelle sordes morum,
Confessorum optime.

4. Pater sancte, Deo care,
Cum prece assidua
Semper Christum deprecare
Pro dilecta Padua.

5. Obtulisti Christo laudes
Gerens spem de praemio,
Unde digne tu congaudes
Abrahae in gremio.

Ad Magnificat.

A. Gaudet chorus confessorum
Aucto pro collegio,
Gratulatur coetus horum
Nobili praeconio,
Plaudit omnis angelorum
Reverenda legio,
Offerens regi polorum
Prosdocimum cum gaudio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo regi jubilemus,
Redemptori optimo,
Corde, ore decantemus
Beato Prosdocimo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosum trahens ortum
Clara de prosapia
Hujus vitae sprevit portum
Tendens ad sublimia.

2. Cum optaret sequi Christum,
Noxae pulsa macula
Pertransivit mundum istum
Petri cum navicula.

3. Confidenter vir beatus
Properat Patavium
Et a Petro informatus
Optat vitae bravium.

4. Paduam Prosdocimus
Petro missus venit
Et in porta plurimos
languidos invenit.

5. Cumque rex deposceret
vitae sanitatem,
Obtinere meruit
mentis sospitatem.

6. Postquam rex est illustratus
Fidei mysterio,
Consequenter est ditatus
Castae prolis praemio.

Responsoria.

1. Hic est sacer signis clarus
Beatus Prosdocimus,
Qui exsistit Deo carus,
Ei semper proximus;
Antiquorum confessorum
Hic censetur socius,
In caterva splendet quorum
Velut solis radius;
Quo rectore, quo doctore
Illustratur Marchia,
Quo congaudes tu pastore,
O urbs Antenoria.

V. Sidus vere sacerdotum,
Lucens per Illyricum.
Illustrasti fere totum
Populum Italicum.

2. Adest hic Israelita,
Cui Christus fuit vita
Optanti caelestia,
Mentis visum Christo fixit,
Carnem mundo crucifixit
Respuens terrestria;
V. Christum amans cuncta sprevit
Mundi circumstantia,
Semen Dei semper sevit
Cum perseverantia.

3. Dum intraret urbem regis,
Primo portae limite
Turbam vidit sui gregis
Pressam aegritudine,
Quam sanavit lator legis
Jesu Christi nomine;
V. Tunc athleta Christi fretus
Divo medicamine
Tristes urbis tersit fletus
Pio consolamine.

4. Gaude semper et laetare,
Urbs praeclara Padua,
Almum patrem deprecare
Cum prece assidua,
Ut per ipsum mereare
Dona caeli ardua,
V. Cui nihil in hac vita
Gratum certe fuit ita
Quam tua devotio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum vitae cognovisti,
Civitas Vincentia,
Nam per istum effugisti
Animae nocentia.

2. Sanctus Dei expurgavit
Regni cuncta idola,
Verbum Dei seminavit
Sapiens agricola.

3. Cultum Dei propagavit
Regni per confinia,
Gregem multum aggregavit
Christi ad ovilia.

4. Cum fecisset signum crucis
Super caecae oculos,
Introducit formam lucis
Respuentem baculos.

5. Mulieris manum rexit
Beatus Prosdocimus,
Ipsam sanam sursum vexit
Praesul devotissimus.

6. Mulier tunc exclamavit:
Unus est altissimus,
Per quem solum me sanavit
Beatus Prosdocimus.

Responsoria.

1. Intuens Prosdocimus,
Turbam infirmorum,
Flectit sancta genua
pro salute horum,
Quem exaudit pietas
Domini polorum,
Diluens contagia
corporum et morum.
V. Christum petit ore, mente
Pro salutis gratia,
Orat ipsum et intente,
Ut repellat vitia.

2. Vir beatus cum intravit
Regium cubiculum,
Sordes cunctas expiavit
Crucis per signaculum;
Rex devotus effugavit
Omne offendiculum
Seque Christo dedicavit
Pium habitaculum.
V. Protinus erigitur
Rex Vitalianus
Ad asdpectum praesulis
Fore Christianus.

3. Rege claro baptizato
Culpas unda sustulit,
Et Jesus ei renato
Sanitatem contulit,
Multitudo admiratur
Regis beneficio,
Meritoque ampliatur
Fidei devotio.

V. Statim regi adfuit
Gratia divina,
Ex qua vere provenit
Omnis medicina.

4. Propagator veritatis,
Rosa fulgens pietatis,
Beate Prosdocime,
Voces, preces tui cleri
Dirigas ad regem caeli,
O pater sanctissime.

V. Pastor clemens, praesul pie,
Ad te spectat Padua,
Ipsa colit in hac die
Festa tua annua.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Audiens Vitalianus
Beatum Prosdocimum,
Elevat ad caelum manus
Invocans altissimum.

Responsoria.

1. Postquam rex est illustratus
Fidei mysterio,
Consequenter est ditatus
Castae prolis praemio,
Quam instruxit vir beatus
Sacro evangelio.

V. Regis natam baptizavit
Jesu Christi nomine,
Quam vir sanctus appellavit
Justinam cognomine.

2. Sanctae praedicationis
Facto ministerio
Vir summae devotionis
Redit a Tarvisio,
Quem repleti sacris donis
Ambiunt cum gaudio.

V. Plebs fidelis collaetatur
Et in Christo jucundatur
De pastoris reditu.

3. Postquam cursum consummavit
Almus Christi villicus,
Portas vitae penetravit
Praesul apostolicus,
Cui laetus obviavit
Cuneus angelicus.

V. Corpus ejus honoravit
Et devote collocavit
Paduanus populus.

4. Caelum petit triumphator
Cum ingenti gloria,
Animarum illustrator
Fulget in memoria,
Quem admittit poli sator
Lucis ad praetoria.

V. Vitae cursu consummato
Pergit ad aetherea,
Hoste vadit triumphato
Ad regna siderea.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Tanta erat in hoc viro
Verbi efficacia,
Ut infectos ritu diro
Illustraret gratia.

2. Pollens mira vir beatus
Animi prudentia,
Digne multis est praelatus
In adulescentia.

3. Stella nitens et praeclara,
Beate Prosdocime,
Taetra pelle, lucem para,
Serve Dei maxime.

4. Christo reddat commendatos
Suis almis precibus,
Quos fecit esse beatos
Disciplinae moribus.

5. In caterva confessorum
Flores velut lilium,
In te sibi rex caelorum
Fecit domicilium.

Ad Benedictus.

A. Claritate lucens morum
Beatus Prosdocimus

Intrat agmen confessorum,
Cultor Christi maximus,
Quem coronat rex sanctorum
Vitae dator optimus.

In quo datur sancto quies
Longo pro certamine;
Hodierna sanctus die
De mundi voragine
Ductus est ad caelum pie
Triumphali carmine;
Unde nobis, te rogamus,
Beate Prosdocime,
Ut sis praesto, exoramus,
Pastor clementissime.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Digna coli adest dies
Pio modulamine,

Brev. ms. S. Justinae Patav. saec. 15. Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14838. A. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univers. Patav. 704. B. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univers. Patav. 441. C. — Brev. ms. S. Justinae saec. 15. Cod. Univ. Patav. 1290. D. — Brev. ms. S. Justinae saec. $^{15}|_{16}$. Cod. Univ. Patav. 702. E. — Antiph. ms. Patavinum saec. 15. Cod. Capit. Patavien. **A** 16. F. — Propr. ms. Patavinum saec. 16. Cod. Capit. Patavien. B 57. G. — Die beiden letzten Quellen bieten das Officium in der kürzern, nicht monastischen Form; da aber letztere augenscheinlich die ursprüngliche ist, haben die Kürzungen von FG kein Interesse. — In 1. Vesp. **A** 4, 3 Semper fehlt A. — In 1. Noct. **A** 1, 12 Antenorea G. — In 2. Noct. **R** 1, 10 fehlt A. — Nach **R** 4, 6 schiebt G ein:

Fulgens in caelestibus, gemma confessorum,
Agnum Dei sequeris cum coetu sanctorum,
Hymnum novum concinis domino polorum.

Nach **R** 4, 10 folgen in derselben Quelle noch:

Almis tuis precibus veniam implora
Et pro tuis ovibus Dominum exora,
Ut tecum possideant quaeque meliora.

Hymnen: In 1. Vesp.: Lux et decus ecclesiae (Mone III, 487); ad Noct: Errores ad gentilium (Mone III, 487); ad Laudes: Illustrat ejus sanctitas (Anal. IV, 226).

96. De sancta Sabina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Qui splendoribus in
sanctorum, Christe, refulges,
Sabinae precibus
nostri miserere, rogamus.

2. Omnia fecisti
mandata fidelia Christi,
Fac et agone tuo
nos fortes pectore puro.

3. Gloria, divitiae
tibi sunt, Sabina, perennes,
His quoque nobiscum
tua si valet utere virtus.

4. Quem pueri laudant,
humilem te duxit ad astra,
Nos inopes morum
relevet virtute bonorum.

5. Cum populis, gentes,
Dominum laudate decenter,
Quae cupitis munus
conquirere martyris hujus.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Sabinae spiritus almus,
Gaudet et exsultat
nec contristabitur ultra;
Hanc humilem Christus
foris ut respexit et intus,

Auxit et ornavit,
caeli super astra locavit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aethereo regi
populi jubilate redempti,
Martyris eximiae
subeunt pia festa Sabinae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In labiis diffusa cujus
est gratia Christi,
Propterea benedixit te
semper Deus idem.
2. Sanctificavit eam
Dominus, qui condidit illam,
Lactificat verus
quam fluminis impetus ejus.
3. Rex elegit te,
summi patris unica proles,
Ex Jacob specie,
cujus Deus exstitit haeres.

Responsoria.

1. Ante Dei faciem
mors est pretiosa Sabinae,
Quae moriens mundo
vivit super aethere Christo;
V. Martyris est hodie
festum, gaudete, fideles.
2. Mente satis stabili
tulerat tormenta tyranni,
Ut patriam vitae
caelestis possit adire,
V. Rebus opima nimis
cum mundo cuncta reliquit.
3. Laetitiae summam
per sanguinis excipis undam,
Martyribus semper
fuit haec obnoxia merces;
V. Gaude, digna Deo,
tanto cumulata trophaeo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mons Sion exsultat,
congaude, filia Judae,
Judicio Christi
quod aethera, martyr, adisti.
2. In te laetatur
tua plebs, rex maxime regum,
Ad te conversis,
qui pacis munera reddis.
3. Porta Sion, dilecta Deo
super atria Jacob,
Voce creatoris
tibi laus confertur amoris.

Responsoria.

1. Quam pia, quam felix,
quam sancta, Sabina videris!
Est tibi concessum,
scelerum dissolvere nexum;
V. Omnibus, ecce, modis
te poscimus, annue nobis.
2. Pulchra tibi species,
ut regis purpura crines,
Lumina praefulgent
ut fontis Esebonis unda,
V. Emicat ex ulnis
collum velut invia turris.
3. Dulcis amica Dei,
luci collata diei,
Dote pii regis
thalamum conscende quietis,
V. Nocte sibi media
cum venerit obvia turba.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Permanet ante Deum
confessio martyris ejus
Atque decor clarus,
nulla qui labe notatur.
2. Lux hodie justis
et rectis corde refulsit,

In qua pro summis
laetare Sabina triumphis.

3. Vocibus et psalmis
sapientes psallite sancti,
Quos Dominus vitae
comites facit esse Sabinae.

Responsoria.

1. Vincla tuis precibus
nostri dissolve reatus,
Ne nos pro culpa
perdat lex judicis ulla,

V. Si poteris, veniam,
poteris bene poscere, cura.

2. Judicium verum
trepidanti corde timemus,
Quando Deus sontes
et justos judicat omnes

V. Nostri fac, petimus,
memores in fine dierum.

3. Pectoribus nostris
spem dona, conditor orbis,
Semper et adde fidem
meritis precibusque Sabinae;

V. Adsit amor verus,
Veneris qui lege jubetur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induerat te rex
cinctus virtute decorem,
Justitiae pannis
nos indue, maxima martyr.

2. Rite Deo jubilat
laeto jam corde Sabina,
Ejus in adspectu
quae sic intrare meretur.

3. Ante Deum vigilat
felix de luce Sabina,
In quo quam nimium
mens sancta sitiverat ejus.

4. Quanta tribus pueris
ignes tribuere camini,
Tanta tibi miseri
tormenta dedere tyranni.

5. Gloria, vita, decus
sanctis est omnibus ejus,
Cum quibus es semper
vitam sortita perennem.

Ad Benedictus.

A. Ecce, tuum roseis
superaddita lilia sertis
Exornant illustre caput,
timor est tibi nullus
Hostili direpta manu,
nos cerne, precamur,
Semper et a nostris
tutos fore fac inimicis.

Cod. Casinen. 280. saec. 11. — In 1. Vesp. A 2, 4 nos fore. — Verfasser des Officiums, sowie der zugehörigen Hymnen (cfr. Anal. XXII, 224) ist Alfano von Salerno. Er schrieb dasselbe für seinen Freund Pandulphus, Bischof von Marsi, dem er es mit einer Dedikation von 41 Distichen (Cod. Casinen 280 fol. 78 b) übersandte, welche mit den Worten Praesul amande magis beginnen und worin es u. a. heifst:

Vox tua me monuit, pariter monendo rogavit,
Laudes Sabinae martyris ut canerem.

Das Officium steht in der Hs. nicht in der hier eingehaltenen Ordnung; es folgen vielmehr auf das Invitatorium zunächst sämtliche Antiphonen der Nocturnen und der Laudes, dann sämtliche Responsorien und endlich die Antiphonen der Vesper.

97. De sancto Theodoro.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Theodore, nos audi,
Preces nostras exaudi
In hac domo salvatoris
Semper et in cunctis horis,
Qui draconem transvibrasti
Ac in poenis triumphasti.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jesu Christo supplicemus
Veniteque adoremus,
Qui Theodorum amavit
Militemque coronavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir in gloria,
Qui transit cum victoria,
Sicut transivit nobilis
Theodorus laudabilis.

2. Quare gentes fremuerunt
Et insimul adstiterunt,
Ut decollarent inclitum
Ducem et caput militum.

3. Multiplicati, Domine,
Sunt plurimi cum crimine,
Ut martyrem caederent
Et a Christo dividerent.

Responsoria.

1. Theodore, bellator
Veritatis et amator,
Propter fidem corruisti
Mortem et non timuisti,
V. Tu terrena conculcasti
Et tormenta superasti.

2. Per Euchaiam pergebat,
Ubi draco perfurebat,
Quem Theodorus occidit
Et dejecit, quando vidit;
V. Signo crucis se protexit,
Ad draconem cum perrexit.

3. Confregit martyr idola
Et vendidit ut frivola
Et pretium, quod habuit,
Pauperibus distribuit;
V. Post ad tyrannum properat
Et dixit hoc, quod fecerat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum Theodorus vocaret
Dominum et obsecraret,
Ipsum statim exaudivit
Et donavit, quod quaesivit.

2. Verba mea tu recipe,
In auribus et percipe,
Christe Deus, intellige
Me semper atque dirige.

3. Domine, tu coronasti
Militem et honorasti,
Ipsum cum constituisti
Super bona, quae fecisti.

Responsoria.

1. Est Theodorus curatus
Et in dorso verberatus,
Et carnifices radebant
Carnes ejus et torquebant.
V. Martyr omnia portabat
Patienter et orabat.

2. Fuit martyr sagittatus
Oculis quoque privatus
Et laudabat in cruore
Dominum corde et ore,
V. Tunc Licinius dolebat
Et Theodorus gaudebat.

3. Martyr est in crucem missus
Et in ipsa crucifixus
Et illic est sagittatus
Et in membro mutilatus;
V. Post de cruce liberavit
Eum Deus et sanavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arcum suum tetenderunt
Et sagittas paraverunt
Et coeperunt sagittare
Militemque vulnerare.

2. Quis habitabit, Domine,
In tuo claro lumine,
Qui diligit justitiam
Et despicit malitiam.

3. Super caput posuisti
Martyris, quem dilexisti,
De lapidibus coronam
Propter spem et fidem bonam.

Responsoria.

1. Deus angelum mandavit,
Martyrem qui visitavit;
Dum esset incarceratus,
Est ab angelo cibatus,
V. Sumpsit atque cibum edit
Et post laudem Deo dedit.

2. In ecclesia colamus
Militem et obsecramus
Christi nostri salvatoris
Semper et in cunctis horis,
V. Illic ossa sunt sepulta
Martyris et bene culta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus decorem induit
Theodorum et instruit,
Habere fortitudinem
Cordisque magnitudinem.

2. Jesu Christo jubilate
Et Theodorum laudate,
Idola quia confregit
Et ad nihilum redegit.

3. Miles totum se paravit
Et ad Deum vigilavit,
Multum populum convertit
Et simulacra subvertit.

4. Faculis est flamminatus
Et plumbatis est mactatus,
Ejus vulnera fricata
Sunt et ungulis quassata.

5. In excelsis collaudate
Dominum atque cantate,
Qui Theodorum amavit
Et in regnum collocavit.

Ad Benedictus.

A. *Sacram hujus diei sollemnitatem humili celebremus devotione, qua invictus Christi martyr tyranno devicto insignem victoriae palmam caelo gaudens intulit.*

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. In splendoribus sanctorum
Dixit mihi Dominus:
Gaude, miles Theodore,
Tecum sum in certamine.

2. Fidelia eloquia,
Quae dedit Theodorus,
Quando prompsit oretenus:
Confitebor tibi, Deus.

3. Beatus vir in opere,
Qui timet non impropere,
Sicut fecit Theodorus,
Fidelis Dei famulus.

4. Laudate pueri Dominum,
Qui ad astra duxit Theodorum,
Ubi gaudet perenniter
Cum angelis feliciter.

5. Credidi, propter quod
Locutus sum, quia
Jam dedit mihi Dominus
Suae coronam gloriae.

Ad Magnificat.

A. *Hic est beatissimus martyr Christi Theodorus, qui non est derelictus a Deo in die certaminis sui, et ipse conculcavit caput draconis.*

Officia ms. Brundusina saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 358. — In 1. Noct. **A** 2, 1 fremuerunt gentes. — **R** 2, 1 Lies Euchaita. — In 2. Noct. **R** 2, 3 in cruce. — Die Herkunft der Hs. (einer Augustiner Hs.) beweist die folgende Antiphon in „Translatione S. Theodori“: O quanta est hujus basilicae devotio, quae beati Theodori, martyris eximii, gloriosa membra meruit caelitus recipere.

98. De sancto Ubaldo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adsit gaudens in conventu
Clerus et corde devoto,
Voces sonent in concentu
Populo plaudente toto.
2. Adest nempe vespertina
Hora grati temporis,
Festa nuntians vicina
Gloriosi praesulis.
3. Cras de carne nempe mirum
Beatissimus Ubaldus
Migrans ad caelum empyrum,
Mundo tamen mansit almus.
4. Infinitis clarens signis,
Aegrotantes liberando,
Eugubinam urbem dignis
Meritis clarificando.
5. Ergo laetus et festivus
Nobis, pater, adveni,
Nunc et semper tempestivus
Tibi pronis subveni.

Ad Magnificat.

A. Militans ecclesia
Recolat cum jubilo
Annua sollemnia,
Revoluto circulo
Dies, ecce, laetissimus
Apparente diluculo,
Quo praesul praeclarissimus
Jam superato saeculo
Cum triumpho victoriae
Scandit ad regna gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Deum trinum,
majestatem triumphantem,
Pro Ubaldo confessore
tanta signa demonstrantem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In aetate primitiva
Puer puros annos degens,
Ubaldus sola divina
Suspiravit secum tegens.
2. Quamvis indole praeclarus
Et abundans facultate,
Cuncta sprevit tamquam gnarus
Nota mundi vanitate.
3. Armis fidei accinctus
Impugnantem hostem fregit,
Vota, quae gerebat intus,
Opere valenter egit.

Responsoria.

1. Antequam ex utero
Prodiret in lucem
Ubaldus amabilis,
In sanctis mirabilis,
Deus hunc disposuit
Populorum ducem;
V. Felix tali filio
Genetrix Ubaldi,
Quem ferentem jugiter
Vitiorum crucem.
2. Ortus hortus exstitit
Omnium virtutum,
Florum pulchritudine,
Odorum spiramine,
Fructuum dulcedine
Vasculum imbutum;
V. Christum puer sitiens
Ardenter amabat,
Mundum et quae mundi sunt
Respuens ut lutum.
3. Volens vota vincere
Propriae naturae,
Blandimenta terere
Puer carnis tenerae,
Suspirabat gaudia
Gloriae futurae;

V. Cujus mentis aciem
Gratia levabat
Despectis illecebris
Vitae perituraе.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cupiebant conjugari
Illum jam adulescentem,
Sed pudicam conservari
Carnem voluit et mentem.
2. Ne in mundo naufragari
Se contingat per incauta,
Tectus veste regulari
Portum tenet prudens nauta.
3. Velut hortus hic conclusus
Omnium virtutum flores
Sparsit in communes usus
Hominum transcendens mores.

Responsoria.

1. Aetati vicinior
Jam adulescenti,
Quando carnis vitia
Solent per initia
Occultis meatibus
Irreptare menti,
V. Ab amicis intimis
Sollicitabatur,
Ut conformis fieret
Saeculo praesenti.
2. Nobilis ex genere,
Facultate dives,
Ne desit haereditas,
Tua sed posteritas
Vigeat et floreat
Inter claros cives,
V. Duc uxorem nobilem
Et tibi decentem,
Ut tuam progeniem
Longius derives.
3. Sed Ubaldus alio
Jam raptus amore
Hominem exuerat
Et Christum induerat
Despectis, quae mundi sunt,
Ut foenum cum flore.
V. Dominus haereditas
Et illuminatio,
Salus mihi Dominus
Factus in decore.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fructum jam istius plantae
Papa sentiens odorem
In Eugubina vacante
Sede posuit pastorem.
2. Qui dum cautus vigilavit,
Caulam ovium suarum
Diligenter praeservavit
Ab incursu bestiarum.
3. Hic furentem Fredericum
Suam urbem impetentem
Mitem fecit et amicum
Benedicens id poscentem.

Responsoria.

1. Quem tot charismatibus
Christus illustravit,
Dignitatum titulis
Pariter ditavit
Et elegit Dominus
Sacerdotem sibi.
V. Sanctitatis oleo
Ipsum consecravit,
Quot fulsit miraculis,
Non posset describi.
2. Non humano studio
Sed a sancto flamine
Papa doctus caelitus,
Divino spiramine
Ubaldum episcopum
Eugubinum fecit,
V. Qui pro suo populo
Mirando certamine
In Josue clippeo
Hostes pavefecit.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Collaudemus Dominum
Christum redemptorem,
Qui Ubaldum induit
Gloriae decorem.

2. Omnes cum laetitia
Jubilate Deo,
Nam Ubaldus hodie
Colitur in eo.

3. Deus, ad te vigilans
Semper te quaesivit,
Te Ubaldi anima
Jugiter sitivit.

4. Sacerdotes Domini,
Spiritus justorum,
Ubaldum benedicite,
Collegam sanctorum.

5. Homines et angeli,
Dominum laudate,
In excelsis praesulem
Dignum honorate.

Ad Benedictus.

A. Sit in excelsis gloria
Nunc et per cuncta saecula,
Plena functus victoria,
Nulla passus piacula,
Ubaldus carens scoria,
Saecli vincens pericula
Transivit mundi maria
Virtutum in navicula,
Nos de carnis miseria
Sua levet vehicula.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. In splendoribus sanctorum
Sidus fulgens, dux fidelis,
Salva plebem servulorum,
Pater noster, qui es in caelis.

2. In consilio justorum
Stans exaudi votum suum,
Ut ab ore devotorum
Sanctificetur nomen tuum.

3. Omnis vir, qui cupit nimis
Ubaldum patronum suum,
O Deus, tractus ab imis,
Adveniat regnum tuum.

4. A solis ortu ad occasum
Sic fiat voluntas tua,
Ne pavescant mortis casum
Debita donantes sua.

5. Memento, Deus, tuorum,
Qui sunt in hoc vitae salo,
Funes stringunt peccatorum,
Sed libera nos a malo.

Ad Magnificat.

A. Lux solaris orbem lustrans,
Occidendo visum frustrans
Noctem innuit sequentem,
Hostem in nos saevientem;
O Ubalde, te rogamus,
Cujus festo finem damus,
Ut sis nostra lux interna
Corda vehens ad superna,
Et ostendas verum solem,
Lucidam Mariae prolem.

Brev. ms. Minorum Eugubin. saec. 15. Cod. Angelicus T VII 9. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 empyreum. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Suspirat. — In 3. Noct. **A** 1, 1 jam ergänzt. — Die vier zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XXII, 271 sqq.

99. De sancto Victorino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux infidelium
In tenebris errantium
Praedicator gratiae,
Doctor veritatis;
Tu et verbi gladio
Et praeclaro martyrio
Aquam sapientiae
Propinasti gratis.
O quantis insigniis,
O quam nimis prodigiis

Merita dant gaudia
Tua, jubar clarum;
Tot bellis expositis,
Pater, succurre miseris,
Miseratus taediis
Ovium tuarum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus in exsilio
Praesentis incolatus
Christum, quem in incendio
Fatetur hic beatus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus lumen deperditum
Dans caeco oculorum,
Turbam traxit gentilium
A cultu idolorum.

2. Per hujus sancti merita
De profundis aquarum
Ad portum navem obrutam
Perducit jubar clarum.

3. Hujus flent fratres pignora,
Qui tulerint, ignari
Corvus . . . perdita
Reponit in altari.

Responsoria.

1. Plaude surgens, Assissium,
In laudem conditoris,
Mentis expone jubilum,
Sit laus cordis et oris,
Concinentis praeconium
Novae legis latoris,
V. Quo pulso cultu daemonum
Devicit vitae nubilum
Superni lux splendoris.

2. Ex illustri prosapia
Progenitorum natus,
Ab ipsa pueritia
Caelestia sectatus,
Manum misit ad fortia
Victorinus beatus,
V. Mundi, carnis fallacia
Vel daemonis versutia
Non est inlaqueatus.

3. Dum Christum lucrifacere
Victorinus intendit,
Et, quam sit dulce tollere
Jugum ejus, attendit,
In Dei fervens opere
Terrena vilipendit;
V. Quem corde, ore, opere
Caelestibus intendere,
Superna lux accendit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Victorinus, vir inclitus,
Vigore fervens spiritus,
Dum cultus idolorum
Persequitur gentilium
Christumque docet omnium
Factorem saeculorum.

2. Coepit sub Dagno praeside
Assisinates visere,
Donet ut terrenorum
Flos seminum labilium
. . . . . .
In fructus aeternorum.

3. Salve nostra salus,
spes, Victorine, bonorum
Congeries, pater alme, tuis
in fine laborum
Sis via, dux, vector,
statues in parte piorum.

Responsoria.

1. Dum sanctus inter verbera
Constans exsistit perfera
Saevientis lictoris,
Contracta rigans arida
Motu privatur impia
Mox manus percussoris;
V. O quanti Dei dextera
Adstantum terret pectora
Prodigio stuporis!

2. Dum recto laxat famine
Vir sanctus linguam pueri
Speleis h ic in oris,
Uno concurrunt agmine
Gentiles, quibus superi
Lucem praebet splendoris,
V. Dum puro frui lumine
Per hunc dat caeco veteri
Superni virtus roris.

3. Inter procellas obrutam
Navem jam prorsus viduam
Regimine nautarum
Hujus sancti suffragio
Ad portum ducit subito
Jubar refulgens clarum;
V. Nautas clamantes: propera,
Victorine, nos libera
De profundis aquarum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic in errorum nubilo
Nutritos insolenter
Divinae lucis radio
Illuminat clementer.

2. Et Dei primum effera
Gens effugit splendorem,
Quem post excelsi dextera
Pristinum mutat morem.

3. Talentum datum caelitus
Fidelis dispensator
Multiplicavit fervidus,
Divini verbi sator.

Responsoria.

1. Exsurgat plebs fidelium
In martyrum praeconia,
Laetetur cor credentium
Victorini victoria,
Cujus excelsum meritum
Tot depromunt insignia;
V. Hujus, felix Assisium,
Ovans cole sollemnia,
Per quem te jussit nubilum
Supernae lucis gaudia.

2. Carnis luxu
devicto penitus
Intus comptum
fervore spiritus
Ignis aestus
injecti concitus
Victorinum
conservat caelitus;
V. Quem interna lux incendit,
Foris ignis non accendit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Victorinum Dominus
induit decorem,
Per quem nobis fidei
tribuit splendorem.

2. Lauda, Sion, Dominum,
lauda salvatorem,
Quem te tuum docuit
martyr redemptorem.

3. Christe, tuos filios
fac post te venire,
Quem hic solum docuit
martyr nos sitire.

4. Christo benedicite,
omnia creata.
Per quem servat martyrem
fornax inflammata.

5. In hymnis et canticis
Christum collaudate
Ignis in incendio
quem martyr fatetur.

Ad Benedictus.

A. O virtutum insigniis
Coruscans et prodigiis,
Praesul et martyr inclite,
Precantum vota suscipe
De valle lacrimarum;
Clemens succurre miseris,
Quibus erroris veteris
De tenebris nos eruens
Et verum lumen influens
Sidus fulsisti clarum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. De caelis fulgor claruit,
In terris lux apparuit,
Qua vetus error vanuit
Et nova lex praevaluit;
Victorinus, vir inclitus,
Ad nos missus divinitus,
Nostras tenebras funditus
Luit vir apostolicus.

Brev. ms. S. Francisci Assisien. sacc. 14. Cod. Assisien. 426 (6). — In 1. Noct. **R** 2, 4 septatus. — **R** 2, 9 Non ergänzt. — In 2. Noct. **A** 2, 4 seminum ergänzt. — **R** 2, 2 Vim sanctus. — **R** 2, 4 concurrunt famine. — **R** 2, 7 puero. — In 3. Noct. **R** 1, 8 colet. — **R** 1, 9 verschrieben. — In Laud. **A** 2, 3 te ergänzt. — In 2. Vesp. **A**, 8 martyr apostolicus. — Die drei zum Officium gebräuchlichen Hymnen siehe Anal. XXII, 282 sq.

100. De sancto Zenone.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In lege sui Domini
Zeno meditatur,
Qui a matris utero
beatificatur.
2. In timore Domino
servire studuit,
Veronensem cathedram
regere meruit.
3. Sanctum suum Dominus
tunc mirificavit,
Gallieni filiam
quando liberavit.

Responsoria.

1. Zeno electus pontifex
Fit miserorum opifex,
Ad veritatis semitam
Veronam duxit inclitam;
V. *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum.*
2. Coronam sui capitis
Zenoni dat Augustus,
Gemmas et aurum disgregans
Egenis dat vir justus.
V. *Post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris.*
3. Transit Zeno ab hoc caeno,
Sepulturae traditur
In sua ecclesia,
Atax crevit, latex saevit,
Nec templum ingreditur,
Jam excrescens ostia.
V. *Hauriri quidem ut aqua poterat, fluere ut aqua non poterat.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justo Deus benedixit,
Quia Zeno juste vixit,
Scuto bonae voluntatis
Coronatur cum beatis.
2. Honore et gloria
Zeno coronatur,
Dum sibi a rege
corona donatur.
3. Susceptor et gloria
Deus ei fuit,
Dum salvavit hominem,
qui per amnem fluit.

Responsoria.

1. Zeno favet Christo,
sic ipsi cuncta favebant;

Flagrat humus, fugit unda fluens,
avis aere pendet,
Inferus exanimem
dedit ignis, furta recusat.

V. *Magnificavit eum Dominus in conspectu regum et dedit illi coronam gloriae.*

Ad Benedictus.

A. Postquam Deus Israel
mundum visitavit,
Veronensi populo
Zeno praedicavit,
Sedentes in tenebris
sic illuminavit.

Grad. ms. S. Petri Patavini saec. 15. Cod. Capit. Patav. A 20*: add. saec. 15. — Alles Weitere fehlt und ist mir leider dies Officium nirgends wieder, auch in Verona nicht, begegnet.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

	Seite		Seite
1. De sancta Trinitate	13	34. De Visitatione BMV. . . .	109
2. In festo Inventionis pueri Jesu	16	35. De Visitatione BMV. . . .	111
3. In Transfiguratione DN . .	17	36. De Visitatione BMV. . . .	114
4. De Vulneribus DN	20	37. De Visitatione BMV. . . .	117
5. De Effusione Sanguinis DN.	23	38. De Visitatione BMV. . . .	120
6. De Corpore Christi	26	39. De Compassione BMV . . .	122
7. In Illatione Sanguinis Domini	29	40. De Compassione BMV . . .	127
8. De Corona Spinea.	30	41. De Compassione BMV . . .	130
9. De Corona Spinea.	34	42. De Compassione BMV . . .	133
10. De Corona Spinea	37	43. De Compassione BMV . . .	135
11. De Sepulchro DN	39	44. De Compassione BMV . . .	140
12. De Sepulchro DN	42	45. De Compassione BMV . . .	142
13. De beata Maria V.	44	46. De Compassione BMV . . .	146
14. De beata Maria V.	46	47. De Compassione BMV . . .	148
15. De beata Maria V.	50	48. De Compassione BMV . . .	150
16. De beata Maria V.	53	49. De Commendatione BMV . .	153
17. De beata Maria V.	55	50. De septem Gaudiis BMV. .	154
18. De beata Maria V.	56	51. De septem Gaudiis BMV. .	156
19. De Conceptione BMV . . .	61	52. De Gaudiis BMV	159
20. De Conceptione BMV . . .	63	53. De septem Gaudiis BMV . .	161
21. De Conceptione BMV . . .	66	54. De Gaudiis BMV	164
22. De Conceptione BMV . . .	70	55. De Gaudiis BMV	167
23. De Conceptione BMV . . .	71	56. De Gaudiis BMV	170
24. De Conceptione BMV . . .	73	57. De Gaudiis BMV	173
25. De Praesentatione BMV . .	76	58. In Assumptione BMV . . .	175
26. De Praesentatione BMV . .	81	59. In Assumptione BMV . . .	179
27. De Praesentatione BMV . .	83	60. In Festo Mariae Nivis . . .	181
28. In Illatione BMV	86	61. In Festo Mariae Nivis. . .	183
29. De Visitatione BMV. . . .	89	62. In Festo Mariae Nivis . . .	187
30. De Visitatione BMV. . . .	94	63. De sancta Agrippina. . . .	189
31. De Visitatione BMV. . . .	98	64. De sancto Annone.	191
32. De Visitatione BMV. . . .	102	65. De sancto Ansano	194
33. De Visitatione BMV. . . .	105	66. De sancto Aspren	196

	Seite
67. De sancto Calogero	199
68. De sancto Donato	202
69. De sancto Donato	204
70. De sancto Donato	207
71. In Translatione ss. Eleutherii, Pontiani et Anastasii	210
72. De sancto Evasio	212
73. De sancta Firmina	215
74. In Translatione ss. Fortunati, Caji et Anthes	217
75. De sancto Galgano	219
76. De sancto Geminiano	222
77. De s. Guidone Aquensi	226
78. De sancto Herculano	228
79. De sancto Januario	231
80. De sancto Januario	234
81. De sancto Imerio	236
82. De s. Leone Catanensi	238
83. De s. Marco de Bivino	239
84. De sancto Martiano	241
85. In Translatione s. Matthaei	243
86. De ss. Maximo, Juliano, Felicitate et Innocentio	244
87. De sancto Octaviano	247
88. In Nativitate sanctae Patriciae	248
89. De sancta Paula	254
90. De s. Petro Coelestino	256
91. De sancta Petronilla	259
92. De sancto Petronio	262
93. De sancto Potito	265
94. De sancto Proculo	268
95. De sancto Prosdocimo	271
96. De sancta Sabina	274
97. De sancto Theodoro	276
98. De sancto Ubaldo	279
99. De sancto Victorino	281
100. De sancto Zenone	284

II. Verbal-Index.

Accedunt laudes virginis	89
Adsit gaudens in conventu	279
Adsunt dominici serti sollemnia	34
Adsunt sacrosancta festa	20
Aeterni patris filius	117
Agens dium festum Deo	202
Agrippina pia	189
Alme pater confessorum	244
Almi laudes confessoris	271
Angelici serti conscius	212
Ansanus Romae	194
Ave mater virgo pura	50
Caelestis nunc ecclesia	239
Caloyrus praeelectus	199
Candida plebs fidelium	98
Collaetentur corda fidelium	94
Completis sacris discessit	238
Consurgat hodie populus	140
Cubante Jesu dolorose	153
Decet Deum collaudare	86
De torrente in via bibit	234
Devota visitatio	102
Duce caelesti numine	259
Ecce pulchra velut luna	53
Eja nunc fideles Christi	133
Ex quo venit Syracusas	241
Exsultantes revolvendo	210
Extollatur in laudum culmine	204
Felix Mariae gaudium	16
Firmina virgo virtutis	215
Fons hortorum redundans	76
Fuit homo de semine	66
Gabriel cursus caelicus	159
Gaudeat ecclesia psalmorum	42
Gaudeat hac hora	181
Gaude Dei mater	167
Gaude felix inventrix gratiae	156
Gaude felix Italia	222
Gaude felix mater ecclesia	26
Gaude mater Domini	170
Gaude regina nobilis	164
Gaude virgo nunc Maria	161
Gemma fulgens praesulum	191
Januarius inclitam	231
Jesse radix castum semen	73
Immensi regis genetrix	179
In lege sui domini	284
Innovetur mens divini	256
Laetetur plebs fidelium	219
Laetus plaudat coetus ecclesiae	175
Laudetur summa trinitas	13
Laus tibi sancta trinitas	71
Levi tribus glorietur	105
Lucis candor sempiternae	183
Mariam missus caelitus	111
Matthaeus voce Domini	243
Me dignare te laudare	46
Mole gravati criminum	55

	Seite
Nos peccatis nostris maesti	173
Novi festi gaudio	30
O Christo haec plebs addita	23
O Christo plebs dedita	37
O domina clarissima	44
O felix virgo virginum	56
O lux infidelium	281
O Maria stans sub cruce	122
O mira et laudanda	83
Omnis aetas defleat	142
Omnis aetas defleat	148
O quam magna procul	247
O regina reginarum	70
O stella Christi fulgida	265
Per amaritudines	135
Per Paulae Christe merita	254
Perusina laetare civitas	228
Properavit virgo mater	120
Psallat hac sincerius	236
Pueri laudate	109
Qui splendoribus in sanctorum	274
Sacerdos novae gratiae	114
Sacrae fidei confessio	262
Salvator mundi Domine	17
Salve mater castitatis	154
Salve sanguis Christi stilla	29
Sanctus Guido decus Aquensium	226
Sedenti super Cherubim	39
Sion sancta gratulare	130
Solvat clerus cum populo	268
Splendor stellae clarae lucis	207
Stabat mater anxiata	127
Stabat virgo dolorosa	150
Stella Jacob proles Davidica	63
Stella solem paritura	61
Tecum Aspren principium	196
Theodore nos audi	276
Urbs Salerni gaudeat	217
Vellere Christe mades	187
Veni dulcis virguncula	81
Virgo parens Pâtricia	248
Virgo passa filio	146

Berichtigungen.

S. 29, Zeile 3 v. o. u. f. lies: Salve, sanguis Christi, stilla — Bona, reducens in illa etc.

S. 34, Zeile 13 v. o. lies sollemnia statt selemnia.

S. 164 ff. Das Officium Nr. 54 Gaude regina nobilis etc. findet sich auch u. z. vollständig, in der Hs. 241 der Kapitelsbibliothek Prefsburg, einem Diurnale des 15. Jahrh.

Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.